

numque continuo portas aperuerunt. Gallico imperio fessis omnibus Aragonio victori passim fauebatur. Reliqua omnia similia fore credebatur. Cardinalis Legatus Aragonia discedens Madritum tenuit. acceptus splendido apparatu sub vmbella, præcūtibus proceribus, sacratisq; viris in augusto ornatu, Henrico Rege finistrum latus stipante: quod more gentis maximo honori ducitur. In id oppidum Episcopi ac Sacerdotes alii ex uniuersa ditione euocati à legato, frequentes conuenerunt. actum de pecunia, quā designata annorum numero, à sacerdotiis redigi in subsidium belli Turcici Pontifex postulabat. graues difficultates opponebantur, iactatione temporum exhaustis omnibus. Vicit tamē legati auctoritas, regia voluntate adiuta. subsidium Pontifici Romano, vti expetebat, decretem. imminuendę quamuis Ecclesiarum libertatis exemplum ab eo facto induci, aliquę auertendi copias Hispaniæ considerabant. Inuaferat pudenda literarum inscritia in sacerdotes Hispaniæ: vsque eò vt pauci Latine scirent, ventri, gulęque seruientes. auaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus iniecerat. emere sacerdotia olim simonia, tunc industria erat. neque intelligebant cęci Principes, cęcique Pontifices, irato Deo fieri impium commercii genus: quod facias an patiaris perinde est. Medicinæ facienda ratio, iis sacerdotum conuentibus excogitata est. impetratum à Pontifice Romano, vti in singulis ecclesiis cathedralibus bina sacerdotia, quos Canonicatus vocant, suffragio Episcopi, atque collegii Theologo vnum, alterum Iureconsulto obuenirent. Pontificium diploma, quoniam publice cognosci vtile foret, eius iniuria temporis sublati partem, diplamate altero post biennium concessa comprehensam, hoc loco subiicimus. Kal. inquit, Septem. 20

Pontifi. nostri anno quinto per quasdam statuimus, & ordinamus: quod de duobus canonice. & totidem præbendis, qui primo per cessum vel decepsum, aut quamvis aliā di missionem illos obtinentium extra Rom. curiam, in quibus suis mensibus simul, vel successiue vacarent, in qualibet Ecclesiarum earundem, etiā si dispositioni Apostolicæ ex qua uis causa (non tamen prima vice) generaliter reseruati forent, perpetuis futuris tempore. quoties illos vacare pro tempore contingeret, unus qui in Theologia Magister, seu Licenti. & alter in utroque, vel altero iurium Doctor seu Licenti. existeret, posset, & deberet ab Epis. vna cum capitulo cuiuslibet earum Ecclesiarum ordinaria auctoritate prouideri, in omnibus & per omnia, perinde ac si aliquę gratiæ expectatiuę speciales, vel generales reseruationis, & nominandi, seu nominatis conferendi facultates & mandata à nobis, seu 30 sede Aposto, vel eius legatis, seu alias eius auctoritate, etiam Regum, Ducum, Principum vel Prælatorum, aut quavis alia consideratione nullatenus emanassent, seu in posterum emanarent. Ita tamen, vt de eis qui primo Doctori, vel cum rigore examinis Licenti. in altero iurium, & aliis qui post modum vacarent simul, vel successiue canonicati. & præbendis huiusmodi Magistro, vel Licentiato in Theologia prouideretur. Et si inter Doctores & Licen. eosdem ad illos pro tempore nominatos aliqui de nobili genere procreati forent, aliis non nobilibus: & inter ipsos nobiles, qui ex utroq; parente nobiles forent, nobilibus ex altero tantum: & inter ex utroque, & uno latere tantum nobiles de maiori nobilium genere procreati per eosdem ordinarios collatores & Capitula præclergeretur. qui si in eadem Ecclesia beneficiati & alias, si qualificati reperiantur, aliis præferrantur. sicque perpetuis futuris temporibus obseruetur. Haec tenus diplomatis pars.

Perpiniani obsidio. Cap. XIX.

PAcandis Castellæ motibus, componendisque dissidiis, magna à Cardinali Legato contentione adhibita, parum profectum: & ipse, vt natura cogebat, in Ferdinandum ex arcane propensior, ad confirmandam eius causam omnes neruos contendit. Complutum profectus, ubi Ferdinandus, Isabella vxor & Toletanus erant, inde Caracam, nō alio consilio abiit, quā vt Mendozas regulos in partes traheret: ab Henrico Rege, & D. Iacobi Magistro deduceret, ingenio fretus ad simulandum, dissimulandumque idoneo. 50 Vno tempore tumultus per vrbes & oppida concitatissunt in eos, qui Iudeorum ex sanguine prognati erant, profunda homines auaritia fraudeque. initium Cordubæ factum. ferro, rapinis, incendiisque in miseram gentem saevitum, furente populo nullo supplicii metu. Numinum iram prudentes interpretabantur, ob abdicata passim ex arcane, quæ ante suscepserant Christiana sacra. Cordubæ exemplum alia oppida & vrbes Bæticæ secula sunt. vis maior in Giennum incubuit. Irantius Magister equitum gentem calamitosam ab iniuria vindicare ausus, seque furenti populo opponere, magnam inuidiæ flammatum apud populares accedit. ita facta conspiracye ad aras, sacris operantem, crudeliter obruncarunt. Therasia vxor, & filii vix arcem tenuerunt. Regii scrinii præfectura Segun-

Seguntino post Irantii cædem concredita. Hari Comes Magister equitum renunciatus est, honore antea per multas familias vagato, deinde in eius posteris statatio ad nostram ætatem. Magna ea clades fuit: magnumq; præsidium Henrici rebus ob eximiam Irantii constantemq; fidem, sublatum. Magistri D. Iacobi arte conquisita alia. Henricus Aragonius ad certam coniugii cum Ioatna Principe spem, per Valentinos fines euocatus venit in Castellam: tum ipse, tum mater Beatrix Pimentelia, obuio ad Requenam Magistro ipso, deducenteque, maior expectatio, quam successus fuit. quem ex fama probarant, vi-
sum contempnere, insigni hominem arrogantia: qui proceribus complexuñ ferentibus, manum osculandam in os ingereret, nondum opibus fundatis, neque veritus rerum mo-
bilitatem. Eiusdem magistri arte coniugium est impeditum. Erat enim ex arcano Hen-
rico Aragonio infensus, repetituro paterna oppida, si imperium obtinuisset: Beneuen-
tanumque metuebat, Henrici auunculum, memoria intercepti Magisterii in primis ira-
tum. alia tamen obtendebatur species. magno aliquo Principe opus esse ad motus gen-
tis pacandos. At regiam fidem fallere, ludere eum Principem, graue fore Regi videbatur.
ad defendendum bellum magna pecunia optis esse Magister ait, Andreæ Cabreræ, cui
thesauri cum arce Segobiensi concreti erant, fraudem necens. Vbi tumultum in gen-
tem ex Iudæis maioribus ortam, Bæticæ exemplo Magistri fraude concitatum, atq; Ca-
breræ imprimis capiti minitantes populares quasi miseros tegeret, vix ipse arte & indu-
stria pacarat. Seguntino honos purpuræ datus Madriti, misso in eam rem proprio à Pon-
tifice legato. noua muneri gratia addita, concessum à Rege, ut Hispaniæ Cardinalis voca-
re tur. Henricus Aragonius Madriti aditu prohibitus, Setaffi, qui pagus secundum viam
militarem, qua Toletum itur protensus est, expectare iussus, Rege conuento in agro vi-
cino, Odonem est amandatus. Pontificis Romani venia excusabant, nisi lege propinquitatis
soluta, inita coniugia inter propinquos, neque esse iusta, neque fausta. sic ille delusus
spe est. Henricus Rex Segobiam abiit, per causam expediendæ pecuniæ, quam Andreas
Cabrera malignè suppeditabat, D. Iacobi Magistro infensus (quem Segobiensis arcis præ-
fecturam ambire exploratum erat, Madriti iam arce per speciem se muniendi detracta ei-
dem Cabreræ) in Ferdinandum ex arcane propensus, & suapte voluntate, & vxore Bea-
trice Bobadilia in Isabellæ Principis obsequiis educata. Contrà noui Cardinalis opes
vehementer confirmatae sunt, defuncto Cauicæ Alfonso Fonseca, magni ingenii arden-
tisque animi viro. In eius enim locum Hispaniæ Cardinalis, Hispalensis Episcopus agen-
te Rege est renunciatus, retenta Seguntina Ecclesia, nouo damniatoque exemplo. Sed ita
erant eius ætatis mores: quod libebat, licitum videbatur. In Ruscintonensi agro Perpini-
anum obsessum tertio Idus Aprilis fuerat, Galliarum copiarum ad viginti peditum millia
milleque cataphractos ductore Philippo Sabaudo. Aragonius intra oppidum erat, certus
quod prius adire periculum, quam vt firmissimum municipium, quâ aditus est in Gal-
liam, hostibus desereret: quò maiores animos obsessis faceret, concione in templum ad-
uocata iuratus, se inde pedem nisi obsidione soluta non elaturum. Insignis audacia, ani-
mique præstantia in ea ætate, exemplum nescio an probandum: cùm in vnius capite, sum
ma rerum & imperii verteretur, si ab hoste esset intra oppidum captus. sed numina tan-
tam calamitatem auerterunt. Oppidanorum virtus egregia fuit. In Regis oculis quisque
supremo conatu propugnabat, dimicabatq;. Petri Peraltae Magistri equitū in Vasconib.
fides maximè celebratur. qui in veste Frâciscana Gallicæ linguae sciëtia, qua multū vteba-
tur, per medias hostiū acies tutus ad Aragoniū penetravit, periculi socius futurus, à quo
omnia acceperat, supremum id officium deberi ratus. Aragonii filii tres, Alfonsus cù patre
erat: Cæsar Augustanus Helenam finitimam vrbem valido præsidio occupauit, pater-
na iussa facturus: Ferdinandus Talamanca cognito periculo profectus, quadringentos e-
quites è Castella auxilio duxit. ei numero ex itinere centum alii sunt adiuncti. cum iis co-
piis mense Iunio ad opprimendum Emporias delatus, tantum hostibus terrotum iniecit,
vt soluta obsidione ac mox ad mensem Octobrem pactis induciis, finibus discesserint.
Sic confecto bello Aragonius, triumphi persimili specie, curru sublimis cyanea veste con-
strato, agentibus quatuor candidis equis, dextra lœuaq; stipante nobilitate & magistratis
bus, effuso ad spectaculum populo, Barcinonem iniit ea porta, cui à Daniele nomen est, i-
psa canicie, luminibus restitutis, rebusque gestis clarissimus. Corpus destitutum viribus
vigor animi sustentabat. Abscesserat Ferdinandus filius Dertusam, Aragoniæ gentis con-
uentus agitaturus, pro patre Rege vicarius. cæterū morbo tentatus, conuitioque in Ca-
stellam retiocatus, vbi multa nouabantur, eo conatu destitit. Ferdinandi Auisii Magistri,
quem obiisse in captiuitate dictum est, ossa per idem tempus à Mauro quodam è Phu-
thensi vrbe clam sublata, atque in Lusitaniam aduecta, ad Aliubarrotam, vbi maiores se-

pulti erant, composita tumulo sunt. Inferiæ defuncto ex ritu Christiano magnifice datæ.

Aranda Concilium. C A P V T X X.

Vere hæc tempora cæteris quidē Hispaniæ prouinciis nulla re, nisi quod præcipuum
Fest, festa pace nobilia. Vna Castella non quiescebat indies grauiori metu. fœdis Prin-
cipum certaminibus modestia multitudinis corrupta, oppida & vrbes in factiones scissa-
erant. Ferdinandi & Isabellæ vires nouis accessionibus augebantur. Henrici Regis igna-
uia opes minui, plebisque alienatione. & vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est
morbus, qui diffunditur à capite. In Cantabria tumultus erant. dum equitum Magister 15
armis conatur, Henrici ad imperium reuocare duriore ingenio gentem propositi⁹; tena-
cem: Petrus Manricus Treuigni Comes Aragoniis partibus infectus defendere conatur,
illata regioni vastitas per se sterili, & rerum omnium indigēti. Toleti noui tumultus con-
citati. Fuensalidæ Comes Paciechi fauore, qui in eam vrbe oculos etiam auidos cōie-
cerat, armis intra mœnia irrumpere conatur. atque Ferdinandum Ribadeneiram Mare-
scalum Henrico fidum, vrbe deturbare. Verum ciuium concursu represſa audacia est: &
Regis aduentu, qui periculo nunciato aduolauit, motus urbani compositi. Sontib. venia
data lex impunitatis confirmari visa est. Ex ea audacia Paciechus, siue inuidiam veritus,
siue otii cupidus Pennafielem ad vxorem abiit. tot annis in aula assiduus satietatem ab-
sentia procurare cogitabat, misso tamen pro se Diegho filio vicario: quem Villenæ Mar- 20
chionem renunciatum iam diximus. Venientem Henricus ea amoris significatione acce-
pit, ac si ingentia beneficia à patre extitissent: & erat conspicua forma, ætas integra, fortu-
næ cultus par. Segobiam Toleti itum. In ea vrbe gratia frequenti vſu amplius conciliata.
ad Villenium in Hieronymianum cœnobium, cui Parrali nomen est, hospitio datū Hen-
ricus quotidie ventitabat. Cum Andrea Cabrera auctum, vti gratia cum Paciechis conciliata,
in Henrici potestate esset, arce cum thesauris tradita, Moiæ permutatione: q; munici-
pium ad Celtiberorum & Contestanorum atque Valentinos fines situm est, Conchæ 30
vicinum Cabreræ patriæ. Eò faciles aures præbere pactioni videbatur. Res non latuit. op-
pidani animis ex eo vehementer offensis, Aragonium præsidium intra mœnia accepere
Duce Ioanne Heredia, qui ad rem certam è Valentino tractu aduolauit. agrè id fuit Hen- 35
rico Regi. Illud grauius. Arandam, quod oppidum in Vxameni diœcesi est ad Durii ri-
pam, Isabella Princeps Tordelacuna, vbi se in Carpetanis tenebat viro absente, ab oppi-
danis consensu euocata, illud imperio subegit. Ioannæ Reginæ detraictum. Fœminæ im-
pudicitia, amoreſq; male cauti, totius prouinciæ inuidiam commouerant, Regis etiam.
Sed est quibusdam insitum, vti magis peccari nolint: quām quod satis animi ad vindican-
da delicta habeant. vti Henrico Regi per totam vitam accidit. Illa & filia Madriti in arce
erant Villenii curæ concreditæ. Aranda exemplum secuta est Agreda (prope olim Augu-
stobriga sita fuit) magno dolore Medinæ Celinæ Comitis, cui Henricus id oppidum do- 40
narat. A Toletano, cùm Isabellam esset secutus, Aranda, prouinciæ Episcoporum concilium
indictum, habitumq; est. affuere Episcopi, atque Archipresbyteri ex vniuersa pro-
uincia euocati, ex vtroque ordine viri non pauci. Disciplinæ ecclesiasticæ instaurandæ,
species obtendebatur, vicio temporum labefactatæ. Propior tamē cura erat (sic arbitror)
factionis vires confirmandi. Nonis Decembriis quatuor tantum hæc decreta promulga-
ta. Episcopi in publico semper linteati visuntor. Presbyteri minimum ter aut quater, diui-
na hostia annis singulis sacrificanto. Sacro ordine viris sese obsequiis procerum addice-
re, aut eorum stipendia facere, præterquam Regis, nefas esto. Cura ecclesiarum, & maio-
ra sacerdotia, quæ Dignitates vocantur, ne cui creduntor, qui Latinè nesciat. Vix soluto
conuentu Ferdinandus per Almasanum, & Valeranicam à Medinæ Celinæ Comite, &
Petro Mendoza Almasani regulo, omnibus officiis ex itinere cultus, Arādam ad vxorem
appulit, partium studia præsentia vt confirmaret. Decessere hoc anno in Castella quidem 50
Fridericus Maris Praefectus & Gometius Cacerius Alcantaræ Magister successore Ioan-
ne Stunica, vti paulo ante dictum est: in Gallia autem Nicolaus Ioannis Lotaringii filius
Renato auo superstite. huius ex filia nepos Renatus auiæ maternæ iure Lotaringiam ob-
tinuit, præclara virtutum indole Princeps: cæſo Carolo Burgundo Audaci ad Nancium
quarto post anno quām re alia fama maiori. Ioannes Armeniacus Comes nunquam Re-
gi Gallo fidus, gratusve ex quo in Hispaniam pulsum diximus, Burgundi copiis bello in
Aquitania cōcitato, Petrum Borbonum Aquitaniæ Praefectum à suis proditum cœperat:
neque dimiserat, nisi Lectorio oppido sibi restituto. In illum continuò missæ abs Rege
Gallo copiæ ductore Albigenſi Cardinali. Lectorium recuperatum, euerſumque est.

Comes

comes ipse contra datam dedititio fidem peremptus, ancipi facti: eo minori iniuria quod conficto pontificio diplomate, ut sibi ius fasq; esset sororem germanam ducere, ei vitium attulerat. Pudendam turpitudinem, probrumq; Impietas suscepta, vœfanaque libido sic est vltore numine exitio vindicata.

Libri vigesimi tertii Finis.

IO. MARIANÆ HISPANIÆ
E SOCIETATE IESV,
HISTORIÆ DE REBUS
HISPANIÆ,
LIBER. XXIV.

Isabella Henrico fratri conciliatur. CAPVT I.



ON quiescebant diuisa Castellæ procerum studia, maiori indies Aragoniarum partium fiducia viribusq; neque D. Iacobus Magister desistebat opibus opes struere, præsidia præsidiis addere maiori habendi auiditate: metuque, ne si Aragonii rerum potiti essent, ipsi cedendum esset principatus magna parte: quam in eorum ditione fuisse superiorib. annis meminerat. Quo consilio Ferdinandi & Isabellæ coniugio aduersum se præbuerat, Henrici Aragonii & Ioannæ pactas nuptias disturbare pergebat, alias ex aliis moræ causas & difficultates nectens, Rege quorsum ii conatus spectarent, præ socordia non intelligente, aut dissimulante præ ignavia. Ad Madriti arcem, Segobiensem adiicere contene-

debat si id asssecutus esset, Regem quasi iniectis compedibus fore in potestate prouidens, & quemcunq; cursum res habuissent, certum rebus præsidium. ea summa votorum erat. Andreas Cabrera unus maximè opponebatur & gratia Principis & ingenio pollens, neque eius pollicitis quamuis magna erant, satis credens. Exortis inter eos suspicionibus atque confirmatis, vterque dolos ad euertendum alterum necit: cautus vterque & callidus, maiori Magister potentia atque opibus. Cabrera felicior omnes ingenii neruos intendit, vt Isabellam conciliaret Henrico fratri. æmuli absentia opportuna conatui erat, Villenii filii haud pari propter ætatem calliditate. Henrico assiduus, officiis ad tempus accommodatis amplius confirmata gratia, multo sermone persuadet, vti Isabellam sororem ad se accersat. Id publicè salutare fore, priuatim vtile, honestumque. Magistri conatus quorsum tendant ignorare neminem: vt republica turbata priuatas familiæ opes augeat, immensa auiditate ambitioneque, inconstanti fide atque venali. Quod reipub. motus eo concitatore graues & diuturni, me silente indicant, ex dolis atque fraude ingenium morisque compactos. At filiæ caritas mouet: indignumque iudicas innocentem ætatem paterna hereditate spoliari. Sed liceat modò vera loqui, quî id populo persuadeas ex te genitam? & est prudentis non amplius in repub. conari, quād quod ciuibus probare possis. Non vt corporibus, sic animis vis afferatur. Opinione multorum, quæ vna famæ vox est, stant imperia caduntque. Vt cunque res habeat, an duabus sororis filiæq; dotibus, amplitudini nobilissimi regni pares opes non sufficiant inter utrancq; per conditiones tributi? At imperii maiestatem imminuit graue est. sed ciuili discordia, & perpetuis ex eo malis implicare rempubl. multo grauius. Mihi crede, aut hæc via aut nulla est tantis malis medendi. si quid priuatis rationibus contrarium est, id pacis studio, patriæ caritati condonandum censeo. Quanta mala ex ciuili discordia impendeant, debes cum temporis est considerare: curare etiam, atque præstare. Mouebatur Cabrera oratione Henrici animus, actionum consiliorumque mirabili per totam vitam inconstantia, regio-

nomine indignus, soliique probrum. Cabrerae diligentia, hortatuque, Hélico in sententia euocandæ sororis confirmato, Beatrix Bobadilla viri suaus Arandam proficiscitur: quo res occultior esset, vecta asino, atq; in rusticana ueste obvoluta capite. conueniendi Isabellam Principem opportunitatem nocta persuadet, vti quam primum Segobiam improuisa abeat: fratribus, in eam procluem animum explicat: si mutet arcis munitione fide ab iniuria tutam: si quid periculi subsit tamen, audendum magna conatibus. In eo rerum momento celeritate opus esse: cunctationem fore noxiā. Parua saepe morta magnas fieri inclinationes. Re constituta Bobadilla se se ad virum refert. subsequitur Isabella haud magno proxima interuallo: seque in arce Segobiensem infert ad quintum kal. Ianuarii principio anni Millesi. quadrin. septua. quarti. Vulgato eius aduentu varie, vt cuiusq; animus erat, commouentur ciues, perturbantur aulici. Villenius fraudem subesse & coitionem ratus, consenso equo Ayllonem vicinum oppidum se subducit festinus & pauidus. Henricus ex Balsaino nemore, vbi venationi dabat operam, Segobiam accurrit, sororem inuisit: magna laetitiae significatione inter se salutant, in mutuosque amplexus ruunt, eo maiori studio quod ante multos dies non viderant. Arcanis sermonibus longum tempus consumptum. fine colloquii Isabella suam causam fratri commendat, iure minime dubio nixam. Rex sumpturum se tempus ad deliberandum ait. sic à colloquio discessum ad multam diem. die postero in arce cum sorore cœnatus Rex. tertio per plateas ciuitatis Isabella vecta est, honoris gratia, codem equi habenas regente. Nullus illustrior dies ciuibus, atq; adeo Hispanæ vniuersæ illuxit, certa concordia spe, malorum metu sublato. auxit opinionem, confirmauitque, Ferdinandi Principis rei gestæ fama & vxoris literis prouocantibus, Turuegano (quo accesserat quorsum res euaderent expectatum) aduentus. Ad octauum Idus Ianuarias, qui dies Magorum memoria sacer est, Henricus, Ferdinandus, Isabella per urbem vna equitantes, celeberrima pompa ciuium oculis gratissimum spectaculum prebuerunt. Post gestationem in Episcopi aula conuiuio ab Andrea Cabrera instructo, vt par erat splendido lautoque, excepti eidem accubuerunt mensæ. quartum adhibitum Rodericum Villrandum Ribadei Comitem Castillius ait. lege in perpetuum lata patri datum erat, vti superius est demonstratum, vt Ianuarii Kalendis regiae mensæ conuiua accederet. Remotis mensis lyriftæ, comœdi, cantoresque accesserunt. fine bellaria tragemataque illata. Celebritatis letitiam Henrici valetudo non nihil conturbauit, lateris dolore tentati oppressisque: sic vt in regiam discedere necesse habuerit. casu factum, vti saniores iudicabant, insidias vulgus interpretabatur, prona semper in deterritus persuasione. Eam opinionem, venenum inter epulas datum, Principis perpetua deinde valetudo confirmauit, ac non toto euoluto anno subsecuta mors. perpetua Ferdinandi & Isabellæ felicitas amplitudoque rerum gestarum, iis certe consciis factum scelus fidem abrogat, imperium à parricidio auspiciatos fuisse. quod emuli in primis accusabant, accensis odiis, promiscua inter se affingendi criminalibetate. Pro Principis incolumitate supplicationibus ad omnia tempora habitis, sacrificiis, precibus, votis placati superius eiusque valetudo recreata est.

Magistri D. Iacobi obitus. CAPUT II.

VT Rex conuuluit, de concordia agi cœptum est, per conditiones inter Principes sanctienda. Petebat Isabella, vt sibi sacramento à regni ordinibus dicto successio confirmaretur iure debita. si id fieret, se & virum perpetuo in officio fore: neque recusabat filiam vnicam, Abulae arcem quasi fidei obsides tradere in potestatem Cabrerae quasi sequestri. Vt Ioanna Henrico Aragonio nuberet, Beneuentanus amitini ludibrio commotus, conuictio postulabat, Henrico assiduus, ipso postulato gratior, nisi concederetur, fœdus disturbaturus. Nec consilium vnum inter proceres, nec voluntas erat. aulicorum pars Ioannæ fauebat. ad Isabellam plerique res trahere, animi consiliorumque Henrici potentes, sublato inter fidem, perfidiamque discrimine: quod Isabellæ causam vehementer confirmauit. Ad eam Médozæ proceres inclinare cœperant, opibus, numero, clietelisque præualidi: eoque Toletanus nutare, atque ad Ioannæ partes respicere: vnde maiora præmia, certiorque spes ostendi videbatur. Ancipiti sententia suspensum Henrici Regis animum, D. Iacobi Magister arcans literis impellit: vti nocturna vi vrbe capta, Ferdinandum atque Isabellam in potestatem redigat. præclaris facinoris occasionem oblatā, quando veluti indagine cincti in arce tenerentur. in id operam industriamque suam pollicetur. Restanta latere non potuit: nec diuinum consilium humana arte disturbari. Indicio facto Ferdinandus quidem raptim Turueganum abscessit: Isabella in arce Segobiensi substitit,

stit, quorsum ex molitiones euaderent expectatura: nec ferens nobilissimè arcis possessione decidere: vbi erant thesauri regii, & amplissimus regiae cultus: vnde regnandi principium fore prouidebat, magno fœmina animo, prudentia, constantiaque supra sexus etatisque conditionem. Diductos Henricum Ferdinandumque, nouis casus loco iunxit. Carrionem nobile in Vaccæs municipium, superioribus annis licentia temporum, Beneuentanus Henrico concedente extortum, arte munierat. idègre erat Santillanio, quod incolæ ab antiquo in eius clientela erant, eorum precibus præterea & lacrymis fatigatus Petro Manrico Treuigni Comiti suadet, vti improuisa vi oppidum præsidio occupet. facit ille imperata. auxilio cum copiis Santillanius Caraca festinat. Beneuentanus ferro iniuriam vindicare parans, idem facit, Segobiæ eo nuncio perculsus. Diductis in utramque partem aliorum procerum studiis copiisq; periculum erat, ne insignis clades acciperetur utrauis parte prostrata. Accurrunt Principes Henricus Ferdinandusq; hic adiutor Santillanio futurus, si ventum esset ad manus. ille pacis arbiter positis iuxta castris, inter utraque agmina oberrans, vix tandem, ut armas ponerent, impetrare potuit. Regiæ auctoritati, Beneuentanus suum dolorem condonauit. Magano oppido à Toletano dato, Carrionis arx à fundamentis euersa est. pace constituta, Sanctillantis quidem Isabella ad Segobiam conuenta Caracam se se retulit, ad nouas spes penitus conuerso animo suorumque. Henricus Vallisoletu obita, atq; Segobiæ tantisper moratus cum D. Iacobi Magistro consilia de republica communicaturus, eius consilio & hortatu Madritum discessit. Luso 20 sitano cónubio Ioannam Principem elocandam, importunus auctor euicit, vt Henricus Rex ea cura ad Portugaliæ fines progrederetur, afflcta quamvis tenuique valetudine. Hæc species profectio obtendebatur. sed maior Magistro cura suberat, Castra Iulia in potestate in redigendi, immensa habendi, opesque struendi auditate ambitioneque pari. regiæ voluntati ciues paruerunt. Magistri artibus magna senatus parte præoccupata, nobilitatem plebs est secuta. arcis munitio opponebatur: quam Gratianus Sese Præfectus dedere recusabat ingentes de suo sumptus factos excusans: neque vacabat ad calculos impensam reuocare. Henricus ingrauescente locis insalubribus valetudine, iniquo anni tempore Madritum repetiit. Magister ex morbo, quo & ipse oppressus erat, tantisper recreatus lecticariorum humeris Castra Iulia defertur. Ventum ad Sanctæ Crucis fanum: qui pagus ab ea vrbe ad Austrum dissitus est, octo millium spatio. Præfecto ad dedendam arcem inducendo dabatur opera: cum inter eas molitiones maxillæ afterius inflatione abscessuque repente oppressus interiit, concreto in fauibus multo sanguine, ex ore que manante & naribus: an arx esset tradita, intermorientibus vocibus ex astantibus, labentique animæ facilem exitum, placatos superos precantib. queritans, nihil aliud. Pulchræ in morte cogitationem, vitæ consentaneam scilicet. obitus usque ad deditiæ arcis occultatus est. Felicis fanum in Calæcis Præfecto Gratiano datum iure perpetuo. quod illi infastum fuit. In tumultu populari, de causa non constat, sed ab incolis tamen eius oppidi, lapidibus est oppressus ob fidem venalem vindicta numinum sic vulgus interpretabatur, ad excitando alendosque id genus rumores aptum procliveque.

40

Ferdinandus Barcinonem abiit. CAPVT III.

DE Ruscinonensis & Ceretanis Gallos inter & Aragonios lis erat: his repentibus, atque ad ius ditionemque pristinam reuocantibus, excusabant Galli oppignerata ea oppida esse, neque pactum auri pondus in stipendum militare bello Barcinonensi representatum. Posita per inducias vti ante dictum est, arma haud obscure repetebatur. nostris non minus timoris quam spei, quippe aduersus amplissimas Galliæ opes Regemque prævalidum bello futuro: Castellæ rebus nondum compositis, vnde magna multaque negotia implicabant. Lutetiam de pace legati viri nobilissimi, Ioannes Folchius Cardona Co- 50 mes, Hugo Rocaberti Ampostæ Præfectus, quo maior auctoritas esset cum amplissimo comitatu, causas explicatum ob quas pecunia ea reddenda non videretur. Gallica auxilia bello Barcinonensi neque tempore missa, neque usque fuisse. Contra foederis conditiones Ioannem Lotaringium Gallicis copiis adiutum. Exposita legatione nihil profectum est: ac contra patriam ad Lugdunum custodiæ circumdatae, contra ius gentium, diuinæ atque humanæ religiones. Eorum periculo quasi datis obsidibus oppignerati Aragonie gentis animi haud se fortiter ad resistendum commouere: tametsi per idem tempus inuenient vere quingenti equites Galli ductore Ioanne Alone Aludæ regulo in Ruscinonenses inuecti, adiunctique ad reliqua Gallica præsidia Helenam urbem obfederant, præ metu inferiore parte à ciuibus deserta. Aragonius Barcinone vbi Catalanicæ gentis con-

uentus erant, comparando defendendoq; bello intentus erat, extrema quatuor etate homo atque ex febri quartana laborans longinqua euocata auxilia. quingenti equites natus à Ferdinando Neapolitano Rege missi, quantulum rebus præsidium: Ferdinandus Aragonii filius Iunio mense Tordefillam firmum in Vaccæ municipium vi occuparat, euocatus ab incolis aduersus Petrum Mendaniam Castrum nuncii Præfectum, cum latronum manu (quorum magnus numerus tota prouincia vagabatur impune) iniurium, importunumque finitimis agris & oppidis. Re patrata cum se Segobiam ad uxorem retulisset, patris periculo & valetudine denunciata eo maturare contendit sexto Nonas Iulii, intuso ex itinere ad Cöplutum Toletano: si æger offensa animus eo humanitatis officio sanaretur. Ad Caracam Sanctillanio in recenti fide confirmato, Cæsaraugustam peruenit. inde Barcinone patrem adiit strenuum senem & nunquam cessantem. Importuno tempore in Valentiniis armamota. Segorbium, & Exerica, firma atque munita in Edetanis oppida arma corripuerunt, pari conatu cōtrario studio. Exerica ut Sarsuelæ imperium depelleret: vnde magna iniuria extabant. Segorbium ut aduersus regiam voluntatem in Henrici Aragonii ditione permaneret. motus diuturni magis quam difficiles extitere. Ferdinandum Principem de bello Ruscinonensi consultantem, nuncius è Castella perculit Diui Iacobi Magistrum decessisse ad quartum Nonas Octobris. eius obitu seditiō nem inter proceres maiori mole coortam, hac occasione. D. Iacobi Magisterium multi reguli ambiebant contentione pari, causa dissimili. Alburquerqui, Beneuentanus, Sanctillanius, Assidonius opibus magis quam re alia freti. ante alios suffragio militari, duo erant designati geminis comitiis Legione atque Vrcesię, vbi eius ordinis cœnobia sunt, inclyta diuitiis non sanctitate tantum. Legione Alfonsus Cardenas antea in Legionensi regno ordinis Promagister ceteris prefertur. Vrcesię Rodericus Manricus Paredius Comes. Villenius regio fauore armatus, propriisque viribus pollens vtrunque deiicere satagebat, causatus sibi à Pontifice Romano, patre superstite cum honorem destinatum, concessumque sed pontificiæ voluntatis nullo prolato testimonio, confictum plerique suscipiantur, tempore extrahendo, dum nouus conatus in eam rem esset adhibitus: nouumque à Pontifice diploma esset allatum. Singulos proceres prehensanti atque incautius Villaregium progresso, per causam conueniendi Osorni Comitem eius ordinis in Castella Promagistrum, manus iniecta sunt: deductoque Fontidioniam erepta libertas. Grauis contumelia fuit. nouo dolore Henrico Regi irritato, quia nihil Osorni Comes fakturus voluntate videbatur, vim adhiberi placuit. afflita quamvis valetudine cum copiis Fontidioniam obsecrit: affuere Episcopi Toletanus, Burgensisque, Beneuentanus, Magister equitum, Sanctillanius, Cluniensis, officio in Principem, & facinoris atrocitate commotis. grauis mora erat, Regis morbo recrudescente, alieno anni tempore. fraus fraude vindicata. Ferdinandus Lopus Acunius Toletani frater, qui non minus de Villenii iniuria laborabat, Osorni Comitis uxorem cum filio per speciem colloquii captam, Optam deducit. ea arte vieto viri animo Villenius liberatus est, eo maiori gaudio, q; prope metu res fuerat. Sic Osorni Comitis conatus delusi sunt Villenio capto (quoniam Ioanna Princeps eius fidei erat concredita, & Scalona seruabatur à matre disclusa ob eius impudicitiam) Ferdinandi Principis studia promereri, eoque annitente Magisterium D. Iacobi præpercere ceteris omnibus cogitantis. His rebus Barcinone nunciatis, belli defendendi cura Aragonio patri relicta in Emporitanum tractum profecturo quam primum, Ferdinandus Princeps Cæsaraugustam rediit, si res Castellæ pateretur, conuentus Aragonios habitus ad conquitendam pecuniam, cuius præcipua & maxima difficultas opponebatur: presertim nouis subinde Gallorum copiis confluentibus ad nongentos equites, pedites decem millia. Helena, vt cœperant supremo conatu circuessa oppugnataque: famæ vrgebat, & rerum omnium inopia obfessi laborabant. Ita Nonis Decembris die Lunæ ditione facere cōpulsa est incolmi præsidio, Ducibusque: quib. plus inter se irarū, quam aduersus hostes animi fuit. de Perpiniano grauis cura incesserat, Helena capta, propter hostium præsidia omni ex parte circumfusa: ipsaque Perpiniani arx ab hostibus obtinebatur. ne diutius sustentare possent, metus solicitabat. Fuit hic annus Siculis memorabilis, Itinerum per vrbes & oppida strage edita. multitudine incertum qua causa, sed lymphatis similes ad arma populariter consternati, ac ne Lupi Vrrec Proregis auctoritate edictisque, ne suppicio quidem de nonnullis fontibus sumpto coercito furore, multis ex eagine peremerunt. Mauris quies erat: bellum sacri nulla cura, in tanta rerum nostrarum collusione. In Vasconibus intestinæ seditiones vigebant. Beaumontis Eleonoræ Principi studentibus, Agramontii Aragonii maiestate veteri instituto tenebantur Principum exemplo, furente etiam populo, atque ad arma concitato.

Henrici

Ingrauescebat indies Hérici Regis affecta dudum valetudo, ipsa agitatione itineris, cultrisque grauibus morbus lethalis medicorum permisso Madritum relatus, nullis salutari bus herbis, succisq; iuuantibus: contra lateris dolore denuo saeuictate, salute prorsus desperata, vicino exitu, sacris omnibus ex ritu Christiano expiatus, ad tertium Idus Decembris die Dominico, secunda hora noctis, placide efflauit animam ætatis anno quadra. quinto extremo regnauit annis viginti, mensibus quatuor, diebus duobus & viginti. Nullum testamentum conscripsit, pauca tantum Ioanni Otieto, qui ei à secretis erat, & cui multum credebat, excipienti dictauit, curatores eorum, quæ statuebat nominauit Hispaniæ Cardinalem, atque Villenæ Marchionem. De successore rogatus à Petro Masuelo Hieronymiano Priore, qui morientis confessionem exceperat, ecquem sibi substitueret, Ioannam Principem nominauit, curæ fidei q; concreditam, tum duorum testamenti curatorū, tum Sanctillanii, Beneuentani, Magistri equitum, Duci Areuali, quos maxime fidos fore estimabat. Corpus propter maciem ex diuturno morbo, nullis odoribus curatum, in Diu Hieronymi Madriti extemporalio sepulcro compositum est, pompa funeris, neque celebri admodum, neque vulgari. deinde, vti ipse moriens mandarat, in Guadalupeo tēplo, prope matris sepulcrum tumulatus est: Princeps nulla re magis quam fœdo vita genere, ignavia, socordia atq; immunita ex eo imperii maiestate nobilis, nulla virili prole ex Hérici nothi posteritate Regum postremus, vt numero sic fama. Subit memoriam admirari rerum inconstantiam: neq; mori tantum homines, sed & ingeniorum sobolem exolesceret, in Principum posteritate, vbi minime oportebat, maximè: vtque singuli morituri nascimur, ita indolem stirpium, satorum, animantium, atque familiarum suos veluti natales, incrementa q; habere, ac tandem consenescere extinguiq;. Fuit in Henrico familie conditore viuidum ingenium, & supra ortus conditionem animus major. in Ioanne filio felicitas multo minor, neque par industria vigorq;. In Henrico nepote ignea mens, animus orbis terrarum ac cœli capax: sed imbecilla valetudine, breuique ætate præstare diu non potuit, quas promiserat virtutes. Ioannes eo nomine secundus ingenio fuit eruditus magis literis, quam ad res gerendas idoneo. In huius filio Henrico, cuius res gestas modo, & obitum explicauimus, consenuit maiorum gloria fœdataque est: industriaque & virtus sibi viam ad Castellæ regnum, atque adeo vniuersæ ferme Hispaniæ patefecit, nouorumq; & magnorum Principum sobolem, ambiguo tum iure, publico deinde commodo.

Ferdinandus & Isabella Castella Reges.

CAPUT V.

Henrici Regis obitu, omnia in Castella mutauerunt, plurima pars ad Isabellam sororem translata est: non pauci in Ioannæ Principis fide persistenterunt, Villenæ Marchio, Areuali Dux, horum propinqui & necessarii: quoniam tutorum primi erant, regni nomine persones eam futurum existimatæ, regimen atque arbitrium rerum penes se, marito puelle de manu tradito: eo quem priuatis rebus (ea prima cura erat) commodum maximè iudicarent. horum auctoritatem totus ille tractus Castellæ, qui Toleto Murcia pertinet, sequitur: Calæcorum nobilium pars maxima, correptis etiam in Compostellanu Alfonsum Azeuedium Fonsecam armis à reliquis dissentientem. Segobiæ in foro, suggestu è lignis excitato Isabellæ coram ab iis qui aderant, sacramentum dictum, contactis more gentis sacris: mox regiis vexillis explicatis concusisque voce præconis nominibus in clamatis, Ferdinandus Isabellæq; renunciati Reges sunt. subsecutus astantium plausus. petitæ osculo manus. In trabea, equoq; imposta Princeps ad templum maximu deducta superis pro diuino munere gratias agit, vt iis quæ dederant adderent perpetuitatem precata. Magna tunc procerum solitudo Segobiæ erat: Dynastæ, quos magnates dicunt, nulli primi Hispaniæ Cardinalis, Beneuentanusq; celeritate fidem studiumq; vt probarent, Segobiæ festinarunt. ex interuallo Toletanus, Santillanus Marchio, Garsias Albanus Dux, Magister equitū, Præfectus Maris, Alburquerquisq; subsecuti sunt. ab aliis missi qui eo officio fungerentur, atq; ipsorū nomine in Isabellæ Principis verba iurarēt. Ferdinandus sacramentū dicere non placuit, nisi præsenti regniq; cōmoda & leges, gentis instituto, exēplo vxoris iurato. Erat is Cæsaraugustæ conuentib. Aragoniis districtus, atq; in studium pecuniæ in belli Ruscinonensis sumptus redigendæ intētus. Ea spes quoniam in longum trahebatur, nūciata Henrici morte, Ioanna sorore (paulo ante Ferdinando Neapolitano Regi erat p̄ta ex prioribus nuptiis cœlibi) pro se substituta præfectaque conuentui, continuo in Ca-

stellam iter arripuit, in doméstico dissidio ratus nihil celeritate tutius fore: vbi facta magis quā consulto opus est. Castellæ proceres fide & opera venali nisi magnis præmiis perstituti in officio non erant. Eo ergo Almasanum delato Ludouicus Medinae Celinæ Comes missº Fráncisco Barbastrio Vasconum regnum Annae vxori debitum affirmabat, Caroli Vianæ Principis filia. vitium natalium subsecuto cum matre coniugio, veniaq; Pontificum procuratum: de quibus rebus publicæ tabulæ proferebatur, veræ an cōfictæ non constat, magna sanè confidentia animi, maiori quam pro viribus conatu, nisi quid opis in Ferdinandō esset ad id imperium obtinendum, aliunde præsidia fore. Gallici belli nimis importunæ minæ, impudensq; postulatum. Itaque Barbastrio repulso, Turueganum continuato itinere peruentum est. Segobiam urbem obire distulit, dum opportunus ap- 1475 paratus adornatur. postridie noui anni Millesimi quadringentesimi septuagesimi quinti, rebus omnibus instructis, in urbem est receptus. summi, medii, infimi dixere sacramen- tum manus regias deosculati. De forma regiminis controuersia excepit. Isabellæ aulicis negantibus Ferdinandum ad aliquam reipub. partem accedere fas esse, ac ne Regis qui- dem Castellæ nomen adscribere. de qua re ē Neapolitano regno, non vnum exemplum proferebatur: utraque Ioanna imperante, viros regio abstinuisse nomine, coniugio con- tentos, atque eo honore, quem Regina vxor deisset. Magna ingenia in ea contentione iactata. Aragonii contra tendere: atque nulla Henrici virili prole disputabant ad Ioānem Aragonium stirpis maximum rediisse res. Verū id Francorum moribus legeq; sanctum, facile eludebatur, multis tum nouis, tum antiquis exemplis prolatis, Ormisindæ, Odisin- dæ, Sanctiæ, Vrracæ, Berengariæ: quibus ad foeminas rerum in Castella summam rediisse s̄æpe constabat. Ergo eo conatu destitere. Inter virum & vxorem fœdus his legibus est scriptum. Ut in regiis tabulis, edictis, moneta, Ferdinandi prius, deinde Isabellæ nomen exprimeretur. Contra in communī clypeo, Castellæ insignia Aragoniis potiorē locum occuparent. hoc gentis prærogatiuæ, illud viri dignitati datum est. Isabellæ nomine arces obtinerentur. Eius sacramento tesseraq; quæstores vestigalia regia administrarent. Sa- cerdotia viriisque nomine, Reginæ voluntate darentur, modo viris literatis. Ab ambo- bus cum uno loco essent, iura populi peterent finitimi longinquique: disiuncti, quo loco vterque esset, suo nomine ius diceret. aliis urbibus, & prouinciis, is penes quem esset regius senatus. Idem ordo Prætoribus iuridictuō creandis seruaretur. Graues hæ condi- 30 tiones Ferdinandō fuerunt: à s̄abditis, vt acciperent, leges dici. Sed patientia firmato im- perio, omnia sui arbitrii fore iudicabat. Simul Isabella Princeps pro insita prudentia, ægru- , , viri animum accommodata oratione deliniisse memoratur. Suscepta de iure regni disce- , , ptatio non minus mihi molesta accidit & grauis. Quid enim itra imperandi distinguere , , necesse fuit, inter quos amor castissimus & sancti coniugii nexus constringit corpora, ani- , , mos, fortunas? Sit coniugibus aliis liberum, secretum aliquid à viris habere propriumq;: , , in cuius me ipsam potestatem animumq; contradidi: decus, opes, sceptræ, vitæ non com- , , municarem, tantumq; in mutuum amore m. nefas committerem? stulta sim, nisi vnum , , omnibus imperiis maioris multo facerem. Vbi ego Regina, tu Rex, hoc est, rerum omni- , , um domi forisq; (nihil excipio) moderator, & arbiter. Hæc nobis sententia stat, æternū- 40 , , que animo stabit, utinam tam felix quam certa, piaq;. Tempori aliquid dandum fuit: le- , , guleiorum studiis in umbra, otioq; magnum prudentiæ nomen velantium. Rebus geren- , , dis si hac contentione aulici & proceres aliquid se promouisse credunt, næ se sua opinio- , , ne delusos breui sentient. nisi te volente nihil impetrabunt, honores, magistratus, opes, , , præfecturas. Duo tamen in hac molestia commode accidisse arbitror. Cautum filiæ com- , , muni, quā tuum ius asserēdo à paterna hæreditate exclusam oportuit: quo quid iniquius, , , nobisq; ipsis molestius contingat? cautum in omne tempus Castellæ populis: nam hono- , , res, regni arces, vestigalia, magistratus cæteris credere, neque ipse velis neq; sine inuidia , , gentis motuq; contingat. Id nisi placet, tua sum: de me, pro voluntate, proq; arbitratu- , , tuas licet. Hæc summa votorum est, destinataque voluntas. His verbis placatum Ferdi- 50 nadus animum ad rem publicam retulit, superiorum temporum perturbatione, & immi- nenti noui dissidii periculo multis partibus iactatam.

Lusitanus Ioanne causam suscipit.

CAPVT VI.

Ferdinandum principem, Alfonsumq; Lusitanum vno tempore Villenæ Marchio ha-
bere ludibrio visus est, non minori quā pater ingenio, neq; maiori fide, in eā se partem
daturus,

datus, vnde certior spes ostenderetur priuatas familiae opes augeri: quarum prima eu-
 ra erat, nulla famae memoria, ne æquitatis quidem. Petebat à Ferdinando, vt eius ope du-
 obus æmulis quasi vitio creatis loco motis, ipse legib. auspicioq; D. Jacobi Magister sub-
 stitueretur. graue postulatum: hominis nunquam fidi potentiam immensum augeri eo
 adiuncto principatu, mite tamen responsum datum, temporiq; conueniens. Si Ioantiam
 sequestro traderet idoneo coniugio elocandam, haud moratuos spern. ille præcise factu-
 rum se negare: neque commissurum, vt fidem falleret Hérico Regi de filiae salute datam.
 Eius ut patrocinium susciperet iure propinquitatis tutorum primus, temp publicamq; ca-
 pesseret per fidos homines Lusitanum hortabatur. molliciem metumq; accusare: testari
 superos, monere ne innocentem ætatem, regiam puellam ex sorore natam Rex opuletus
 & maximus in periculo desereret. Superesse gentis studia, superesse procerum, eruptura
 cum occasione maiora. Ducem magis quam voluntatem deficiendi deesse. Erat Lusita-
 nus Stremotii ad regni fines, quo tempore Henricus Rex obiit. De rerum summa, Ville-
 niiq; postulatis consilio habito, variae dictæ sententiae. Plurimi bellum decernebant, con-
 tinuoque armis in Castellæ fines penetrandum, vaniloqui, feroce, procace, neque bello
 neque pace boni. Ingentes thesauros pace congestos, peditum equitumq; nubes, nume-
 rosas mari classes iactant. Ioannes Lusitani filius eius consilii præcipitus auctor, belliq; fu-
 nesti concitator, pro insita iuuibus audacia terribilitateq; præcep. Vnus Ferdinandus
 Brigantinus Dux ætate grauis, cautior prudentiorq; quod alii metum interpretabantur,
 amoremve in Isabellam propinquam, fratri neptim, resistendum iudicabat: neque teme-
 re sumenda arma. Villenium, & necessarios eos esse, qui paulo ante contra Henricum
 Alfonso fratre Rege proclamato, Ioannam quasi adulterio natâ repudiassent. Quod qua
 nunc fronte, quo nouo arguento mutarent, nisi venali pretio fide, vnde maiora præmia
 extarent eo vela daturi. Quas arces obsidum loco darent, fidem pari leuitate non muta-
 tuos, si maiora præmia Ferdinandus polliceretur? Qui populi conceptam animis opini-
 onem euellerent, Ioannam illegitimis natalibus esse, ab ipsomet Alfonso Rege confirma-
 tam, cum Isabellam coniugem expetiuit, Ioannæ oblatas ab Henrico nuptias constanter
 repudiauit. Mentiendo nimis iactandoq; vites, quas non habent, vana spe inflant, in-
 flatique ipsi sunt. Timidi canes vehementer latrant: modici sæpe torrentes, quam altissi-
 mi amnes, cum maiori sonitu fluunt. Eos proceres, easque ciuitates suam sectam esse secu-
 turos affirmant, quos certò scimus, qua fide Henricum fecuti sunt, eadem Isabellæ cau-
 sam complexuros. Vtinam rerum statum subiicere vestris oculis possem, & vt corpora sic
 animi conspicerentur: Villenii vanitati minus credendum iudicaretis. Vera hec esse pru-
 dentissimus quisque iudicabat. vicit tamen plurimorum sententia: quæ iniquissima con-
 ditio est, dum numerantur in consilio suffragia non ponderantur, apud Reges etiam re-
 rum arbitros. Prius tamen quam se commouerent, Lopus Alburquerquis ad conside-
 randum rerum statum missus, multorum procerum syngraphas abstulit, Eboramque ad
 Lusitanum adduxit fidei testes, si Ioannam Principem sibi connubio iungeret, tempore
 haud defuturos. Toletani alienatio commoda conantibus erat. Is multos annos in aula
 Regum assiduus, quæ res minus verendos magnos homines ipsa satietate facit, otii cupi-
 ditate (sic videri voluit) Segobia se subduxit Februarii die vigesimo, haud obscurè iratus
 nouis Regibus: à quibus inanispe lactatum se esse conquerebatur, nullis præstitæ operæ
 præmiis, contra exhausto patrimonio, magnisque sumptibus factis, vt ingratius Principib.
 regnum quasi de manu daret beneficium suum. Præterea Cardinalis crescentem grati-
 am malignis oculis aspiciebat, omnium apud Reges arcanorum arbitri, moderatorisque:
 Ad eum sanandum frustra conatus adhibitus: cum minaretur potius intellecturos æmu-
 los quanti constaret Toletanum Archiepiscopum iniuriis violasse: læsa irritataque pati-
 entiae suæ quantæ vires essent: inanes etiam fratri Petri Acunii Buendia Comitis preces
 obiurgationibus mixta fuerunt, ne se & familiam perditum iret obtestantis. dubia spe in-
 certum præcipitare periculum. Superbum ingenium, immodicamq; lingua magis monitis
 irritabatur: ac præsertim Ferdinandus Alarconius, quæ è domesticis vnum maxime inti-
 mum ingenii væcordia effecerat, incauti Principis auribus insidiando, noua identidem
 implebat eius animum ira.

Lusitanus se Regem Castellæ dicit. C A P. VII.

Mout Toletani discessus, præcepq; alienatio animi, iniecitque curam: ne suscep-
 aduersæ partis patrocinio more suo remp. turbaret ardenti vir ingenio, inquieto ani-
 mo, magnis opib. eo maiori studio præsidia ab omnib. conquisita, domestica externaque:

sanandi proceres cura præcipua. Henricus Aragonius ad officium est pertractus Segor-
 bio, Emporitanisq; restitutis, eorumque quæ commiserat venia data. cum eo Beneuen-
 tanus amitus in fide confirmatur. vtrunque eo procliuus factu fuit, quod coniugii ab
 Henrico Rege pacti spes intercisa erat, Ioanna Scalona, vbi tenebatur, Castra Iulia aman-
 data, quasi ad Lusitani nuptias: quem Villenæ Marchio Aragoniis viribus opponere co-
 gitabat, distractis bello Gallico, & intestinis Vasconum motibus Perpiniani supremo pe-
 riculo. Quod oppidum ex diuturna obsidione oppressum malis omnibus, nulla auxiliū
 spe, ad deditioñis conditiones compulsum est, pridie Idus Martii: legatis quos detentos
 in Gallia diximus, libertate concessa, oppidanis facultate, vt cuiusque mens esset disce-
 dendī, resistendive. semestres inducię inter vtranq; gentem additæ. Ad Gallū à Ferdinā-
 dō de pace Ruscinonensiq; principatu per conditiones restituendo, legatus benignū re-
 spōsum tulit, amplissimaq; promissa. Si Ferdinandi filia Delfino nuberet, tantum se copia
 rum suppeditaturum annuæque pecunię, quantum ad Castellæ motus pacandos, re-
 gnumque confirmandum satis esset. De Ruscinonensi principatu non recusaturū iuris
 disceptationem, quod dati arbitri iudicarent id ratum habiturum. In eam rem Guillel-
 mus Garrus è Gallia missus benignis auribus audiebat, magno Aragonii dolore: qui se
 inscio res tantas moueri per literas accusabat. Vrebatur maxime acre Toletani ingenium
 alienatum esse: verebaturque ne delecto is Rege alio, rufus sui munieris remp. facere
 tentaret. Serum consilium erat, vñque adeo exulceratis volūtatisbus. Lusitanus se ad regni
 fines ostentabat cum validis copiis: in quibus equitum quinque millia erant, peditū mil-
 lia quatuordecim, instructi omnes militaribus armis, vincēdi confidētia maxima. Quod
 erat proximum, desperata concordia bellum à nouis Regibus cōparatur. Cabrera quod
 eatenus facere distulerat, vt maior muneri gratia esset, amplioraque præmia, regios the-
 sauros tradidit, belli subsidium certissimum. Moia illi ad Valentinos fines Marchionis
 nomine nobile municipium, sed modicum datum est. Chincbionum in Carpetanis
 Comitis honore, arcumque Segobiensium Præfectura iure perpetuo accessere, meritis
 fideique constanter cultæ debitum præmium. Nam si verum fateri conuenit: parti reten-
 tique imperii Ferdinando & Isabellæ Regibus magna pars Cabrerae opera & industria
 fuit. Segobia cum Reges in belli curam intenti discessissent, Medina Campestris in po-
 testatem venit, forum rerum venaliū vniuersa Hispania maxime celebre, eoq; idoneum 30
 noua pecunia à mercatoribus redigenda. arcem Albanus eximia in nouos Reges fide ve-
 nientibus tradidit: Vallisoletum copiæ militares euocatae erant. eo Reges concesserunt.
 confluebant in dies copiæ equitum peditumq; neque numerosæ, neque validæ. Partita
 rerum cura Ferdinandus in Vlteriori Castella substituit: vbi maiora gentis studia erant.
 Isabella in Carpetanos abiit Toletanum si facultas esset sanatum. Vitauit ille congressum:
 Briocamq; Compluto discessit, exiguum oppidum, sed loco & opere munitum. Literas
 interceptas accusabat, quibus vitæ suæ insidias fieri constaret. Ne Velascus quidem Ma-
 gister equitum ad eum sanandum à Regina missus quidquam profecit. Suscepit itineris
 operæ pretium fuit, Toletum in fide confirmata, præsidiis à Regina dispositis, vt res at-
 que tempus monebat, Cifontano & Ioanne Ribera ex ea vrbe pulsis, quos Tolentano esse 40
 addictos erat exploratum. Madritum vitatum arce in Villenæ Marchionis potestate. His
 rebus confectis Segobiam Isabella rediens, argentum aurumque regium rude factumve
 in formam pecuniae mutauit. Quo tempore à Ferdinando Salmantica in fide confirma-
 ta est, eius in eam vrbem aduentu, direptis aduersæ sanctionis ciuium ædibus, quorum
 erat magnus numerus. Zamora eadem felicitate venienti portas aperuit, pontis præsidio
 à Francisco Valdesio priuistradito. dedita arx non est, eius præfecto Alfonso Valentia Vil-
 lenii propinquo & necessario. Vim experiri longum erat. Taurum locis vicinam vrbem
 adire non est visum ob incertam Ioannis Vlloæ primarii ciuiis fidem, ad Lusitanos pro-
 cliuis, non tam Ferdinandi odio, quam metu supplicii: quippe regium consultorē pere-
 merat & multis aliis flagitiis erat obnoxius. Regibus Vallisoletum reuersis, Alcarassum 50
 oppidum ad eorum imperium subiunctum est. Villenii imperium recusantes oppidani
 arma corripiunt: arcem obsident. missi eo à Regibus Comes Paredius, atque Alfonsus
 Fonseca Caucæ regulus cum sibi cognomine Episcopo Abulensi. Horum viribus Ville-
 nius, qui ad famam rei gestæ cum copiis accurrerat impar, conatu dissipandæ obsidionis
 destitit. eoque ardenter studio Lusitanum vt festinaret, datis ad eum literis monet: fa-
 cto non consulto in tali occasione opus esse: seque si adiuuaret languentibus aliis aduer-
 sarios oppressurum. Accepta iniuria irritatus, ferociaque maximum bonum in celeritate
 putabat. Erat Lusitanus ad Pacis augustæ fines mense Maio. Quibus diebus omnino ad
 quintumdecimum Kal. Iunii, die Louis natus ei ex filio nepos Olisipone est, cui de aui ap-
 pellatione

pellatione Alfonsus nomen fuit. Breuis ætas auti regni spes intercepit. sacramentum tamen dictum illum defuncto quamvis patre heredem auo futurum. Ex iis natalibus inter Lusitanos quidam expeditionem auspicatam fore ominabantur, fatum esse regno Castellæ potiri, leues homines & vani, nimium spei indulgentes, delusi euentu terū. Ad Pacem Augustam Feriæ Comes erat in armis, fidus Ferdinando, Seria oppido iis locis capto de aduersariis (Xerez nunc vocant.) Ad dextram Lusitani deflectendum fuisset, ubi Carmo, Astigis, Corduba, causæ fauebant, ut capta Hispali nihil hostile à tergo relinqueretur: ad laeuam verso itinere per Alburquerquii & Vectonum fines Placētiam peruenire, modicam vrbem lātissima soli facie, cælo graui. In ea vrbe Ioanna in Lusitani manus conuerit, celebratis sponsalibus. toro ne iungeretur, religioni datum est, priusquam propinquitatis vitium, venia Pontificum remitteretur. Iis tamen Regibus Castellæ proclamatis regium insigne est impositum. Lupus Alburquerqui in ipsa lātitia Penamacoris Comes creatur: ut esset gratia meritis, atque labori prehensandis Castellæ proceribus sumpto. Iura quib[us] causa nitebatur de scripto promulgata, atque in omnes partes missa sunt, prolixo codicillo comprehensa, verbis haud obscure in Reges aduersarios cōtumeliosis. Hæc in exitu Maii mensis gesta sunt: simul de ratione belli deliberatū, in quā partē primum impetum darent.

Zamora à Lusitano capta. CAPVT VIII.

Belli flamma multis vno tempore locis exarsit, certamine uti de regno par erat acerri-
mo, conatu supremo & maximo. Villenam & contributa oppida Valentinorum ma-
nus vexare ceperat. eo incolæ præsidio, & à Paredio Comite incitati, correptis consensit
armis in fidem Ferdinandi concessere: ea lege ut in Regum ditione perpetuo manerent.
Magistro Calatravæ Ciuitas regia erpta est, quam in Oretatis occuparat Lusitani par-
tes secutus nullo meliori iure. Ad fines Bæticæ, atque in Calæcis, ab vtraque parte in alte-
ros excursiones factæ & latrocinia præcipuo agrestium damno. à Petro Aluarado Tude
vrbis Lusitani nomine occupata est. contra Burgensum multitudine ad arma conserna-
ta, Lusitani partes secuti Enecus Stunica arcis Præfectus, atque Episcopus Ludouicus
Acunia impugnantur. Lusitani animus ancipiti sententia suspensus erat, incerti cui pri-
mū parti occurreret: aliis alio vocantibus, ut cuiusque res erant, proceribus maligne sup-
peditantibus, quæ prolixe erant polliciti, pecuniam, militem, commeatum, populis eam
militiam quasi infatistam auersantibus. Ea res nouam inuidiæ flamمام apud Lusitanos
accedit. mens eorum & conatus labare cepit, præsertim cum Ferdinandus, cui vix quin-
genti equites erant quo tempore Lusitani primum in fines irruperunt, firmissimas copias
numero, & virtute habere nunciaretur, equitum ad decem millia, peditum ad triginta.
Ad Tordesillam, ubi statua erant, lustratus recensitusque exercitus est, ad prohibendos
Lusitani conatus ardenteribus cunctorum animis, accensis studiis. Reis constituta Areualum
prius, quod in fide erat, inde Taurum petiit, aduocante Ioanne Vlloa, præterea Zamoræ obtinendæ spe. Neque defuit euentus. vrbem vtramque Lusitanus occupauit sine
sanguine. Locorum commoditas inuitabat, commeatu importando: donea: quoniam eæ
vrbes ad Portugaliam fines sitæ sunt. Eo incommodo commotus Ferdinandus, continua-
to itinere ad Taurum positis castris per fecialem Lusitanos ad pugnam prouocauit, ardē-
ti homines ingenio: certo periculo, si in aciem prodirent, quoniam minori numero erant,
quinque equites millia, pedites ad viginti millia, sed lecta Lusitanæ pubes Castellæ in-
crementis aucta: si detrectarent, minori deinceps audacia, bellique laude. Cautior Lusi-
tanus copias dissipatas excusare: ad singulare certamen prouocare: in quo minus pericu-
li erat, cunctationis maior occasio. non ultra verba processum. Ferdinandus, triduo statua
eo loco habuit; nulloque alio moræ pretio pecunia in stipendum commeatusque
in opia pressus, quod itinera hostis occuparet, retro conuerso itinere Medinam Campe-
strem abiit. In eo oppido ordinum consensu concessum, ut ad belli necessitates templorum
aurum dimidia ex parte mutuum sumeret, rebus tranquillis integrum fide integræ
redditurus. Eo subsidio ad obsidem arcem Burgensem contendit. Varia regii disces-
sus & itineris retro conuersi relicta Tauto vrbē, opinio fuit. Plerisque metum & res in-
clinatas interpretantib. Toletanus ea etate cum quingentis equitibus motib. superatis ad
Lusitanum ire pergit: ne bello confecto desertæ causæ culpam incurreret, cuius se fau-
torem præcipuum fore professus erat, nihil fratris Comitis lacrymis commotus, atque
eius filiorum Lupi Casorlae Antelati, Alfonsique qui in patrii gratiam Pompelonensis
Episcopus erat creatus, Ferdinandi Petrique: quib[us] ægre erat patriū præcipiti temeritate
in certum periculum ruere. Toletano atque Areuali Duce auctorib. Lusitanus cū mille

& quingentis equitibus, idoneoq; peditum numero, ad dissipādam Burgensem obsidionem ire pergens, intra Baltanasiam arcem, quæ locis arduis impeditisque Pisoricam inter & Dutiū sita est, Beneuentanum ex deditione cepit: misitq; Pennafielem. Ipse satis se proficisse ratus ad fructum laudemq; præda latus, at diffusus ut pat Ferdinandō esset, si venirent ad manus, repente retro conuerso itinere, conatu abscessit Burgensem arcem iuuandi. Ioanna Zamoræ substiterat. Isabella Vallisoletæ, virili atque expedito animo Princeps, viri periculo permota, raptim iis locis delectu habitu, Palentiam est progressa, Burgos si opus esset cum idoneis copiis continuò aduolatura. Expectatione tantæ rei suspensos omnium animos, hostium repentinus regressus sedauit. A Castellæ & Aragoniæ Regibus legati Romam, quò maior esset auctoritas, viri principes, magnoq; numero, dato mense Julio senatu, mandata explicarunt: suosque Principes in fide officioq; fore sunt polliciti. Eatenu dilatum officium nouo Pôfici debitum, propter intestinos prouinciarum motus & graues, excusarunt. Benignè Pontifex respondit, rebus Aragoniis impense fauens, cum quibus sanguinem miscuerat, Leonardo fratri filio vrbis Præfecto, iuncta Ferdinandi Neapolitani filia notha. Agrè id Lusitanis oratoribus fuit: & controuersia nondum diiudicata affirmabant, debuisse eum medium personam gerere belli spectatorem, aut arbitrium non participem. Ad id remedium recursum, quo similes disceptationes fantas meminerant edictum, ne cuiquam Principi eo facto præiudicaretur. Legationis princeps Dezpuchius Monteske Magister, bellicæ virtutis & prudentiæ fama per omnes prouincias celebratus, nouis Italiaæ bellis parta: quæ ab Alfonso Aragonio Rege gesta meminimus sæpe eius ductu. Lupo is Semeno Vrrea, qui ipso tempore Siculis præfectus cum laude fuerat, defuncto mense Septembri, Rege deferente eum honorem constanter repudiavit, tantulum vitæ certus religionis & pietatis studiis dare, in cœnobium secedens non à bellicis tantum, sed ciuilibus muneribus. Ioannes Aragonius Cæsaraugustanus Præful diem obiit in arce Albalate ad Sicoris ripam, ad tertium decimum Kalend. Decemb. patre Rege Aragonio, materno genere haud ignobili, magna auctoritate, par opib. Uniuerso orbe hic annus celebris maxime fuit, venia seculari à Sixto Pontifice ad hunc annum, ac deinde ad quemq; vigesimum quintum redacta. Qua inuitati multi mortales Römam confluxerunt: in his Ferdinandus Neapolitanus, ætate ingrauescente maiori quam antea religionis studio.

Zamora Vrbs à Ferdinandore recepta.

CAPVT IX.

In anni Catalaunicæ gentis conuentus, Aragonius Barcinone agitabat senex strenuus, neque ætate, neque laboribus fracto animo, de vtroque bello sollicitus Gallico Lusitanoque. Nam violatis induciis Trahigerus cum Gallorū manu, per Ruscinonenses in vicinos Catalaunorum fines inuestus Laurentii fano capto, magnâ prouinciæ formidinem incusserat: prorsus ut quod in extremo periculo fieri consuevit, omnes, quorum ætas ad bellum esset idonea, editio ad signa euocarent. In Castella Lusitani arma vi gebant, spe allata nouas in Gallia copias comparari, inter eum Regem & Lusitanum numerico fœdere: quo studio, Anglus Gallusq; etenim infestissimi hostes in finibus Ambianorum ponte facto, inter se collocuti, pacem sanxerunt. Britannus etiam eo fœdere comprehensus est. præterea Burgundus Lüdouico Lucemburgio Magistro equitū Gallicæ, qui ad eum configerat, Gallo donato. Indignum facinus viri inconstantia excusabat, fidelique ex fortuna semper suspensa: qua sæpe vtroque ludibrio habere visus est. alii falsa inuidia laborasse affirmant, ex opulentia, ut sit nata. Sic sunt res & opiniones humanæ. Aduersus eas molitiones in Aragonia gente parum præsidii erat, diuturni belli sumptibus exhaustæ, angustis finibus prouinciæ ad artes conuerso ingenio, ab Aragonio mense Novembri inducæ usque ad mensem septimum instauratae cum Gallorum gente. Belli Lusitani cura Toletanus ad colloquium inuitatur. Quanta beneficia in regiam Aragoniam extitissent non ignorare: quod pat meritis gratia non esset redditus dolere maximè. si potitis tantisper offenditionibus sui copiam faceret emendaturos. Repulit ille Aragonii processus, perdenit aut pereundi obstinato animo: sæpe ut comminatum fuisse fama sit: Isabellam à se Reginam factam effecturum tamen, ut sceptra colo mutaret. Regibus Castellæ hominis offendæ curæ magnopere non erant verentibus, ne eo reuocato Cardinalis Hispaniæ, in quo tantum præsidii rebis erat, alienaretur, præsertim indies aucta potentia, confirmatis viribus. nam per idem tempus Villenjo Almagrum profecto, Ocania quam in ditione retinebat, orta populari seditione ab illo defecerat. Aduentu Cifontani Comitis, & Ioannis Riberæ in fide studioq; oppidanis confirmatis, id oppidum Paredio Comiti est resti-

est restitutum, quasi Diui Iacobi Magistro. Zamoram Ferdinandus ipse euocatus Burgis à Francisco Valdesio, qui turribus præfectus aditum se patefactum pollicebatur, occul tus venit: vrbeque in potestatem redacta supremo conatu, arcem quæ Lusitano præsidio firmata erat, oppugnare statuit, nisi re confecta non discessurus. De colloquio inter Aragonium & filium actum: Eleonorā etiam Vasconum Principe euocata. pacandi eius gentis tumultus erant ex Biamontensium & Agrimontēsum dissidiis, quæ fœminæ imperio maximè recruduerat. & cura Galici auxilii solicitabat: quod Iuōne Duce accedere nunciabatur: ac per fines Vasconum, ne ih Castellam irrumperet, & se Lusitanis coniungeret verebantur. Cantabros ne ea parte Galli inuaderent, locorum asperitas, comiteatus inopia, & gentis virtus satis tutari videbantur. Ferdinand ad Zamoram residente, fratris Alfonsi Aragonii cura & virtute, qui dudum cum quinquaginta equitibus delectis auxilio ex Aragonia venerat, Burgensis arcis præsidiarii milites spe defensionis abiecta deditio nem fecere ineunte salutis anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto. Isabella Regina, cui deditæ arcis laus est reservata, consensu vtriusque partis, in id Vallisoleto euocatur. Magnum id momentum fuit, vrbe regia, atque arce penitus exclusis Lusitanis. arcis præfectus est Dieghis Ribera, Alfonsi Principis institutione sorori Isabellæ gratus, carusq;. Madriti Ioanna Castellæ Regina deceffit ad sextumdecimum kal. Febr. quidam superiori anno dicunt Idib. Iunii. Corpus ad D. Francisci sepultum: tumulus è can dido marmore cum inscriptione constitutus defunctæ cernitur ad aram maximam, motis ex eo loco Roderici Gonsalui Clauigii cineribus: qui legatione ad Tamerlangem Scytham functus, eam templi patrem sua impensa constructam moriens sepulturæ delegit. Sic sunit ferum vices. tenuioribus etiam mortuis irrogatur iniuria. De obitu Reginæ vata & atrox fama fuit. quibusdam ex partu extinctam affirmantibus, plerique veneno Lusitani Regis fraude periisse malunt. Alfonsus Palentinus in hanc partem inclinat: ex partu fama tenuit in peiora vulgi opinione prona.

Pugna ad Taurum Vrbem. CAPVT X.

Restiterat in Lusitania Ioannes Lusitani Regis filius rebus Præfctus. Indole is animi, ætatis ardore, & spe victoriarum ferox, cognitis reb. quæ gestæ erant, fortunam partium inclinasse, in Castellæ proceribus haud satis præsidii esse: nouo delectu equites contrahit ad duo millia, peditum millia octo. sed minor pars militaribus armis instructi: cæteri ut quemq; casus armauerat bello haud vtiles admodum erant futuri. cum his copiis Ledesimæ ponte transmisso S. Felicis fano tentato, Taurum peruenit ad quintum Idus Februario. vbi pater tria millia quingentos equites, pedites ad viginti millia habebat, vicinis locis in hiberna distributos. In collectitio exercitu plus animorum & fiduciarum, quam vigoris & præsidii erat: sed ea tamen cura Ferdinandus cum Zamoræ arcem obsideret, minori multo numero, equitum ad duo millia & quingentos peditum duplicato numero, ex omnibus partibus copias militares euocat, nouo bello supplementum. Neque enim quieturi Lusitani erant, nisi Zamoræ arce liberata periculo, aut pugna commissa: cuius discrimen Aragonius vitandum omnino per literas & nuncios disputabat: monebatq; filium ne sortem totius certaminis subiret ardenti iuuenis animo. Quid enim in vnius pugnarum eventu, dubio anticipatiq; marte, rerum & imperii summam committeret? quid præcipitaret spes pulcherrimæ fundatas exiguo fructu, ut maximè victoria esset explorata? ætatis impetum ratione, consilioq; frænaret: parentisq; monitis obtemperaret, ob ætatem à multo rerum ysu cautoris. Erant cum Ferdinandō, Mendoza Cardinalis, Albanus Dux, maris Præfctus cum patruo Henrico Albæ ad Alistem Comite, Lemosii Comes, Asturicæ Marchio officio in Principem certantes. Validas equitum turmas ad Alahegium locis vicinum opidum Ferdinandi Regis patruelis Henricus, Alfonsusq; frater, præterea Treuigni Comes tenebant. Ipsa etiam Isabella è propinquo, quam posset opem latura viro, Burgis Tor desillam accurrit. Lusitanum quamuis tantis auctum copiis, haud ignarum, numero virtutem non respondere, anxium in diuersum arcis defendendæ, & vitandi periculi curæ trahebant. vicit tamen honesti cura. obsessis opem ferre constituit. In Vaccæis ad Durii fluminis ripam geminæ vrbes sitæ sunt, Taurus Zamoraque. quibus Romanorum imperio nominibus fuerint vocatae, sëpe est dubitatum. plures inuenio qui Tauro Sarabis, Zamoræ Senticæ, vetera nomina adscribunt: quos ut sequar, inclinat animus. Agro vberi, soli amoenitate atque prouentu, cæli salubritate nulli cedunt. numero ciuiū modico sunt. in plano sitas mœnium firmitas & arces muniunt. Zamora Episcopali sede est illustrior, ab ea Taurus sacra petit, alioqui nobilitate, cultuq; ferme par. modico dissitas inter se in-

teruallo, flumen ad austrum alluit, gemino lapideo ponte iunctus. Tauto egressus Lusitanus, cum speciem præbuisset recta aduersarios petiturum, mutato repente consilio transmisso flumine ad D. Francisci quod cœnobium in aduersa ripa est, è regione Zamore castra locauit ad caput pontis, quo aditus ex vrbe erat, tormentis etiam obiectis. Ita neque impugnationem arcis impedire poterat, interfluente flumine: neque pugna copiam faciebat. Verborum altercationib. tredecim dies sunt consumpti. nihil proficiebatur. Martii Kalend. die Veneris vasis ante lucem conclamatis discedit, Lusitanus pontis parte rupta, ne hostis insequi posset. Cognito hostium consilio Ferdinandus, cum copiis omnibus progreedi statuit. dum pons reficitur, multum temporis consumptum est. Aluarus Mendoza cum trecentis equitibus nouissimum hostium agmen carpere, atque pugna distine re iussus est. Sic acies hostium impedimentis graues Ferdinandus est consecutus, angustiis egressus in patentes campos, quinque millibus ab vrbe Tauro, vix reliqua exigua dici parte, nam præceps in occasum Sol erat. vitare pugnam hostis non poterat, Ferdinandus propinquo, angusto pônte, quo transitus erat. conuersis agminibus acies ad pugnam instruit. Locus æquior, subsidium ab vrbe vicinum, victis perfugium, noctis tenebre munimento futuræ faciebant animos. contrâ Ferdinando curam iniiciebant. Prudentib. certamen exhorrentibus, Ludouicus Touarius studio pugnandi ardens, contentaque voce.

Aut cedendum regno, inquit, aut dimicandum est. Opinione famaque virtutis imperia parantur, bellaq; constant. quid autem huc processimus, nisi pugnandi voluntate? quid detrectatum certamen, nisi metus significationem continebit? Tu quidem Rex, maëte animo, virtuteq; esto: hostes pauidos, & quia tenentur, ad pugnam conuersos, in ea fluctuatione animorum citius opprimes quam ventum ad manus erit. Hæc dixit. simul procerum sententiis exquisitis, pugna decernitur. Dato signo prælium ab equitibus incipitur. Erat in primo hostium agmine Ioannes Lusitani filius, octingentis equitibus pedites immixti, qui globos igneos disploderent. Eius impetum, Aluari Mendozæ agmen sustinere non potuit. fugati dispalatique equites sunt. Maius certamen inter Reges fuit. ibi aliquandiu est certatum. pugna nullo more prælii sed latrocinio similis fieri, sine signis, sine ordinibus. Ad regium Lusitani vexillum magnum certamen fuit. Sotomaior Almeida extorserat. confluentes ab vtraque parte milites concerpere. Almeida ipse capitul. eius arma in templo Toletano appensa victoriae monumentum in Regum facello visuntur, vexilli concerti vicaria. Ad extremum fugatis Lusitanis, Rex ipse cum paucis ad montes progressus non prius constitit, quam ad Castrum Nunni peruenit: & cum fugæ nulla indicia extarent, occisum fuisse creditum est. Fugientes hostes insequi non licuit, tenebris prospectu adempto. Henricus Alistis Comes ad Tauri pontem prouectus, in reditu ab hostium manu captus est: eorum, qui cum Ioanne Lusitani filio integri ad multa noctem in armis perstiterunt. Eam manum Ferdinandus, quamvis proximo cliuo occupato, inuadere consilium non fuit, suis dispalatis toto campo, atque ad prædam conuersis. vtriq; horis aliquot eisdem vestigiis perstiterunt, diutius Lusitani. Id solamen aliquod acceptæ calamitatis fuit, ignominia leuamen: quod historici Lusitani laudibus celebrant: atque à Ioanne Principe victoriæ esse partam affirmant. Sic semper Christiani nominis hostes vincant. Ferdinandus Zamoram se se retulit: eoq; digresso Lusitani Taurum abeunt. Toletanus prælio interfuit, Ioannis Principis à latere nunquam discedens. Cædes minor quam pro victoria fuit, neque captiuorum numerus magnus: præda maior direptis Lusitanis impedimentis magna ex parte.

Rex Lusitanus in patriam redit. CAPUT XI.

Multis vno tempore locis mouebantur arma: nullaq; ferme pars à belli malis immunitis erat. ex eo, vt fit, scelerum licentia confirmata. vniuersa prouincia milites vagari, dispersi per vrbes, oppida, & agros. cædes & latrocinia facere, vi & stupris cuncta fecundare, in omne nefas præcipites, atque venales. In magistratibus parum præsidii erat, aduersus eas calamitates. inter ciues, quod superiori tempore factum diximus, ad ea vindicanda scelera veteres societas instauratae, nouæ institutæ, militibus in eam rem de publico stipendio dato. Auctor salutaris consilii Alfonsus Quintanilla ærario regio præfectus, consilio bonus manuque. eæ societas optimis legibus astrictæ institutisque temperatae in vigesimum annum perstiterunt: cum externis hostibus vietiis, domesticis dissidiis compotis, rebus est redditia pax. Maior belli moles in extrelos Cantabros incubuit, ea parte cui Guipuscoæ nomen vulgo est. Ad Olarsonem promontorium in extrema Hispania, arx imminet Galliæ finitima, maritimo atque terrestri situ inexpugnabilis: cui Honrarribiæ

d'arribia incolis nomen est. firmissimas munitiones longa dies addidit Gallicis irruptionibus prohibendis, quibus saepe finitimi vexantur. In id oppidum à Gallicis copiis impetus primum est factus, ad Ferdinandi vires, quo tempore ad Zamoræ atcem assidebat, alio euocandas consilium callidum. Igneis tormentis, quorum confiendorum librando rumque gens Gallica peritissima est, mutorum pars maxima corruens cum fragore latè stragè fecit. Ruderibus completæ fossæ facilem aditum prebebant, exigua defensorum manu, atque iis, continuis vigiliis & laboribus imminutis. Dieghus Sarmétus Salinarum Comes, rerum summae præfectus, cùm se in eam arcem intulisset, quoduis periculum adire certus, obsecsis animus creuit, locorum asperitate ingenia quoque & corpora duratis.

10 Eruptione facta in hostium munimenta prorumpunt. Disturbatis operibus, euersis atque incensis machinis, quoniam bene prima successerant, nouis copiis subinde è Gallicis castris ad periculum accurrentibus, acie cum hoste dimicare non dubitarunt. maior redditus, quam accepta clades est, neque obsidio dissipata. Madriti arx quæ in Villenii iure erat, magnum factioni præsidium, ab oppidanis correptis armis obsecsa est. Petrus Arias, & Petrus Toletus primarii ciues multitudinem ad arma concitarunt. Missa a Regina auxilia sunt, affuit etiam Sanctillanius, quo maior esset auctoritas, vires maiores. Castra Iulia, Biatique vno tempore Ferdinandi nomine obsidebantur, in Bætica & Lusitania. In Contestanis Chinchilla, Almansaque orta inter oppidanos seditione defecerant: Valentinosque finitimos auxilio euocarunt, magno Villenii incommode, cuius ditione ea oppida tenebantur: tametsi eius industria in officio tum quidem persistiterunt. Aragoniis omnia secunda erant, aspera Lusitanis: eo amplius quod quartodecimo Kalendas Aprilis Zamo ræ arx dedita Ferdinando est cum tormentis & omni apparatu bellico. Alfonso Aragonii aduentus, vt ditionem maturarent, multum contulit, impugnandarum arcium scientia præstantis. Eo incommodo fractis Lusitanorum animis, vt extra periculum esset, Ioannes Princeps Ioannam riotercam amitinamque cum præsidio equitum quadringentorum, in Lusitaniam abduxit belli causam. cù pari numero Toletanus in Carpetanos abscessit, quasi vacillantes procerum mentes, & mutata repente voluntate locum gratiæ apud Ferdinandum quærentes, in fide confirmatus, re victus tandem, nulla victoria spe. A Ferdinando Cantalapetra in Segobiensi agro obsecsa: vbi Lusitanorum firmissimæ copiæ erant. ea tamen lege semestribus induciis ab eius oppidi impugnatione cessatum, si Villalba, Maiorga, Portillium, Beneuentano redderentur: quas arcis fidei obsecdes pro libertate dederat Lusitano. Vrcessiam Rodericus Manricus, qui se eius militiae Magistrum ferrebat, occuparat: arcem obsidebat, quoniam Villenii præsidio tenebatur. ab eo & Tole tano festinatum, si obsecsis opem ferrèt. nullo operæ pretio factò, repulsi cum ignominia, ac periculo sunt, tum Roderici patris, tum Georgii Manrici filii virtute: cuius hoc bello præclara rudimenta extiterunt. vitæ breuitas prohibuit, ne virtutis in dolem, præclarique ingenii lumen exereret factis: vti alio loco est commemorandum. Sic bellum terra gerebatur: neque mari quies erat. Lusitanæ litoribus Andreas Sunierus cum paucis Aragoniis tristis imminebat assueratque. Tot aduersis casibus debilitati Lusitani Regis, debilitati procerum Castellæ animi, quantum sibi virium deceffisset non ignorantium, quantum studii popularis, infaustam militiam auersati, pars multo maxima ad sanitatem redire cœperunt. Primus Arcuali Dux, Roderico Mendoza, cui præmium operæ in agro Toletano Pintus oppidum fuit, ad Isabellam legato illi sacramentum Madrigale dixit. Pro quibus supplicium metebatur, præmia amplissima retulit: ad veterem ditionem Alcantaræ Magisterium, de quo lis etat Alfonso Monroyo cum Ioannis Stunicæ Ducis filio, à regibus promissum, datumque. accessit Beatrix Paciecha Metellini Comes fratre Villenio cautor, fide haud constanti. Isdem diebus, omnino quarto Nonas Maii coniugium Ferdinandum inter Neapolitani Regis nepotem, & Isabellam Ferdinandi filiā, pactum est. In cultum puellæ ducenta aureorum millia à Neapolitano promissa: tantundem quarta minus parte à patre, si alia proles mascula in spem regni esset suscep ta. aliqui amplissimi regni spes dos esset. Fœderis maturandi occasio præcipua, ingens mutuæ pecuniæ vis oblata Ferdinando, magnum rebus momentum in earum rerum difficultate, ea inopia ærarii. Omnino Lusitanus ad eius reifamam, quam referentes, augebant, desperata victoria, temeritatem susceptæ expeditionis noua leuitate luere constituit, Castellaque deserta redire in Patriam. quoniam parum virium in domesticis opibus, parum in factiosis proceribus fore prouidebat, externa auxilia conquerire parat, Gallicaque arma in Hispaniam commouere. tentata tamen prius concordiæ spes, controuersiæ arbitrium Aragonio & Toletano permisurum profitebatur. Serum consilium lite martis arbitrio ferme diiudicata repudiatum. Marialba Comite Tauri cum præsidio relicto, ipse

tristis atque re male gesta de formis in Lusitaniam Iunii Idibus abscessit. Pauci exules ad omnem adeundam fortunam abeuntem sunt prosecuti, magis desperata venia, quam factio nis studio.

Lusitanus discedit in Galliam.

C A P V T XII.

Lusitani opes in Castella eius discessu magis etiam inclinabant. In Ruscino nensibus & Ceretanis Gallica arma motiebantur, initique foederis conditiones. Salsulæ arx munitionissima Narboni obiecta, firmissimum ea parte Hispaniæ propugnaculū, aduersus Gallicos impetus ex deditione à Gallis capta: Lebia in Emporitanis circumfessa. Externa iniuria, intestina discordia aucta est: Ludouici Mudarræ milites, quorum præclara opera extiterat in Perpiniani obsidione, secessione facta tumultuantes, non tam nocendi voluntate, quam ob stipendia multorum mensium non soluta, nonnullis oppidis captis ad armam spectare cœperunt: ac periculum erat, ne Gallos in societatem asciscerent. Non ante ea tempestas sedata, quam iustum auri pondus se breui persoluturos, à regiis Ilerdæ datis prædibus est cautum. Gallicæ excursiones prohiberi non poterant, exhaustis gentis viribus, Rege Aragonio longinquo, atque in Vascones profecto: vbi intestini partium tumultus nihil remittebant, meliori Beumontiæ factionis fortuna, à quibus Pompeio regni caput obtinebatur, Stella erat obsessa. His Ferdinandus fuisse magna Aragonii Regis molestia. Sed ne Gallis ea parte aditu patefacto nouam tempestatem in Hispaniam attraherent, erat prouidendum. quibus erat persuasum de Vasconum imperio Ferdinando tradendo inter eum, Eleonoram, & vtriusque patrem Aragonium Regem consilia agitari: excluso Francisco Phæbo, quem ex Gastone Fuxesi ortum diximus, Eleonoræ nepotem. Vt eos motus pacaret, Ferdinandus in Cantabros abiit de Hôdarribiæ periculo solitus, euocare auxilia parans, compatere classem: cui Latronem Gueuaram nobilissimo loco natum præfecit. Patrem vt Victoria accederet ituitauit. Isabella Tordesillæ substiterat: quod oppidum Durio alluitur, & Lusitanorum excursionibus prohibēdis erat idoneum. Trecentorum equitum præsidium aderat ductore Alfonso Aragonio leuiro. Repetebat ille Calatrauæ Magisterium annis superioribus ablatum, neque magna neque nulla spe: nam Gironios conciliandi, præcipua Regibus cura erat. æger mora impatientiaq; Eleonoram Sotum, quam adamare cœperat in Isabellæ obsequiis versantem, quamuis inclinata iam ætate vir vxorem duxit, professa castitatis lege à Pontifice Romano solutus. optimo sane publico ambitio importuna de Magisterio sublata est. quod molestem Aragonio patri accidit. adeo vt Ioanni, quem ille furto generat, Ripagorsam atque Villaformam patri detractas daret: quas illi Rex adduxerat vindicato Iacobo Aragonio & occiso Barcinone: qui patris Iacobi Alfonsique avi Gaudiæ Ducis iura, & secundum ea duo illa oppida repetebat, ferox conatu audacia extiali. Ea maiorum meritis & nobilitati gratia fuit scilicet. Arx Segobiensis, vbi Isabella Ferdinandi filia erat, circumfessa in ciuum tumultu, ac ferme capta nunciabatur. Seditionis auctor Cabrerae ex re priuata infensus ob ablatam eius arcis præfecturam, Alfonsus Maldonadus, adiutoribus Ioanne Aria Episco po, & Ludouico Mesa ciue primario. Isabella non magis filiæ, quam arcis periculo permota, citato itinere ad incendium accurrit. Sic tranquillitas rebus & vrbi restituta est, seditionis quæ pulsis quæ iudicio vindicatis. mense Augusto id gestum est. Quo mense Aragonius, cùm pede altero æger distulisset, Victoria accessit. Nullus dies iucundior seni accidit. maximū vitæ fructū cepit, cū filiū aspexit, vnde ipse fuerat ereptis bonis omnib. cū ignominia reiectus, Castellæ Regem effectum. Et ô superi, inquit, vt huius diei lætitia pro pria sit, facite. nulla molestia obscuret, nulla calamitas. & quoniam fortuna ad summum perducta retro volvi consuevit, date, vt mutationem eius ipse potius priuatim, si quid est peccatum, si vindicare paratis, sentiam: quam publico incommodo, aut filiorum calamitate luatur. Hæc lacrymis toto ore manantibus precatus, in filii complexum ruit, primum honoris locum deferens, prohibito dextram deosculari, ad læuam assidens, atque ad hospitium usque comitatus. Id Castellæ maiestati datum. Aderat Eleonora Vasconum Princeps, magna spectaculi pii, atque susceptæ lætitiae pars. De rebus communibus consultatum: ac Aragonium constituisse scribunt, Aragonium imperium filio de manu tradere. quod in ea ætate verisimile est otii cupiditate tentatum: destitisse tamen ob Castellæ motus nondum compositos. Colora Gallicæ classis præfectus, Cantabriæ & Calæciæ littoribus tentatis, euastatisque in Lusitaniam discessit, vt Regem Lusitanum in Galliam ea classe veheret. Ad Olisponem is erat, rebus omnibus, quæ ad profectionem opus erant, comparandis intentus. Inde cōscensis nauibus in Africam nauigauit primum. Duo Bri gantini

gantini filii euntem prosecuti sunt, Comes Penamacoris amicorum princeps, Ocrati Prior, Ioannes Pimentelius Beneuentani frater: præterea duo millia, & ducenti milites Tingi Arzillæque præsidium. Septa soluens Illiberim tenuit mense Septembri: qui portus in Galli potestate erat. Inde Perpiniani, & Narbone regio cultu exceptus est. Lusitani aduentu maiori impetu concursum ad arma in Ruscinonensi tractu est. A nostris Laurentii fānum receptum: à Gallis Emporitani fines vsti, direptique. Domesticis dissidiis tumultabantur prouinciales, eoque aduersus exteritam vim nullo cōmuni consensu. Quo tempore Aragonius se victoria Tudelam Vasconum oppidum retulerat, in vnam curam tumultus eius gentis pacandi incumbens. Ioanha eius filia in Catalaunis pro patre res gerens, imbecillitatis conscientia bellum auetsabatur. ablata tantum iure faciali vtrinque reperita frustra: & inducias tamen tenere placuit antea pactas. Lusitanus pedestri itinere Turonum urbem tristis contendit: vbi Rex Gallus ea tempestate erat. splendide acceptus atque habitus die constituto secundum salutem hac sententia locutus fertur. Cogor prius oneri, quam vni esse, quo nihil in vita molestius accidit. Sed bonis tamen nostri regni rebus gratorum sociorum officio functi s̄ape, munus tamen officiumque nostrum vestris meritis mirius fuisse scimus, fatemurque. Hæc mittantur. Est enim foeda meritorum miseria in ærumpna iactatio. Nullæ mihi cum Rege Siculo inimicitæ sunt, nisi quæ publicæ: nec gentem Aragoniam sed scelera sed latrocitium persequimur. Ereptus Ioannæ sponsæ ex forore natæ paternus principatus, opesque, proli dedecus indigtitatemque omnium gentium armis vindicandam, belli sumendi imposuit necessitatem, infelicitis ha-
ctenus. sic est cælitibus visum, tristes s̄ape casus solitis læto exitu mutare. Quod in tua manu Rex iniuste situm est. tu iusto pioque dolori mederi vnius potes, & in nostris malis vestras etiam iniurias vindicare, bellum Ruscinonense & Cantabricum optato exitu terminare, Vascones è faticibus eripere autidissimi tyranni. An eo imperio occupando, rationes defuturas creditis ei, qui dotale imperium armis inuasit, eripuit, oppressit nullo comodiori iute? An facultatem, Castellæ & Aragoniæ præfidiis circumfesso, regionibus modico: Erratis si vllis finibus ambitionem resistere putatis. Scimus autem & lectissima pube Galliam abundare: Neque vniuersæ quamuis Hispaniæ collatas vires, pares vñquam fuisse. Neque nos ita destituti sumus, tametsi supplices vestram opem imploraturi, tatum laboris suscepimus. supersunt integræ Lusitani regni opes, in Castella studia partium par-
tim aperta, plura cum usus erit, & victoriæ spes maior, eruptura. Vestris tantum auspiciis bellum, quod iam est inchoatum, geratur. Nihil vanitatis in nostra oratione est, & alio-
qui supplicibus Regibus opem ferre, malis publicis mederi, commodis omnibus, si nulla ostendetentur ut sunt maxima, honestatem, dignitatem, officium præferre, quorum nisi magnorum Principum, quales vos estis, munus est? Ad hæc Gallus pauca: sibi id curæ forte respondet, daturumque operam, ne frustra ad suam opem configisse videatur. Verbis facta non responderunt. Lutetiae quo discessum est vrgenti Lusitano belli gemini necessitatem aperte excusauit, cum Burgundo Angloque instaurati, ac maiori erumpentis impetu. Præterea lege propinquitatis irrito coniugio pia arma non fore. sic Lusitani conatus delusi sunt: et si Burgundo is cognitione propinqua, nempe amitino & foedere iunctus ad eum profectus pacis vniuersæ se interpretem auctoremque offerebat, nihil feliciori conatu. Nouo Castellæ commido in Gallia mouebantur arma. Ad Hondarribiam enim in ea rerum Gallicarum difficultate inducia à Gallis concessæ sunt, breues primo, terraque tantum, deinde agente Cardinali Hispaniæ longiores & sine exceptione.

Taurus de Lusitanis capta.

CAPUT XIII.

R Eges pater & filius Victoria disgressi, rursus ad sextum Nonas Octobris Tudelam contuenere, si Vasconum tumultus componerent. Habebat vtraque pars suas clientelas & domesticas & externas: in aulis etiam eorum Principum factionum studia gliscabant. Euocati Lerini Comes & Magister equitum Petrus Peralta factionum capita, se & suos in auctoritate Regum fore professi sunt: quod illi sanxissent habituri ratum, si fallebant, dira caput suum obtestatione execrati. à Beamontiis etiam Pompeo Ferdinandi fidei quasi sequestro cōcredita, ab aduersa factione arces aliae Aragonio contraditæ sunt. Aderat Alfonsus Carrillius Buendiæ Comitis frater Pompeo. Episcopus. Molestæ ex molitiones Magdalenaæ Fuxensis iunioris vxori acciderunt, coitionem & dolos suspicatae, ac de filiis solicite: ne hereditate paterna excluderentur. Berengarius ad eam legatus constitutæ concordiæ causas & conditiones explicuit. Debere illam bono animo esse: de Regib. patre & filio secunda omnia expectare. Periculi amplius ex Gallia impende-

re. ne se in fraudem induci pateretur iungendo cum ea gente vires ad Hispaniam intendantam. Esse quidem Gallum fratrem: cum Aragonio & filiis maiora necessitudinis iuria suppeteret. Ad hæc illa pro benevolentia proq; officio gratias agere. De fide dubitasse nunquam: neque à fratre, de viribus sociandis appellatam. ne commissuram quidem, ut necessitudinis cum vtrisque initæ obliteretur: & si facultas sit, pacis potius quam armorum auctorem fore. In medio conatu Vascones pacandi, noua lætitia accessit. ad tertium Nonas Octobris legatis vltro citroque comitantibus, coniugii leges ipso in oppido firmatae sunt, Neapolitanum inter & Ioannam Aragonii filiam antea pacti. Sponsalia Ceruerae præbita in Catalaunis, vbi sponsa res gerebat: ipsaque Neapolis Regina salutata est. Nouis nuptiis ea regia vacua effecta erat, Beatrice Neapolitani filia ad Matthiæ Hungarum, cui erat desponsa, nauibus amanda, præstanti probitate pudicitiaq; vtre infœcundo, geminis quamuis nuptiis initis: his & deinde cum Ladislao Rege, qui in Matthiæ locum est annis in sequentibus subrogatus neque pari virtute, neque felicitate. Non cessabat interea Isabella Regina. Taurus vrbs à Castellæ copiis, ductoribus Alfonso Fonseca Episcopo Abulensi & Friderico Manrico Roderici filio, nocturna vi, furtoque capta est. pastor quidam Bartholomæus nomine aditum in urbem monstrauit, qua parte colle munitione minor custodia adhibebatur. Repatrata circumfessa arx est. aduolauit ad rei gestæ nuncium Isabella Segobia: vbi priori seditione pacata, ciuibus confirmandis districta erat. Eius aduentu Maria Ioannis Villoæ vxor defensione desperata arcem dedidit quarto-decimo Kalend. Nouembbris. Gener Marialba Comes vicina arce relicta, cui Villalfonso nomen erat, cum paucis qui supererant, Lusitanis militibus, magnis itineribus, notisque tramitibus in Lusitaniam abscessit. Magnum erat opere pretium factum. Supererat Castrum Nunnium, vnde Petrus Mendania latissimè prædas agere, & omnia circum infesta reddere, vir ardentí animo, magna militari scientia. Vt Taurus est capta, in eam arcē promotæ copiæ sunt. tormenta atque alia impugnationi idonea aliquot dierum labore eo deuicta. si de hostibus esset recepta, omnia eo tractu fore pacata sperabant. Verum conatus ille inanis fuit. De Toletano, & Villenio conciliandis agebatur. Villenius æquorem se præbebat: videbaturque supplex à Ferdinando pacem legesq; accepturus modo æquas, & Villena, ac viginti amplius oppidis quæ eo tractu erant, ablata, restitutis. Toletanus du riorem se præbebat: tametsi Aragonius non desistebat filium obtestari, vt tantum virum bonis malisve conditionibus pacaret: inconstantiam fortunæ vereretur, ex summo sæpe retro conuerti solitæ, ac verò præcipitare. Prioribus meritis, quæ maxima fuerant, nouas offensas condonaret. eo pacato Lusitani factionem penitus debilitatum iri. Rei perficienda nondum maturitas venerat: & iam tamen appropinquabat. Venia certè Villenio promissa, atque ditio vniuersa, arcibus quæ Madriti, & Castris Iuliis obtinebat, Ferdinando restitutis. Idem Toletano datum: quæ spe Lupus Acunia eius ex fratre natus Optam dedidit, quam Ducis nomine Henrico Regi extorserat in ea temporum perturbatione, labique. Interea duo magni Principes pari prope fato vno tempore occisi sunt, Galeatus Mediolanensis, Carolus Burgundus. Galeatus ad aram D. Stephani, eius memoria die celebri paucorum coniuratione, priuatos dolores vlcifcentium, effusas Principis libidines. Carolus dum Nancium Lotaringiæ urbem iterum obsidet, tempore anni alieno, atroci hyeme, male augurantibus suis, dissuadente Lusitano sub illud tempus ad eum profecto, Nicolao Campobasso deferente, cum Italorum parte, prodenteque hosti arcana, Nonis Ianuarii à Renato Lotaringio Heluetiisque, quorum ab eo tempore nomen celebre esse cœpit, acie victus cecidit, vñica filia Maria relicta: quæ Maximiliano Austriæ Duci iuncta, quantam belli molem atrocis ac diuturni attrahet in Hispaniam, captas continuò à Ludo uico Gallo Burgudias, Quintinum, Peronam, aliaq; ad Somonam amnem oppida, ad ius pristinum reuocare dum Burgundi dum nostri tentant maiori conatu, quam prouentu. Maria tres filios p̄cepit Philippum, Margaritam, Franciscum. quarto anno ex quo nupta fuerat, cùm esset grauida, ex equi casu concusso vtero periiit. Ex Galeatio Ioannes Galeatus relictus est (Isabella ei Aragonia Neapolitani ex Alfonso filio neptis iuncta erat) impar ætate ad rem gerendam: præterea Blanca Maria Maximiliani iam Cæsaris vxor altera futura infœcundo coniugio, tum Anna tertia Galeatii proles.

Arces alia receptæ.

C A P V T X I V .

Nouam importuno tempore contentionem de D. Iacobi Magisterio concitatam Isabellæ prudentia cōposuit. Rodericus Manricus Paredius Comes D. Iacobi Magisterio mense

In fine Novembris decepsit Vrceſia, præclaris maiorib. egregiis ipſe, Osca in Baſitanis
 de Mauris capta annis superioribus magnam adeptus famam. corpus ad aram templi ma-
 ximam eo in oppido sepulcro illatum: supremusque honoris defuncto est habitus. Opti-
 mi parentis obitum Georgius Manricus næxus elegati deplorauit: in qua multæ poeticæ
 virtutes insunt, clara ingenii & sententiarum lumen. æmuli mortem Alfonsus Cardenæ
 suam occasionem facturus, Vrceſiam petere constituit, armato milite formidabilis vim
 adhibere paratus, si morarentur spem honoris adipiscendi Tredecim viri, quorum eæ
 partes erant, ad comitia conuentu facto. Multis aliis proceribus bonis malis artibus eum
 honorem ambientibus, ne res ad arma dederentur, periculum erat. Eo metu an dictio-
 nis amplissimæ auditate, inter Ferdinandum & Isabellam consilia Tauri agitantur. armis
 vim coercere longū erat. ad artes conuersis animis, Ferdinandus Tauri substitutus: Isabella
 Ocaniam Vrceſiamque contendit festinatione tanta, ut tridui itinere Vallisoletō Vrceſ-
 iam peruenisse Pulgarius sit auctor. Suadet militibus, vti concordie studio se Ocaniam
 sequantur. nobilis municipii amplitudine tutiores ad decernendum fore multis exem-
 plis in eo Magistri palatio comitia celebrata fuisse confirmat. hortatur in eo oppido ser-
 monum ministris Fonſeta Abulensi Episcopo, & Fernando Aluaro Toleto à secretis Re-
 ginae, vti ad vitandos tumultus eum ordiné consensu Romani Pontificis Ferdinandu Re-
 gi administrandum ad tempus permitterent. Ad sanandas militū voluntates reuocāda-
 que concordiam, haud mineri auctoritate opus esse. Re deliberata milites Reginæ po-
 stulatis annuunt, parata multorum assentatione: plerique non tam certa obsequenti vo-
 luntate, quam excludendi deiiciendique aduersarios: quæ magna sed frequens comitio-
 rum labes est. Id initium fuit, militum eorum potentiae imminuendæ, exemplum, quod
 ad Calatravæ & Alcantaræ ordines breui est propagatum: et si Alfonso Cardenæ, paulo
 post datum est, vt ordinis Magister esset, magna multorum procerum offensione, vnum
 sibi prælatum dolentium, nullis meritis, neque comparanda familiæ nobilitate. Sic illi
 conquerebantur. Ferdinandus rebus in vltiori Castella compositis, factisque induciis
 cum Gallis & Lusitanorum reliquis Ocaniam abiit initio anni Milesimi quadrigen-
 tesimi septuagesimi septimi. Vreniæ Comiti Ioanni Tellio Girónio ad officium syncera
 voluntate redeunti, venia est data. Toleto, atque Madrito lustratis, nunciatum est, Lusi-
 tanorum varias manus Pacis Augustæ & Mirobrigæ fines vrere importunas infensasque.
 Gometio Figueroæ Feriæ Comite præmisso ad vim arcendam, partita rei p. cura, Isa-
 bella quidem ad Lusitanæ fines abire constituit, rebus præsidium: Ferdinandus aliquot
 diebus Madriti consumptis, Toletani satiandi spe, nam pacatus ferox animus non erat
 quamvis paulo ante venia impetrata, eo regium colloquium, ad quod inuitabatur, vitan-
 te, ad nonum Kal. Aprilis die Lunæ in Ulteriore Castellam discessit eura Vascones pa-
 candi: vbi nouo partium conatu multa mouebantur: recensque Stella ab impetio defec-
 rat ab Agramontis occupata: idque oppidum Eleonora Princeps suis & Castellæ viri-
 bus parabat impugnare. Quibus diebus nouus metus est allatus. Albohacetus Granatæ
 Rex improviso violatis induciis, quæ aliquot annis steterant, cum quatuor millibus equi-
 tum peditibus ad triginta millia in Contestanos incurrit. securos incautosque opprimit:
 octauo Idus Aprilis, ipso Christi ad vitam reducis memoria sacro die Ciesam iis locis i-
 gnobilem pagum incendit, euertit incolis trucidatis. Magnæ inde præde abactæ pecorum
 armentorumque. Petro Fagiardo Murciæ Antelato quamvis ad defendendum excitato-
 se incolumes barbari in fines retulerunt, maiori incussa formidine, quam damno illato:
 Sed noua moueri arma, & necessitatem impositam iniurias vindicandi graue erat, intesti-
 niis motibus nondum pacatis. Eo studio geminæ arcæ, quæ in Lusitanorū fide erant, Can-
 talapetra, atque Castrum Nunnium nouo conatu circumfessæ impugnatæque, deditio-
 ne facta in potestatem venerunt. Cantalapetra citius ad quintum kalend. Iunii: Castrum
 Nunnium Mendaniæ virtute defensa diutius restitit. sed dedita tamen, atq; prouincialium
 concursu euersa est: ne latronibus receptui esset, quippe locis arduis sita. præsidariis vtri-
 usque arcis militibus facultas est concessa incolubus, & cum supellecstile in Lusita-
 niæ migrandi. Mendaniæ septem florenorum millia adiecta, Duci, si nihil aliud fecisset,
 arce ea tandem defensa nobili claroque. A Regina Castris Iuliis subigendis non minor o-
 pera data est, arcem Villenii nomine Petrus Biatia præfectus muniebat. de ditione ap-
 pellatus, negare primo facturum, nisi Villena & contributis oppidis Villenio restitutis:
 (sic antea conuenisse dictum est) vir eximiè constans fortisque: Non recusabat Regina
 oppida ea tradere, quibus ille nominasset. penes eos quasi sequestris semestri spatio post-
 quam fuissent, Villenio reddendam. Ille fraudem & dolum subesse ratus cunctari, recusa-
 reque. vix à Villenio ipso, in arcem ingreſo, victa constantia viri, non tam de suis

rebus, quam de heri dignitate & commodo laborantis. Ita dedita is arce, amicitiam Vil-
lenio clientelamque renunciauit, ignauiam eius pertesus: qui neque sua dignitate moue-
retur, neque de suorum salute laboraret: nam præ festinatione neque ipsius præfecti, ne-
que militum incolumitatem fuerat pactus. Ferdinandum res Bæticae, quò Isabella euoca-
bat, & ipse in animo habebat, adire Vascones non permiserunt: neque Ioannam sororem
priusquam in Italiam nauigaret amplecti. Mense illa Augusto classi imposta, qua Alfon-
sus priuignus, Petrus Gueuara Vasti Marchio, alii viri principes ad litus Barcinonense e-
rant appulsi, omnibus officiis in Liguria culta, ad virum tandem peruenit. Nuptiarum læ-
titia Neapoli ludis, spectaculis, conuiuis, cultuque & splendore ciuium celebrata est.

Bætica pacatur. C A P V T X V.

Reliquis Castellæ partibus vix quiescentibus, motus in Bætica extabant. proceres pro-
se quisque vrbes arcetq; præsidiis occupare: vt cuiusque vires erant prædæ remp. lu-
dibrio maiestatem habere. Ab Assidoniæ Duce Hispalis obtinebatur: à Marchione Ga-
ditano Caſfarianum: ab Alfonso Aquilario Corduba. species obtendebatur, se muniendi
aduersus finitimos regulos, vim externam propulsandi Lusitania vicina. spoliis prouinciæ,
augere opes erat in animo: quod malis reip. temporibus ferme accidit: immunitis pu-
blicis opibus priuatæ crescunt. Et erant intra eas vrbes factiones populares. Hispali ciui-
tate inter Assidonum & Gaditanum diuisa studiis, Cordubæ Aquilarium inter & Cabré
Comitem dissidia vigebant, vt si vlo tempore grauissima. Isabella prior Hispalim multis 20
quāuis dissidentibus, neq; enim iis venerat copiis, vt vi agere posset, delata tamē in eam
vrbē, arcem naualeq; occupauit: detraxitq; Assidoniæ Duci, maiori, quam pro sexu, &
vribus animo, Ferdinandus rebus in Vasconibus ferme desperatis, in Vlteriori Castella
compositis, Ribadei Comite Petro Villandrando Calæcis præfecto, Alfonso Aragonio
fratri, & Magistro equitum reliquæ prouinciæ cura data, ipse in Bæticam festinare con-
stituit, rebus præsidium certissimum. Guadalupeum Virginis fanum ex itinere iniit vene-
rabundus, supplicationesque habuit. Albano & Beneuentano sequi iussis, quoniam du-
bia fide inter se & cum aliis proceribus conspirare nunciatum erat, Hispalim idibus Se-
ptemb. peruenit. Gaditanus aduerso rumore erat, quasi Lusitanis fauens in Regum ocu-
lis Alcalam Guadairam præsidio obtineret. Actum de eo conciliado. remotis arbitris no- 30
&tu ad colloquium venit. de reddendis arcibus appellatus, facturum se negauit, nisi Ne-
brisca, Vtrera, aliisque arcibus ab Assidonio, Regi restitutis. se nudato præsidiis, quid aliud
quæri, quām vt inimici potentia opesque crescerent? æqua postulare vifum. ab vtroque
arcis Regi redditæ sunt. alii proceres horum exemplo haud difficulter imperata fecerūt:
præsertim cum Granatae Rege, in quo præsidii magnam partem ponebant, iisdem diebus
pactis induciis, opera Dieghi Cordubæ Cabræ Comitis præstanti fide viri: cui cum Re-
ge barbaro vſus erat, multa familiaritatis iura. sic in Bætica res erant sanitati proximæ. In
Vasconibus desperatæ ob studia factionum nunquam satis composita. Eleonora Princi-
pe quamvis identidem obtestante, sedecim mensium tempus componendis controuer- 40
ſiis designatum Tudem in conuentu Principum fermè exiſſe, quoniam in patre, fratre-
que parum præsidii esset, externam opem conquisituros. ad auctores reddituram culpam
impositæ necessitatis. nisi occuparent gentis conatus, exitium instare. Dant animum ad
loquendum liberè vltimæ miseriæ. æquissima postulata surdis auribus accipiebantur, lon-
ginquis Regibus, multisq; reipub. difficultatibus, aliis super alias. Aragonio præter Rusci-
nonense bellum, Siciliæ atque Sardiniae res curæ erant. Raymundus Folchius Cardonæ
Comes Siciliæ moderator Neapolim Ioannam Reginam secutus, res in Sicilia gerebat:
cum in ea insula defuncto in minore ætate Ioanne Cabrera, paternum autumq; Modicæ
Comitatum, ad Annam sororem hæreditate deuolutum, multi vno eum tempore ambi-
ebant, alii exclusa puella, alii eam in coniugium expetentes. Aragonius, quoniam publicè
referebat quē illa maritū ascisceret, ampla ditione opibusq; Alfonso Aragonio Ferdinādi 50
Regis filio notho eas nuptias destinabat. Verū Fridericus maris Præfecti filius iis nuptiis
postmodum potitus nobilem principatum in suam familiam inuexit. Leonardus Alauo-
na Oristani Marchionunquam satis fidus, in Sardinia tumultuari cœpit, à Carrocio Pro-
rege contra iicti antea foederis conditiones violatus. Inuictum Aragonii animum ætas im-
becilla, tantæ curæ non obruunt: quasi in specula præsidens in omnes prospicit partes:
Alauona mōre maiorum accusatus, vt spoliatione principatus puniretur sancitum
est. sententia Idibus Octobris Barcinone pronunciata. exercitui supplementum na-
ui missum, neque numerosum neque validum. sic bellum extractum in multos dies.
Ferdinandi rebus in Bætica pacatis, spei mixtus metus solicitabat. Lusitanum in pa-
triam

triā relatum natibus, quamvis venia nuptiarum à Sexto Pontifice coticeſſā tandem nullā externa auxilia impetrasse. Id ſolamen erat. à Toletano tamen euocatum fama ferrebat: quæ vereri cogebat, ne occultæ insidiæ ſubeffent. Sed is vitio ætatis vacillante ſenſu parum prouidebat animo. ira consilio inimica, atque ambitio impotens malum agebant präcipitem, oculisque officiebant. & erat fama cognitum Lusitatum ante reb. deſperatis Lutetia noctu profectum, ut Romam & Hierosolymam obiret, mutataque veste monachum indueret, tædio magis quam certa voluntate. eum aliquanto ſpatio progreſſum, ē tribus comitibus vni clave data iuſſiſſe, vti ſcrinium quod Lutetia reliquerat aperiret. In eo geminae literæ inuentæ. alteræ ad Gallum quibus consiliū ſui rationem aperiebat: filium monebat alteris, vti quamprimum regium nomen caperetur, ſui nulla cura quem ſuperi, hominesque deſtituifſent: delictis tamen veniam ſperare propitiaque numina deinceps fore, ea calamitate & ignominia placata. Eam ſummarum votorū eſſe. Letis literis, filius cū ſingulu & lacrymis regium inſigne deſumpferat tertio idu Nouembriſ. A fuga pater consilioque, Galli diligentia eſt retractus. deinde ad Cascales oppidum appulſum, quinto die poſt inaugurationem filius ingenti lætitię ſignificatione mœſtum, atque inſolita macie deformem obuius exceptit: in regnumque reſtituit. Ad hūc modum Lusitanus ferociſ primos impetus habuit: extrema ludibrio fuere. Proximum annum Millesi. quadrin. ſeptuage. octauum fauſtum effecit Philippus in Belgis ex Maria Caroli 1478 Audaciſ filia & Maximiliano Austriae Duce ortu decimo kal. Feb. imperii amplitudine & posteritate felix futurus: breui quamvis vita in flore ætatis eſt raptus. Florentiae, quæ libera ciuitas erat, in templo Liberatae coniuratione ciuium in Mediceos fratres, quaſi libertati ciuium inſidianteſ impetu facto, Julianus occiditur, Laurentius æratii ſacri munitione euadit. Eo facinore commoti ad arma populares. Saltuarius Pisanus Archiepiscopus coniurationis conſcius & particeps, quaſi re patrata ad palatium, vbi Senatores iura dabant, adiuolans inde populum ad arma concitaturus, facie turbata capit: ac mox re cognita laqueo ē fenestrī ſuſpenditur. crudele impiumque ſpectaculum. Cardinalem Sancti Georgii, qui Florentiae aderat, & coniuratis fauiffe fama vulgabat, Pontificis auūculi meatus, & personę sanctitas, ne eodem impetu violaretur, tutata eſt. Noui id bellū initium fuit, quo Florentiae opes aliquandiu vexatae ſunt, Pontificis & Neapolitanis armis. ciuib. Florentinis ob caſum Archiepiscopum in impiorum numero habitis, agente Franco Rege, atque nouos terrores ex Gallia oſtentante, conuentu Aureliae inſtituto de Pragmatica ſanctione reſtituenda, ius tandem ſacrorum Pontifex, pacemque dedit, illibata viſq; dum eius vrbiſ libertate.

Ioannes Ferdinandus naſcitur. C A P V T XVI.

BEllum in Sardinia erat atrox cruentum, anceps. Inſulæ copiis in duas partes æquas diuſis, factiosi maiori quam regii ardore pugnabant, quippe pro ſalute libertateq;. ſpes victoriae in externis coniurata Genueneses ne Leonardo ferrent opem ob antiquas neceſſitudines vtriusque gentis, induciis Neapoli factis retenti ſunt. contra ex Aragonia & Sicilia noua auxilia miſſa ſunt. Comes ipſe Cardona Siciliæ Prorex cum claſſe ad periculum nauigauit. Leuia prälia multis locis facta. ad extreſum ad Machomeram arcem collata caſtra: atque iusta pugna eſt dimicatum. caſo Artaldo filio, fusis fugatiſque copiis, Leonardus Lembum ad littis nauctus mari profugiens, cum in duas triremes Aragonias incidiffet, à Villamarino claſſis Praefecto in Hispaniam deductus, Setabi in custodiā eſt datus. bona fisco addicta: oppidaq; omnia tum in Sardinia magna multaque, tum in continenti ablata. Oristanumque & Gotianum lege perpetua addicta Regibus, atque ad alios principatum titulos adiuncta in tabulis publicis ab eo initio ſunt. Pugnatum eſt ad quartumdecimum kal. Iunias victoria non modo in praefens læta, ſed in futurum ſecuritati fuit, ea inſula penitus ſub imperio Aragonio quiescente: de cuius poſſeſſione toties erat cum externis & cum domesticis, & tanta animorum contentione dimicatu. Ferdinandum nondum Baeticæ rebus compoſitis, vxore grauida, duæ res in Carpetanos reuocarant neceſſario. Toletanus ſanadus erat, ne Lusitanū denuo attraheret in prouinciam: quod facturus nunciahat: Societas quas inter vrbes & oppida inſtitutas diximus annis superioribus, ad latrocinia cædeſque prohibendas, nouo conatu ſanciendæ erant. quoniam felli prouinciales magnitudine veſtigaliū, languebant: quæ alēdis de cōmuni militib. indicebātur per capita, ne ingenuis quidē immunib. magno reip. cōmodo, quādo nō modo ſcelerū licentiā cōprimeret, ſed in magno viſu eſſet, belli q; gerebatur ea cauſa Madriti cōuētus generales ſunt habiti. In iis cōuētib. Societas in tres alios annos cōſensu

prorogatę sunt. De Toletano nō idem successus fuit: suspicionibus quāuis detergēdis data est opera, quia homini erat persuasū infidias vitæ suæ factas. Soluto cōuentu vicinus Isabellæ partus Ferdinandum Hispalim reuocauit. Qua in yrbe oratores à Granatæ Rege missi eius verbis inducias, quæ inter vtranquegentem erant, concedi denuo postularūt. Negauit Ferdinandus nisi vestigali repræsentato, quod ab antiquo pendere essent soliti. legatis de ea re Granatam responsum à Barbaro Reges, qui v̄estigal pendissent, iam pridē esse extinctos: ea tēpestate in ædibus monetariis Granatę, neq; aurū, neq; argentū cudi: sed lāceas, sagittas, acinaces cōflari. Offensus insolenti respōso Ferdinandus, parendū ne-cessitudini iudicans inducias tamen concessit. Reginæ maturo partu quarto kalend. Iuli-
as Ioannes est natus, hora vna ante meridiem, in spem paterni autique impetii: nisi eum 10 Hispaniæ fatū in flore ætatis inuidissent. Aragonius non rerum modo pondere, sed viuen-
do fessus Aragoniis moribus imbuendum nepotem ad se mitti postulabat: ac illud vere-
batur maxime à multo vsu cautus, ne fidei alicuius concreditus, quod superioribus annis
factum in simili exemplo meminerat, occasiō esset male sentientibus, res in Castella eius
præsidio nouandi. Neque maior Aragonio contentio erat, de Cæsaraugustana Ecclesia.
vacuum enim Ioannis Aragonii obitu, Aragonius Alfonso nepoti destinabat: quem Fer-
dinandus Cerueræ in Catalaunis suscepérat furto. vitium natalium facile supplebat Pon-
tifex Sixtus. ætatis veniam vt daret inducī non poterat puerō sexenni. Inter has contentio-
nes vacuus diu pontificatus Ausiq; Despuchio Cardinali datus est, spe Aragonium Mon-
tesix Magistri, cui erat Cardinalis sanguine proximus, id meritis daturum. Non tulit ille 20
tamen dolorem, adiunctis minis, atque in Cardinalis bona & cognatos grassatus, perui-
cit tandem annitente præsertim Neapolitano Rege, cui multum Sixtus Pontifex tribue-
re erat solitus, vt ea Ecclesia Alfonso puerō iure perpetuę administrationis daretur. no-
uum damnatumque exemplum inductum, vincēte pontificiam constantiam Regum im-
portunitate, in ecclesię iurainuidentium atque libertatem: quod semper accusabitur, &
semper erit. Et erat ea tempestate moribus usurpatum, ne Episcopi ecclesiis Hispaniæ da-
rentur, nisi quos Reges postularent, nominarentque. Qua occasione paulo post noua cō-
tentio de Turiasonensi ecclesia orta est: cui Andrea Ferricio Cardinali defuncto, Ponti-
fex Andream Martinum Episcopum dedit. restitit Rex Ferdinandus. vt Hispaniæ Cardi-
nalismutata sententia daretur, contendit atque peruicit. Controversia finē accepit cum 30
Raphaelle Galeotto quarto post anno Conchenſi ecclesię tum vacuę à Sixto Pontifice
propinquo præfecto, effecit Rex eo amoto Alfonsum Burgensem regiæ conscientię pro-
curatorem è Dominicanο ordine Cordubensem Episcopum, rectorem Conchenſibus
dari Castellę in perpetuum, vt quos ipsi expediissent, ii Episcopi præficeretur, addita præ-
rogatiua. Dederat etiam ante quatuor annos idem Pontifex Henrico Regi, ne externi
homines amplius in Castella sacerdotia expectarent: de quo lis tandiuerat cum Roma-
nis. Alfonſus in extrema ætate Palentinus Episcopus, suo ordinī D. Pauli monasterium
Vallisoleti construxit.

Inquisitores Castelle dati. CAPVT XVII.

Meliori Hispaniæ fato, quod eātenuis factum non erat, quæſtionibus habendis aduer-
sus religionis desertores, atque hæreticos, aliisque in verām pietatem criminibus
vindicandis, certi iudices designati in Castella sunt, discreti ab Episcopis, (quorū eę par-
tes ab antiquo erant) Romani Pontificis auctoritate, & fauore Principum armati, Inqui-
sitorum ab officio nomine. Morem in aliis prouinciis frequentē Italia, Gallia, Germania,
ipsaque Aragonia, hoc demum tempore Castella est imitata. neque in studio impios co-
natus vindicandi, se ab illa gente vinci passa est. auctor consilii Hispaniæ Cardinalis. Li-
centia superiorum temporum, multa in ea prouincia erant deprauata Mauris Iudæisque
cum piis promiscue versantibus, nullo non commercii genere. Praua consuetudine vſu-
que non paucos è piorum numero ipſiſi necessē fuit: plures sacra Christiana, quæ suscep-
erant patria superstitione abdicata, fide inconstant, nullo vetante deserebant. labes Hi-
spali maxime est grassata. in ea vrbe primum quæſtionibus arcano habitis, de ſontibus gra-
uissimis pœnis vindicatum eſt. Nam maiori commiſſo delicto, igne post diuturnum car-
cerē & tormento necabantur. leuiori de cauſa, ignominia inurebatur familiæ perpetua.
nō pauci bonis publicatis æternis tenebris vinculisq; mādati. Rubra crux obliquis radiis
ac decuſſatim in crocea veste, quam S. Benedicti vocant, plerisq; data insignis, a cæterisq;
discreta: vt eſſent documento & magnitudine supplicii terrent alios. Quod vſu ſaluta-
re extitit, graue initio prouincialibus viſum eſt. Illa maxime: Parentum ſcelera filiorum
pœnis

pœnis lui. Occulto accusatore reos fieri: neque cum indice compositos damniari. Contra quam olim factum erat, peccata in religionem vindicari morte. Illud grauissimum, adimi per inquisitiones loquendi libere, audiendique commercium: dispersis per vrbes & opida & agros obseruatoribus, quod extreum in seruitute credebant. Ita disrepanibus iudiciis, nonnulli mortis pœnam remouebant. cæterum suppliciorum acerbitates omnes complectebantur. In hoc numero Fernandus Pulgarius arguto atque eleganti ingenio. cuius extat de Ferdinandi Regis rebus gestis historia. alii quorum melior sententia fuit; qui fœdere religionem, & sanctissimas cæremonias mutare conati essent, eos frui vita & communii spiritu non putabant oportere: bonis & ignominia multandos videri; nulla filiorum cura. Præclare id legibus comparatum, vt caritas liberorum cautiores parentes red dat. Occulto iudicio tergiuersationes vitari: neque nisi de coniunctis aperte, aut confessis pœnas sumi. In multis saepe antiquos ecclesiæ mores, prout res & tempora exigunt mutari: & maiorem licentiam maioris seueritate coercendam videri. Successus opinionem superauit. Ii iudices ne amplissima potestate ad quæstum sœvitiamque abuterentur, optimis legibus cautum initio. plutes dies & maior rerum usus adiunxit. Quod caput est, viri integerrimi atque sanctissimi ei muneri præficiuntur, ex vniuersa prouincia delecti: quorum arbitrio singulorum fortunæ fama, salusque permittitur, disceptatque. Toti administrationi Thomas Turrecremata, tum quidem est præfectus, ex Dōminicano ordine vir prudens doctusque, præcipua apud Reges gratia, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat, Segobiensi sui ordinis cœnobio præfectus. Auctoritas initio Castellæ finibus terminata, quarto post anno in Aragoniam transit, Gualbe & Ortesio ex eo ordine veteri instituto Inquisitoribus amotis. Ab eo competentibus locis, prout res erant, iudices delegati nullo statario tribunali. consequentibus annis supremus Inquisitor, quinque viris adiunctis, iudicia religionis maiora exercet in curia regia: vbi suprema alia tribunalia sunt, minora bini, terniue Inquisitores. Certa loca iis designantur. Nostra ætate Toletum, Concha, Vallisoletum, Calagurris, Hispalis, Corduba, Granata, Ellerena in Aragoniis Valentia, Cæsaraugusta, Barcino. A Turrecremata edictis proposita spe veniam homines promiscuæ ætatis, sexus, conditionis ad decem & septem millia ultro criminis confessos memorant: duo millia crematos igne, maiori numero in vicinas prouincias fugia dilapsos. Ab hoc initio res in hanc auctoritatem crevit atque potestatem: qua nulla prauis hominibus toto orbe Christiano formidabilior est, reip. vniuersæ maiori commodo. præsens remedium aduersus impendetia mala, quib. aliæ prouincię exagitantur, cælo datum. nam humano consilio aduersus tanta pericula satis caueri non potuit.

Aragonii obitus. CAPUT XVIII.

Discessere Hispali Ferdinandus Isabellaque Assidonie Duce, & Gaditano Marchione eius vrbis aditu prohibitis, sic amotis factionum capitibus pax rebus reddita est. Lopus Vascus homo Lusitanus Moram cui erat præfectus ad fines Castellæ, Ferdinandi nomine occuparat. de ferendo auxilio actum. Ardebat Ferdinandus studio in Lusitaniam irrumpendi: id ad sanciendam imperii auctoritatem pertinere iudicans, si tantum audaciæ esse videretur, viriumq; vt hostes in suis finib. bello implicaret, non modo illatū defenderet. Id neq; Aragonius pater, neq; prudentiores probarunt. quid enim haud magna spe in periculum suam salutem vocaret? quid de belli & rerū summa periclitaretur imperio fundato? Ergo ea cura D. Iacobi Magistro data est, adiunctis mille quingentis equitibus peditum millibus quindecim mensē Augusto. quām operæ pretium apparatus maior: & Mora à Ioanne Principe Lusitano recepta, ii conatus præoccupati sunt. Castræ Iulia in fide firmando erant. Eo Ferdinandus & Regina vxor accesserunt Corduba obitum. Quo tempore in Gallia ad Laudum in Cadurcis tertio Idus Septembtris coniugium est institutum per oratores Fridericum inter alterum Neapolitani Regis filium, & Annam Amadei Sabaudi Ducis filiam. Nuptæ quoniam forore Galli Regis erat nata, ab auunculo dos dicta, amplius in Gallia principatus. dum is redderetur, & donec auri pondus, de quo lis erat, ab Aragonio esset representatū, pignoris loco Ruscinonenses & Ceretani. Perculit ea res Reges patrē & filiū: ac in Neapolitanū maxime iram accendit: q; ea propinquitate Gallicam amicitiam Hispanę præferre videretur, atque principatum accipere quamuis oblatum, de quo ipsi cōtrouersia esset bellūque. Induciarū quę cum Gallo erat tēpus exībat: & periculū erat, ne rediretur ad arma importuno utriusq; gētis tēpore. nā Gallus Belgis magna ex parte occupandis districtus, alia contemnere videbatur. In Castella nondum res erant plane quietæ, Lusitano nouum bellum comparante, Metellini Co-

mite virili animo fœmina, & Alcantaræ militiæ Clauigero alienatis: Camboa Hondarribiæ præfectus, & Almasani Archidiaconus Ferdinandi iussu cum Galli legatis, qui Baionæ se tenebant, de foedere agunt. Eorum diligentiam induciæ pace mutatae sexto Idus Octobris, non aliis legibus, quam quæ ante belli tempus inter vtranique regiam ab antiquo fuerant, Aragonius etiam ea pace comprehensus. quo quid aliud quam ludibrium continebatur, non restituto, de quo lis erat, principatu? Cautum modo ut binis ab utraq; parte iudicibus tum ea controuersia, tum aliaz componerentur. Publicam ex ea re Castelæ lætitiam duç res auxere: Henricus Ferdinandi propatruus libertati à Lusitano redditus Castra Iulia venit. Toletanus malo coactus (nam omnes reditus intercepti erant, & pleraque oppida ablata) tandem in Ferdinandi fide & potestate fore recepit, traditista ditione arcibus, vt regio præsidio tenerentur. Lusitanum Regem denuo in Castellam euocasse crumen erat. nouam hero veniam dari Tellius Archidiaconus Toletanus impertravit, vir ea tempestate doctus & sanctus. Præterea venia propinquitatis quæ facta erat Lusitano, Romæ à Sixto Pontifice abrogata: Ioannaque coniugio est illi interdictum. In quo maior ratio est habita Neapolitano Regi gratificandi, id conuicio expertenti, quam vt quibusdam videbatur, maiestatis atque constantiæ. Missæ de ea re literæ pontificiæ mense Decembri in Hispaniam. De rebus omnibus, ac de Gallica pace collocuturi Reges pater & filius Molinam atque Darocam venire parabant: cum Aragonium Barcinone moribus oppressit extinxitque ad quartumdecimum kal. Februarii die Martis principio anni 1479 Milesi. quadragesimi. septuage. noni. Corpus ad Populeti sepultum. inferias vt darent funusque curarent, regius cultus oppigneratus est: tanta erat pecunia inopia. Vixit annos unum & octoginta, menses septem, dies viginti, vegeto semper corpore, & belli ac venationis laborib. par, animo viuido, magnitudine & varietate rerum gestarum, ac diuturnitate imperii magnis Regibus exequandus. Extremam ætatem fugillauit amoribus pulchra, cui Franciscæ Rosæ nomen fuit, forma conspicua, libidinis auditus magis quam potens. Eam Iacobo Aragonio, quem Barcinone occisum diximus, vxorem destinabat. Testamentum decimo ante nono nuncuparat. In eo tum multa pie & prudenter, tum duo templæ sanctitatis opinione celeberrima, in domicilium Hieronymiani ordinis conformari mandauit: D. Engratiæ Cæsaraugustæ unum urbis muro coniunctum, in Catalaunis alterum, cui D. Mariæ Belpuchiæ est appellatio. Vtrumque filius prestitit. Ad Aragonii regni hereditatem nepotes Ferdinandi filii ex filia etiam, si mascula proles deesset, filiabus eiusdem præferendos sanxit. Sic sepe ad Regū arbitrium iura regnandi cōmutantur.

Eleonora Vasconum Regina. CAPUT XVIII.

Aragonii obitu, vt erat necesse, & vt testamento eius cautu erat, diuiso imperio, Ferdinandi Aragonii accesserunt, Eleonora Princeps materno iure Vasconu regnum obtinuit, annum iam septimum viduata viro, coque continuis & maximis ærumnis obnoxia, impiam ob cædem Nicolai Pompelonensis Episcopi nondum religione exoluta, gens in factiones scissa erat, meliori fortuna potentiaque partis Beamontiæ, Eleonoræ adiuaria peremptorum manes tot annos peruagati ad expetidas pœnas non quiescebât, quamuis nullo fonte relicto. Sic Eleonoræ regnum breuissimum fuit, ne menstruum quidem. alioqui prole fœcunda fuit posteritate felicior quam vita. quatuor filios genuit, Gastonem natu maximum, Ioannem, Petrum, Iacobum, filias quinque Mariam, Ioannam, Margaritam, Catharinam, Eleonoram. De singulis pauca dicenda sunt: quoniam magnorum Principum ex iis stemmata texuntur. Gasto obiit, vt ante dictu est, Francisco Phœbo & Catharina relictis. Ioanni Narbonis auro paterno redemptæ urbis principatus fuit: filii Gasto & Germana. ille cede ad Rhauenam, hæc Ferdinandi Catholici nuptiis nobiles. Petrus literarum & pietatis studiis exculto ingenio, à Sixto Pontifice purpure est honore donatus. Iacobus magno animo bellica munera exercuit coniugio liber: solutæ veneris licentia nonnullos filios suscepit, neque magni in Gallia, neq; nullius nominis. Maria Guillermo Montisferrati Marchioni, Joanna Armeniaco Comiti Ioanni nupserunt. Francisco Britanno Duci, Margarita filiam enixa est Annam appellatione: que dotis nomine paternum principatum in Francorum regiam intulit Caroli octauii, & Ludouici duodecimi uxor. Catharina Gastoni Fuxensi Candallæ Comiti iuncta, duos filios genuit, filiam unam, cui Annæ nomen, Hungariæ regnum fuit Ladislai Regis coniugio. Eleonora natu minima in minori ætate decessit, iam viro matura. Eleonora tantorum Principum mater, fræcto laboribus corpore, animo molestia victo, pridie Idus Februarii decessit. Tudela ini-

tiū regni, & vitæ finis fuit. Tafallæ Minorum ædem de suo extrui, testamento, eoque corpus suum & matris Blanç ossa Nieua, quod est oppidum non procul Segobia, afferri ac lepeliri mandauit. Imminutis, propter intestina dissidia, regni vestigalibus tanta inopia laborauit, vt nullo fortunæ subsidio aurum in ornatum ad alendam familiam verideret. Successit nepos Franciscus, cui à formæ venustate Phæbo cognomen fuit, vnde decim annos natus. Imperium Magdalenæ matris & Petri Cardinalis patrui auspiciis, dum ad iustum ætatem perueniret, vt in ea temporum labe prudenter est gubernatum. In Castellæ Rege parum præsidii fuerat: eoque ne nominato quidem in Eleonoræ testamento, eius iussu ad Gallum, vt natuta etiam cogebat, aperte inclinare cœperunt. quod malo fuit, & 10 vetusti regni ac nobilissimi opes breui euertit. Hęc in Vasconibus gerebantur. Quo tempore in Castella vetustate fixe de religione opiniones mouebantur. auctor Petrus Vxensis, qui Salmanticę Theologicas scholas explicabat audaci ingenio prauoq; , librum vulgarat multis mendaciis fœdum: quorum ut hic numerus ineatur, non est necesse. In Romanæ Ecclesiæ maiestatem, & Pœnitentiæ sacramentum contumeliosus maxime, Romana responsa errori obnoxia affirmabat. Sacerdotes vim habere ad condonāda peccata, negabat: neq; à Christo Deo præceptum, sed ab hominibus inuestum Pœnitentiæ remedium, non incommodum tamen ad hominum prauitatem coercendam sanadique. Toletanus Compluti, ubi multus erat, iussu Sixti Romani Pontificis viris doctissimis in conuentum euocatis, re diu multumque deliberata, impia placita reprobauit: aucto- 20 rem nisi mutaret, anathematis ignominia notauit, sententia pronunciata ad nonium Kalend. Iunii. quam paulopost nouo diplamate Sextus Pontifex ratam habuit. Ioannes Prexanus nobilis ea ètate Theologus, descripto Petrum exagitandum suscepit iusto volume, stilo rudi nempe eius ætatis, sed arguto, atque scholastico. De Villenæ principatu bellum erat. Chinchillam obsidentibus regiis, Villenius præsidio occurrit: obsidione soluta duo regii Duces Alarconius & Georgius Manricus à Petra Biatia, ille ad Albercam est victus, Manricus etiam nouo ad Canauetem commisso prælio, vulnere afflictus, ex quo aliquanto post deceffit. crudelitas fati ei ingentio & ætati non debita. Excusabat Vil- 30 lenius in eo bello non contra fidem datam sumpsiisse arma, sed necessitate regiorū Præfectorum insolentiam frænandi. neque cum Lusitano aut Toletano denuo consilia com- municasse. quæ tandem excusatio valuit, ne quid in eum grauius decerneretur. Accidit in eo bello, vt regii, sex è captiuis hostib; laqueis suspenderent. Ioannes Berrius pro Vil- lenio copiarum Dux è suis captiuis totidem sorte lectos ad simile supplicium rapi sanxit. In eo numero ne quidam, cui vxor & filii erant periret, minor natu frater & ipse captiuis magna contentione & lacrymis euicit, vt pro fratre vicarius substitueretur, grata superis victima, exemplum miserabile.

Castellam inter & Lusitaniam facta pax.

CAP V T X X.

841 IN Beturia, quæ nostris Extremadura est, Ferdinandus & Isabella erant, quo tempore 40 Aragonii imperii hæreditate aucti sunt, pacandis motibus intestinis districti, qui à Metellini Comite Beatrice Paciecha, & Alfonso Monroio Alcantaræ Clauigeru[m] fuerat concitati. Illa maiori, quam pro sexu animo, quippe filium aliquot annis vincitum tenuerat, ac domo tandem expulerat, Emerita vrbe præsidio occupata, ne ea possessione caderet. filio que cogeretur comitatum restituere, iudicio paternam hæreditatem repetenti, arma corripuit. Clauigerum erepti iniuria (sic ille putabat) Magisterii sui ordinis, atque Ioanni Stunicæ dati dolor vrebatur: multaque eius ordinis oppida armis occuparat. Præterea bellum defendendum erat: quod à Lusitano omnium grauissimum imminere credebatur. Verum fessis omnibus, ac bello ciuili nihil esse miseriis reputantibus, victoria nihil tristis, quæ ferociores homines impotentioresque reddit: cum multa viatori eorum per quos 50 vicit arbitrio facienda necessario sint, alienaque calamitate, saginandi sint socii periculi: de ineunda pace mentio iniecta: eo maiori Lusitanorum studio, quod ad Albuferam octo ab Emerita passuum millibus à Magistro Diui Iacobi insigni pugna vieti fuerant, ad sextum Kalend. Martii. Pauci ex fuga Emeritam tenuerunt: quę in Metellini Comitis potestate erat. Beatrix Isabellæ Reginæ matertera, quæ Visei Duci nupta fuerat, Ioannis Lusitani Principis socrus, magna auctoritate, parique prudentia fœmina, cura conciliādi viرانque gentem suscepit. Eius molitionis exitum expectare longum erat Ferdinando, noui regni hæreditatem cernere cupienti, ubi multa turbata erant: vt Vasconum audacia frenanda, qui in Aragonios fines irrumptentes, castella nonnulla temere munita ceperant, multamque prædam abigere non desistebant, conuentus Aragonii nullo noui Re-

gis consensu essent indicti. Neque id flagitium in ea gente dicitur. Ita se mores habet. Et ergo pacis conditiones sanciendi cura Isabellæ coniugi demandata, & Alcantara munici-
pio designato consensu, ubi cum mater tera de rebus omnibus constitueret, Ferdinandus obito Guadalupeo Virginis templo, votisque tum solutis, tum nuncupatis, per Eulaliæ fa-
num, quod oppidum Toleto vicinum est, atque per Harisam & Calataiubam Cæsarau-
gustam regni caput, ad quartum kalend. Iulias inuectus est, celeberrimo apparatu, plau-
siisque ciuitatis ad spectaculum effusæ. Senatus princeps Ludouicus Naia regium latus de
more claudebat. Rex ipse lugubri veste, trabea mutata auro intexta, galeroque pari pul-
chritudine, equo vectus, sub vmbella urbem iniit, inter faustas populi voces, felix, diu-
turiumque imperium comprecantis. Iurisdictioni data opera. quicunque se iniuria læ-
sos existimarent, iis facilis ad Principem aditus erat. Inde Barcinonem itum est. De
Ruscinonensibus & Ceretanis ad ditionem reuocandis actum, inani tunc conatu, quo-
niam rei perficiendæ non dum maturitas venerat: & appropinquabat tamen. Iudices
tantum quatuor, cum potestate omnes controuersias finiendi Regum Galli & Arago-
nii, sunt designati. Valentia petita, par locis omnibus lætitia celebrata. Noui tumultus
extabant. Semenus Vrrea Biotæ Vicecomes, Iacobum Pallasium Cheluæ Vicecomitem
& vxorem improuisa vi ceperat, Cheluam & Mansaneram oppida sui iuris facta obtendens.
quod iudicio obtinere promptum erat, irritatis audacia iudicibus perdidit. Agen-
te Rege in præsenti arma sunt posita. in annum tertium controuersia tenuit. Pro Iacobo
Pallasio in causa est pronunciatum. Iisdem diebus Isabella & Beatrix, Alcantaræ ut pla-
cuerat, collocutæ inter se, has futuræ pacis conditiones scripsere. Ut Lusitanus Castellæ
Regis appellatione & insignibus abstineret: idem de Lusitaniæ faceret Ferdinandus. Io-
anna Princeps nuberet Ioanni Ferdinandi filio, cum primum ad iustum ætatem perue-
niret. Si is sui arbitrii factus recusaret, centum aureorum millia mulctæ nomine pen-
derentur. Ioanne liberum esset virginem sacram induere, si mora coniugii longa vi-
deretur. Alfonso Lusitani nepoti Isabella Ferdinandi filia iungeretur. Castellæ no-
bilibus ne ad res turbandas perfugium in Lusitania foret. Extima Africæ litora nauib-
us explorare, aperireque Lusitanis Principibus nullo obsidente, ius proprium fasque
est. Eas conditiones ratas fore, designati obsides sunt, Ioanna ipsa Princeps, Isabella
Ferdinandi filia, Alfonsusque infans Ioanne Lusitano Principe natus, in Beatricis po-
testate futuri oppido Mora. Adiunctæ à Lusitano ad Castellæ fines quatuor aliæ ar-
ces fidei datae pignus. Sic arma consensu posita: quæ tandiu viguerant, præcipuo v-
triusque gentis incommodo, maiori Lusitanæ. Octobri mense ob ea quæ feliciter acta
fuerant, superis decreta vniuersa Hispania supplicia. vtraque natio trepida antea & so-
licita de belli euentu, læta agere: meliorem spem animis agitare: de Beatrice fama præ-
clara esse. Ferdinandus ea lætitia Valentiæ nunciata, Toletum accurrit: ubi fine anni I.
sabella coniux clarior quam antea atque nobilior pace suo commodo facta, eius aduen-
tum morabatur. Nouum gaudium Regibus ortum. nouam Isabella prolem peperit, o-
ctaudo idus Nouembbris: cui Ioannæ nomen fuit, paterna auitaque regna superi destina-
bant. Præterea aliquanto post, Ioanna Princeps specie honoris obiecta, ludibrio se ha-
beri cernens, Conimbricæ in Diuæ Claræ vestem mutauit: sacratæque virginis officium
susceptum necessario, ad multam ætatem egregie præstitit, pertesa rerum humanarum
inconstantiae varietatisque. & nihilominus Isabella Alfonsusque infantes, in Beatricis ut
conuenerat, potestatem sunt contraditi, obsides reliquarum conditionum pacis. Metel-
lini Comes, Alcantaræ Clauiger ad officium vltro reuocantur. Idem alii Castellæ nobiles
faciunt, præsidium firmissimum Lusitanæ causæ, Villenius etiam in gratiam mutatis pri-
oribus conditionibus receptus est, principio anni Millesimi quadringentesimi octogesi-
mi. Scalonam Belmontiumque retinuit, Villena, Almansia, aliaque oppida Villenæ con-
tributa, quæ contra eum arma sumpserant, Regibus cessere. & erat stultum sine ullo labo-
ris effectu conari: dum veteres spes captat, de iis quæ erant reliqua periclitari. Imminutis 50
Villenii opibus potentiaque, firma concordia fuit. Renatus Dux Andegauensis non mo-
do aduersis rebus, sed etiam longa vita nobilis, mense Ianuario extinctus in Gallia est, ad
vitæ finem se Aragoniæ, Siciliæ, atque Hierosolymæ Regem nominans, inani appellati-
one, præterea prouentu nullo, ne spe quidem, amissa recuperandi. Hæredem testamento
reliquit Carolum fratris Caroli filium ex asse. Renato Lotaringio suo ex filia
nepoti, Bari Ducatum legavit, quem satis amplum
in Gallia obtinebat.

Lusitanæ

Lusitani Regis obitus. C A P V T XXI.

TOleti geherales conuentus agitati omnino frequentes. voces liberæ fuerunt, ac plenæ expostulationum. nobiles in tenuiorum fortunas grassari populi conquerebatur: eorum avaritia regiū ærarium exhaustum, occupata vœctigalia, imperari noua indies magna prouinciæ calamitate. remedium excogitatum. Dati in causa iudices, ab Henrico Rege factas imprudenter donationes, aut temporum necessitate extortas, iniustas fore pronunciarunt. Nobilium audacia coerceri nondum poterat, neque iudicia restitui magnopere labefactata. Mense tantum Maio omnes ordines sacramento adacti Ioannē Regum filium post eorum fata Castellæ Regem fore. ad sancientam maiestatem, imperiumque stabilendum id pertinere visum est, dubiis prouincialium voluntatibus ea religione sanandis, confirmandisq; in fide. Sic rebus in Citeriori prouincia compositis, Medinā Campestrem atque Vallisoletum itum est. Iis locis regiæ seueritatis nonnulla exempla constituta, sontibus vindicatis viris nobilib. Magnitudine supplicii deterriti alii. Calæci imprimitis, vbi vis eius mali vigebat maximè, fetoci homines ingenio, Lucus, Auria, Mindoniū, Biuerum, atque Brigantinus portus imperata facere recusabant. Ferdinandus Acunia, & Garsias Chinchilla iurisperitus eo missi, conuentu gentis Compostellæ habito, Petro Par do Marescalo, aliisq; factiosis è nobilitate interfectis, latè terrorem vniuersis incusserunt. sic imperii maiestas in ea prouincia sancita est, legibus & magistratibus vetus auctoritas ex longo interuallo reddita: quamuis Ferdinando Rege absente, atque in extremos Cata launos hac occasione profecto. Mahumetes Turcarum Imperator, cursu tot victoriarum ferox, Rhodium insulam firmissimum ea parte piorum nationis propugnaculum, è mari classe, à terra positis ad urbem castris impugnandam suscepit. Tres ibi mēses frustra consumpti. geminę à Neapolitano Rege onerariae missæ, commeatus affatim & recentē militem ad obsecros cum intulissent. irrito Turcæ conatu cum classis parte Apolloniam Macedoniæ urbem tenuerunt Adriatico sinu imminentem vicinamq; Apulis. Ea classe Acomates Satrapes proiectus, in Italia Hydruntem expugnauit Idibus Augusti. nemini armato inermive pepercere barbari. Excursiones tota Apulia faciunt, ferro flammaq; saeuunt. Ingeris terror ostentatus reliquæ Italæ, sed & remotis nationibus Reges incitauit, vt coniunctis viribus oriens incendium comprimerent. A Ferdinando Gonsaluu Beteta in eam rem ad Sixtum Pontificem legatur, haud satis tunc nostris rebus æquum: q; multis antea argumentis perspectum, recens confirmarat, Carrillio Toletano Præsule Legato in Hispania creato, nullo Regis consensu. Sed Principes antea dissidere inter se solitos, periculi nunc societas iuñxit. misso denuo Barcinone Io. Margarito Episcopo Gerundensi ad Italæ Principes mense Februario anno M. quadrin. octoge. primo per causam consti-
tuendæ societatis, classem instrui curat, nauigiorum maiorum minorumq; quinq; & trininta. Idem Lusitanus facit, viginti nauibus comparatis. serius tamen opinione cuncta procedebant: Alfonsusq; Calabriæ Dux iunctis Italæ viribus ægrè in iustum obsidionē barbaros compulit. Mors Mahumetis nunciata fregit animos, extincti Nicomedia in Bithynia ad quintum Nonas Maii. Turcæ iricolumitatē pacti, quinto obsidionis mense urbem dediderunt. Eorum partem Calabriæ Dux retinuit ad mille quingentos, quorum opera vteretur aduersus Florentinos: à quibus barbaros in Italiam fuisse euocatos rumor erat. multis suspecta fraus Alfonsi ea fingētis: & paulatim in plures cœpit manare suspicio. Mahumetis obitu, Byzantii graues tumultus extitere. alii Baizetem preferebant defuncti filium natu maximum: pars Gemen natum patre eodem iam Augusto ad imperium vocabant. A Baizete vixit frater ad Prusiam Bithyniæ, primum in Ægyptum, deinde Rhodum aufugit. Rhodii honorificentissimè exceptum cultumq; multis expetentib. Principibus in Galliam transmisere, gratum Ludouico Regi donum. In Aragoniis Lusitanisque auxiliis parum opis fuit, post deditam Hydruntem appulsis ad ea litora nostris classibus. & erant Regibus noua impedimenta nata, alienissimo reip. tempore Ferdinandus districtus conuentu, qui Calataiubæ est habitus, ad quem Isabella Regina viri iuslu Ioatinem communem filium adduxerat, Alfonso maris Præfector & Petro Velasco Magistro equitū, rerum in Castella cura commendata. Ab ea gente sacramentum acceptum hæredē paterni imperii futurum, cæremonia peracta ad quartū Kal. Junii. idem factum Barcinone aliquanto post. Ferdinandum tantis rebus perficiendis intentum, notia de Vasconū regno cura solicitauit. Petrus Cardinalis, & Iacobus pueri Regis patrui, Cæsaraugustæ dato senatu, gentis calamitates accurata oratione explicarunt. à factiosis vrbes & oppida occupari: à Beumontiis Pompelonem, ab aduersariis Stellam, Sangueflam, Olitum. Regiā maiestatem ad inanem appellationem redactam. pupilli, imbecilli, ac propinquai Regis cala-

mitate moueretur. Ludouicum Lerini Comitem impotenti audacia virū in aduersarios cæde, incēdiis, direptionibus grassari. Petrum Nauaram, & Philippum Petri filium Vasconum Marescalos fraude peremisse. Defuncto Petro Peralta Magistro equitum, eo honore occupato feroçiem euasisse. Ex immanis cupiditatis faucibus reliquam remp. etioperet. In Troilo Carrillio Peralta genero, ad quem cæteræ opes saceri dotis nomine redierunt, haud sati virium erat ad resistendum çmuli audacię. vñus vniuersis plu s poterat publice priuatimq;. Pollicetur Ferdinandus sibi Francisci Regis res curæ fore. mittit cū iis Principibus idoneos viros, qui eius verbis tumultuātes, modestię monerent: obsequiumque Regi suo debitum commendarent. Tafallę gentis conuentu indicto, manda ta ii exposuerunt. negant illi communī consensu factum, quominus Regi liber esset ad regnum aditus: paucorum tantum temeritate impeditum. Veniret modo, datus operam, ne aliquod officium à subditis populis desideraret. Gratum id responsum fuit. de Rege Pompelonem deducendo consilia cum Ferdinandō communicata. armato visum: ne in tanta rerum colluione maiestas ludibrio esset. Regem Lusitanum iisdem diebus mors opprescit, Sintræ in quo conclavi erat natus ad quintum Kal. Septembris. Corpus ad Aliubarrotam tumulo est illatum. Gentis imperium Ioannes eo nomine secundus à morte patris suscepit, ab animi præstantia, & rerum gestarum gloria cognomento Magnus. Graues simultates cum Castellæ Principib. per totam vitam, quas pater simplicius, ipse callidius eoque implacabilius exercuit. Odium in proceres vertit: quos Castellæ reb. fauere suspicabatur, vti mox est explicandum. Clementia, pietate, seueritate in fontes, ingenio sublimi atque præstanti, expedita memoria atque tenaci, cæteros sua ètate Reges exæquauit: multos etiam vicit. Eius illa vox fuit: Imperium prudentes Principes accipere, aut facere commercio perpetuo hominum in omni sapientiæ parte præstantium: quales in aulis Principum ardenti ingenio versantur. & qui cum Principibus loquuntur, ii accurata prudentique oratione, quę dicunt seque probare illis conantur.

Trium Principum funera. CAPVT XXII.

Tribus annis totidem Principum funera continuata sunt. Massiliæ Carolus Andegauensis obiit fine huius anni, herede scripto Gallo Rege. Quātum id turbarū & tempestatum in Italiā concitabit? nobiles sanè principatus Andegauensis atque Prouinciae ei Regi accesserunt. Consequenti anno Mille. quadrin. octoge. secundo Alfonsus Carrillius Toletanus Archiepiscopus ipsis kalend. Iuliis, annis grauis, viuido ingenio, eq; non ciuilibus modo, sed etiam militaribus muneribus idoneo: à quibus tamen necessitate magisternorum, iraque, quam voluntate abscesserat. Tumulus defuncto Compluti, vbi extremam ætatem melioribus studiis propagabat, in D. Francisci, quod ipse monasterium construxerat, constitutus est ad aram maximam. Troili filii extinti consequentibus annis coniunctum ad lœuam sepulchrum, incontinentiæ paternæ fœdum monimentum, Ximenius Cardinalis remouerendum ab oculis multitudinis, atq; in monasterii exedram vbi conuentus monasterii sunt, transferendum curauit. Ad Troilum eiusq; filium Alfonsum, qui in Vasconibus Magister equitum fuit, Falcis Marchiones generis originem referunt. Carrillii Præfuslæ amulius Hispaniæ Cardinalis, Reges in Aragoniam secutus Toletanam Ecclesiam regēdam suscepit, vir magnus, maiorum gloria non magis, quam suis virtutibus clarus. Ea meritis gratia est habita, perpetuæque iuuandæ reipub. voluntati. Enecus Manricus Giennensis Episcopus in eius locum Hispali Præsul est datus. In Vasconibus nouum gaudium maiori luđtu mutatum. Franciscus Rex ex Gallia, vbi se tenebat, ob graues & diuturnos Vasconum motus, tandem vt erat constitutum, matre, patruis, atque pleraque ex vtraque gente nobilitate deduentibus. Pompelonem delatus, atque insigni plausu atque apparatu exceptus, in eius vrbis templo primario, regio insigni de sumpto tertio Non. Nouembris Rex est proclamatus: in ipso ætatis flore quindecim annos natus, formæ dignitate, venustateque conspicua, indole virtutum omnium præstanti. Beumontios Agramontiosque inuidiosa exitialiaque nomina compellari capite sanxit. Ludouico Lerini Comiti vt Magister equitum esset confirmauit. Larragam aliaque oppida adiunxit hominē præualidum promerendum blandimenta, Rex bonis artibus, bonoq; confilio popularis. Prouincia lustrata, sublata maleficia, auctoritas restituta magistratibus. cura posteritatis suberat. A Ferdinando Rege Ioannæ filiæ sponsus destinabatur. Gallus auunculus Ioannam alteram præferebat, quamuis in Lusitania virginē sacram Castellæ regni spe dotali, Gallicis armis recuperandi. Magdalena Vasconis mater fœmina ambitiosa ad Gallos propensa, eo magis cōfilio probato, vimque aut fraudē verita, au tor

ctor filio exstitit, vti Galliam repeteret: vbi ampla ditio erat. Vix eo delatū mors oppressit ad D. Pauli fanum tertio Kal. Februarii, anno salutis Millesi. quadringentesi. octuage. tertio importuna inuida tristisque. Sic adolescentiæ flos quasi ventorum turbine decuslus, occidit, cum primos honores ostentaret. Corpus Lescare sepultum est, Bearnae vrbe. Soror Catharina Vasconum regnum suscepit, vt opus erat: initoque in Gallia coniugio imperium ad Gallos transtulit, neque diuturnum neque felix: Excepere varii rerum motus, multiplices hominum conatus, temporum conditio misera: qualem fuisse fides est, puer in minori ætate, regni herede matre in Gallia orta, eoque à rebus Hispaniæ auersa.

Coniuratio in Lusitanum Regem. CAPUT XXIIIL

IN Lusitania Ioannes Rex coniuratos in suū caput proceres suppliciis vindicabat, cotti-
paratum parricidium multorum sanguine expians. Mores asperiores, seueritas iudicio-
rum, ad hæc lingue procacitas nobilitatem alienarat: atq; illud maxime, q; contra Maio-
rū morem in regulorū ditione iis inuitis lictores regii santes plectere non dubitarent, Re-
gis fauore & præceptis insolētiores. Irritati proceres iniuria, in commune consultant: ar-
misque decernunt, si foret opus, vindicandam libertatē, & iura maiorū meritis data. Duo
Duces regia nobilitate, opibus validi, Ferdinandus Brigantinus, Jacobus Visei, cōiuratio-
nis capita erant. hos multi alii sequebantur, Montis maioris Marchio, Fari Comes, Brigan-
tini fratres, Garsias Menesius Eboræ Episcopus cū fratre Ferdinando, Lupus Alburquer-
quius Penamacoris Comes. Atrocis conspirationis indicium hac occasione factum est.
Cōuentus gentis Eboræ à nouo Rege habebantur, omnino frequentes. In iis conuentib.
tū alia præclara sancta sunt, tum procérum libertas astricta lege, ne impune popularibus
nocerent: neque plus legibus & æquitate possent. Conquerebatur Brigantinus, datam
maioribus auctoritatem, violandam non videri. veteres schedas excuti mandat, Regum-
que diplomata Brigantinis Ducibus data. Inter eas schedas Lupus Figueredus rationum
Magister inuenit tabulas, quibus cum Castellæ Rege inita consilia reipub. exitialia con-
stabant. Eas clam desumptas ad Regem perfert. quibus ille cognitis dissimulare iubet, &
exempli transcripto, vnde acceperat, referre tabulas. Accidit vt Regina ex maturo partu
decumberet Almerini primo vere ipso anno huius seculi octuage simo tertio. Eius inui-
sendæ & confirmadæ studio frater Visei, & sororius Brigantii Duces accedunt. splendide
accepti abs Rege, atque omni comitate culti, die quodam, facto sacrificio, Brigantinum
secreto in hunc modum Rex alloquitur. Dux amice. Sacris operati & ad sanctissimas aras
verissima loqui, certo tibi persuadeas velim. Consilia contra nos cum Castella agitasse,
neque tibi honesta, neque debita nobis, manifestus cum sis, vix credo tamen, tanta supe-
riorem gloriam & merita, ignominia fœdasse. Quanto hæc cum dolore loquor? Sed quid
quid id est tamen, perpetua obliuione delere fixum animo habeo: atque cum offensa be-
neficio certare: nouisque honoribus cumulare mutantem modo, nobiscumque sentien-
tem: quem Deus huius imperii sceptræ tenere voluit: te proximum potentia & auctorita-
tis locum occupare, opes regiis æmulas, coniugio certe parem, cum duas sorores habe-
mus vxores. Quis tanta vincula amicitiae disruptus? aut à quo expectare possis ampliores
honores? Excæcauit mentem dolor nimirū. sed si quid in nouo regno offensum est mu-
tabitur. si à lictoribus nostris aliqua irrogata iniuria, exemplo patientiæ debuisti præluce-
realis. etiam egò cum me docueris, errata libenter emendabo. Ad tuendam remp. non
consilium tantum à te exspecto, sed arma. Quod vt eo studio, quo opus est facias, te rursus
cupio exoratum. Commouit Brigantini Duci animum oratio Regis. Ne faciles crimina-
tionibus præberet aures obsecrat. Se haudquaquam maiorum gloriam perfidia obscura-
turum. Acceptis iniuriis majora beneficia fuisse. Procul tantum facinus superi auerteret.
Ne cogitasne quidem tantum nefas. Si falleret, dira caput suum imprecatione execratur.
Sic à colloquio discéssum est. Rex Scalabim abiit, Duces in suæ ditionis oppida haudqua-
quam mutatis animis. Ferdinandus Talauera ex Hieronymiano ordine Prati Prior, Castel-
lae Regibus à sacris confessionibus in Lusitaniam legatus, vt cōmuni consensu firmato fœ-
dere obsides recipierent, obtinuit. In veteri fœdere id mutatū tantum est, vt Alfonsus Lu-
sitanus filio Ioanna nuberet Ferdinandi Regis filia minor, ætate simili aucta dote. Extre-
mo mense Maio Isabella ad parentes in Castellam missa, ad Lusitanum Alfonsus puer.
Redeūtem ad patrem officii causa Brigantino prosecuto, Eboræ, vbi curia erat, iniiciun-
tur vincula. Nouo indicio cognitum erat, Petro Iusarte internuncio, cum Castel-
lae Rege vetera concilia repetita. Id Gaspar Iusartes Petri frater indicauit Regi,
pro quo officio consequenti tempore honores vtrique fratri habitu sunt: Petroque

Arroiolium oppidum datum est. Dicta causa Brigantinus maiestatis lege, capitis suppli-
cium subiit ad decimum Kalend. Iulii. ceteris documentum datum est, res nisi magno
discrimine magnoque motu non nouari, ipsi etiam persepe oppressis auctoribus. Idem
supplicium de sex aliis nobilibus Lusitanis, qui in parte coniurationis erant, sumptum est.
Magister equitum cum aliis præceps è prouincia exturbatur. Brigantini fratres celeri fu-
ga se se è periculo eripuerunt. Filii Philippus, Jacobus, Dionysius à matre Isabella in Ca-
stellam amandati, quam primum tristem nancium accepit, virum esse captum. Ex iis Phi-
lippus in Castella obiit. Jacobus rediit in Lusitaniam venia accepta. Dionysius Lemosii
Comitem in Castella duxit. Visei Ducem & eas tutata est. Proxima die à Brigantini suppli-
cio verbis modo castigatum Rex, atque ferme periculo exanimatum in columem dimisit. 10
Nihil neq; severitate priori neq; noua clementia, animi coniuratorum mouentur. clan-
culum inter se conuenientes, temporum conditionem conqueruntur seruituti prox-
imam. In paucorum potentiam, ius ditionemque concessisse: reliquos vulgus esse sine au-
toritate gratiaque: Brigantinum quoniam ea ferenda nō putasset, capite poenas soluisse.
„ Eius exemplum ad singulos posse recidere. Quæ quoisque patiemur viri Principes? nisi
„ prauos conatus insigni aliquo facinore occupamus, omnib. simul pereundum est. Quin
„ cædem cæde expiamus? & tyranni sanguine, optimi atque innocentis Principis manibus
parentamus? Id communi sententia decretum. Rege sublato Visei Duci gentis imperium
destinatur. Ingens cœptum, pertinax conatus, fœdus exitus. dum tempus rei perficiendæ
expectatur, detecta Regi coniuratio est. Erat Diegho Tinoco soror Eborensi Episcopo 20
stupri consuetudine familiaris. ea cognitum periculum fratri denunciat: ille Regi Setu-
bale in oppido in veste Franciscana, quo indicium esset occultius. Idem Vasco Coutinus
renūciasse, cuius frater Guterrius Coutinus coniurationis factæ particeps erat. Vasco indi-
ci post depulsum periculum Borba Comitatus, Stremotūque præmium fuit. Regresso
forte in agrum vicinum Regi, ut templum inuiseret opinione sanctitatis præstans, adsunt
coniurati mutua fide læti: cuius documentum tot diebus fuerat silentium seruatū. Tem-
plo egressum perimere parabant. sed fortuna Regis & Fariæ cubicularii diligentia pro-
texit. Ad aurem denunciato periculo, cum coniuratos comiter appellasset, furorem illi
continuerunt. Ad suburbium oppidi mareq; templum alterum est Antiquæ Virginis no-
mine. In id Rex dissimulanter ingressus, dū plures aulici cōuenirent ad præsidium moratus;
est, cū Vasco Coutino de industria producto sermone. Grauis erat cōiuratis mōra, sollicitis
ne ex tanto numero aliquis fidē mutaret. Dies is Veneris erat sexto kalend. Septemb. cum
Rex vitato periculo, Visei Ducem Palmela, ybi cum matre euentum morabatur, venire
ad se iubet, confitit aliis causis. Pertinax est animus, quem ingens spes deuouit. in tanto
quamuis periculo Regem adire non dubitat. Iussum in cœnaculū ascendere paucis præ-
sentibus adacto in pectus pugione peremit. Illud modo fatus: Ito Brigantino renūcias con-
iurationis exitū ab ipso inchoatæ. Erat is viginti annos circiter natus. mathematici gen-
tis imperium quasi ex astrorum inspectione denunciarunt, genus hominum fallax & va-
num: cuius in omnibus nationibus mendacia viguerunt, vigebuntque. Emanueli occisi
Principis fratri omnia, quæ ille habebat, continuo sunt data: vno tantum principatus no- 40
mine mutato, ut Pacis Iuliæ Dux vocaretur, imperatum. Huic numina imperium gentis
destinabant. quod sphera orbis similitudine clypeo adiuncta temerè, portendisse visa est.
Diegho Sylua eius pædagogo institutionis præclaræ præmium fuit oppidum Portalegre
Comitis nomine. E coniuratis aliis, nonnulli capti, Eboræ Episcopus cū fratre Fernan-
do Menesio & Guterrio Coutino. maior pars in Castellam aufugit vagi, inopes, atque
mōrere oppleti. Is finis tetræ cōspirationis fuit, ea merces. Isdem diebus Ludouicus Gal-
liæ Rex ad tertium Kal. Septembbris in suburbano Turonum nemore decessit, postre-
mis testamenti tabulis mandans Ruscinonenses & Ceretanos veteri Aragoniæ imperio
restitui. Successit Carolus filius tredecim annos natus imbecilla valetudine. Pater Amba-
siæ educandum curauerat, præter domesticos ministros, ceteris omnibus eius visendi, 50
conueniendique potestate sublata, ne Latinæ quidem lingue præceptore dato, illud si sci-
ret satis fore dictitans: Qui nescit simulare, nescit regnare. Verum longius proue-

stam narrationem retro reuocemus opus est, in Castellamque
referamus nouo facto principio.

Libri vigesimi quarti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI,
E SOCIETATE IESV,
HISTORIÆ DE REBUS
HISPANIÆ,
LIBER XXV.

Belli Granatensis initium. CAPUT I.



NITIVM nouæ narrationis, susceptiq; operis optata metà bellum Granatense erit: quod Regum Ferdinandi & Isabellæ auspicis ductuq; decem annis gestum est, plenum variis casibus, atrox præliis, successu lœtum faustumque Hispaniæ, piorumq; nationi vniuersæ, barbarorum imperio ab stirpe conuulso: quod septingentis amplius annis, ea parte steterat in Hispania, magna nostræ gentis ignominia probroq;. Terram è propinquo cernentibus, longa, ac diffcili nauigatione iactatis detur occupare portum: & confirmatis ingenii virib: labori finem imponere. Cōcēdite Superi votis parem facultatem. Bæticam inter & Catthaginem prouinciam Granatæ regnum iacet, vtriusque prouinciæ pars, ambitu colligens septingenta passuum milia, maiori longitudine, latitudine impari. Arunda enim Oscam ducenta & quadraginta millia, Cambile Almuncarem vsque centum millia numeramus. Murciæ regnum, hoc est, veteres Contestanos ab ortu Solis terminum habet, à meridie Mediterraneum mare, ad Occasum septentrionemque, aliis Bæticæ regionibus clauditur. Lætissima cæli soliq; facies est, agri omni fertilitate terræ inter primos Hispaniæ conspicui. Ipsi montes, quib: regio magna ex parte impedita est, aquis manantibus irrigui idoneique culturæ, mites arbores alunt, perpetuaque viriditate amoeni sunt. Vnde aeris temperies hyeme atque aestate, corporibus imprimis salutaris, præsertim qua parte regni caput vrbs Granata sita est, in paucis nobilissima frequentissimaque. De cuius nomine vniuersæ prouinciæ appellatio facta est. ipsi ab spelunca longissima ad Alfaharium pagum pertinente: vbi arcans olim sacris, & damnatis artibus incolas operatos fama est. Gar enim Arabum lingua spelunca est: & ex Nata Syriae vrbe, sic aiunt, aduecti à Tariffio milites, oppressa Hispania iis locis fortunarum sedes collokarunt. ab vtraq; voce Granatæ vocem conflatâ maiori prudenter & eruditione auctores affirmant. alias notationes nominis afferunt alii. Sed chartas inficere, & abuti patientia, non est necesse incertis originibus & opinionibus commorandis. Sanè eo tractatu vrbes quatuordecim erant, municipia septem & nonaginta, quo tempore postremo bello petiti, oppressisque Mauri sunt. in eo numero Almeria, Malaca, Guidixium, quæ Plinio Acci est, maiori frequentia & nobilitate celebrantur. Belli causæ ab antiquo multæ extabant. Mauri nominis intuicia, discrepantes de rebus diuinis opiniones, regnum iniuria in Hispania constitutum, retentumque diu, pudenda ignoritia nominis Christiani, multæ & graues inter vtranque gentem iniuriæ: quod fere finitimis regnis accidit. Reliquias eius gentis ad Hispaniæ angulum redactas, nostrorum Regum imbecillitas texit, prouincia in plures principatus distracta, fatali inter Principes dissidio, nullo communi consensu: vt fere tantum de publicis damnis sentimus, quantum ad priuatas res pertinere putamus: religionis amor parum mouet, præ cupiditate iniurias vindicandi, proferendi imperium. Si quando præclari conatus extabant, Africæ vicinæ vires opponabantur, vnde certa auxiliorum spes erat: sæpeque torrentis instar se se numerosæ Afrorum copiæ infuderunt in Hispaniam rapidæ, feroce, formidabilesque. sic factum, vt impiæ gentis imperium non toto triennio constitutum, tandem steterit. sic cælo visum. nostræ gentis peccatis iustissima ea merces fuit. Superis irritatis, atque inolentibus, inanis conatus omnis fit: placatis cuncta prosperè cadent: vti ea tempestate accidit. Quæstionibus de religione constitutis, magistratum auctoritate fundata,

quæ fluxa eatus fuerat, iniuriis, latrociniis, cedibus vindicatis, continuò nouum lumen affusit. Rebus numine propitio, prouinciae viribus confirmatis excisi, oppressi; Mauri sunt. Ad veteres belli causas noua accessit. Zahara munitum opere oppidum Arundam inter & Assidoniam situm nostrorum ditione tenebatur, à Ferdinando Ferdinandi Regis suo captum de Mauris, vti superius est demonstratum. Præsidio præfectus Fernádus Sahauedra, vt in nullo tali metu securus, parum erat à milite & commeatu paratus. Id Regem barbarum Albohacenum non latuit. cum suorum manu nocturna vi, improviso aduentu oppidum capit ad sextum Kalend. Ianuarii, in eunte anno Millesimo quadragesimo octuagesimo primo. & erat nox opportuna conatui, imbrum & ventorum tempestate turbida: oppidanis res trepidæ, metus ingens, repentinum malum. Pecudum instar trucidantur, quicunque armis resistere ausi sunt. aliorum greges munito oppido præ viatoribus aguntur Granatam, nulla commiseratione ætatis, sexus, aut conditionis. Graue id detrimentum visum est, neque ferenda contumelia. nonnulli vt in malis lætabantur iniectam necessitatem recentes & veteres iniurias vindicandi, impiæ gentis exitio. Ferdinandus & Isabella Medinæ Campestris, vbi nuncium rei gestæ acceperunt, præfectis limiti & vicinis vrbibus mandant, se se ad bellum comparent: nihilque de diligentia & vigilancia remittant: alienæ calamitatis exemplo cautores sint: nullam barbaris fidem esse sanctam. Excusabant illi indiciarum tempore latrocinia utrosque in alteros exercere consueisse: prædas agere: carpere oppida, triduano modo conatu, nullisq; in obsidionis formam iuxta positis castris. Ea licentia, parique fiducia Castellarium atque Olbera tentatur à Mauris principio anni proximi Millesimi quadragesimi secundi. Nostris nouis identidem prouocati malis vindicare parant. Magna militari manu contracta, qua parte irrumpendum in fines hostium sit, deliberatur: cum cognitum est Alhamam oppidum iniuriæ opportunum fore, exiguo præsidio, imbecilloque, raris vigiliis. Id Dieghus Merlus Urbanus Hispali prætor, cui rerum & belli summa erat à Ferdinando Rege commendata, cum Roderico Pontio Marchione Gaditano communicat. auis nocturnisque itineribus aduolant. sequebantur equites duo millia quingenti, pedites, ad quatuor millia. Trinis castris ad vallem peruenit, locis paulo superioribus circumuentam. milites itinere fessos docent duces, Alhamam non amplius duobus millibus passuum abesse. decere eos libenti animo pati reliquum laborem, dū Mauros vindicent, perpetuos Christiani nominis hostes: præterea prædam ostentant. Ex omni copia trecenti delecti præcedunt nocte intempesta: omnia quieta esse in arce considerant. Admotis scalis in muros condescendunt. primus Ioannes Ortega: deinde Ioannes Toletanus ciuis, & Martinus Galindus præcipua milites audacia. vigiles somno sepultos perimunt, aliisque trucidatis, porta, quæ ad campos pertinet, patefacta, reliquæ copiæ admittuntur. Oppidani improviso metu perculti corripiunt arma: aditum obsident arcis. Lucente die, Sanctius Abula & Martinus Rogius arcium præfecti Carmonæ Arcobrigæque signo dato, in oppidum irrumperè ex arce primi conati infelicitis audaciæ poenas dant in ipso aditu strati hostium telis. Res moram non recipiebat, quoniam id oppidum Granata abest triginta modo passuum millibus. Quantum ergo auctoritatis audacia partum erat, tantum periculi suberat, nisi continuo oppidum in potestatem venisset. par utrinque difficultas. Quidam euertendam arcem incendendamque disputabant: atque in pacata concedendum. Audacieores in temeritate spem habere, periculum, vulnera, cædes victoriae & prædæ auditate pensare soliti. supremum conatum adhibere visum est: oppidumque uno tempore variis partibus impugnare. Per muri ruinæ quidam scandunt: dumque oppidanorum vim in se vertunt, data facultas nostris est, ex arce in oppidum penetrandi. pugnatur acriter in plateis. Nostræ virtute vincebant, numero oppidani, sed imbellis ferme, commercio dediti atque balneis, quæ in eo oppido sunt nobilissima emollii, fractique viribus. præcipites tamen desperatio agit, acre in periculo telum. Pugna ad noctem tenuit. hostium obstinatio, nostrorum constantia victa est. qui ad templum confugerant magno numero, pars trucidati, alii in seruitutem capti sunt. Sic amissæ Zahara leuata ignominia, maiorique illico, quam acceperant damno, vindicata iniuria est. Cruenti belli & diuturni hæc initia prima fuerunt. Extat de ea victoria carmen vulgari lingua ea tempestate laudabile, neque nunc inconditum, & agreste si referatur. Alhama in potestatem redacta est pridie kal. Martias. Magnus terror barbaris, magna nostris cura incussa est. terrebat Mauros audacia: finemque imperio Maurico ne appropinquaret verebantur. ostenta de celo angelabat, senexq; fatidicus Zahara capta clamasse fertur. Huius oppidi rudera, utinam falsus vautes sim, in nostra capita incident. Imperii finem in Hispania venisse, præsigit animus.

mis. Eo maiori diligentia delectus vniuersa prouincia habentur. Rex ipse Albohacenus raptim Alhamam progreditur, tria millia equitum, pedites ad quinquaginta millia trahens. Terrebat nostros is apparatus: sed eò progressum erat, vnde sine pernicie & dedecore nisi viatores redire non possent. Ea cura nuncios in omnes partes dimittunt, auxilia postulatum. Ipsi non nocte, non die ab oppido muniendo cessant: atque eas muri partes reficiunt, quæ hostibus opportunæ maximè erant. Præ festinatione hostes neq; tormenta adduxerant, neque machinas oppido expugnando. Id saluti fuit, inani hostium impetu, nostris egregiè pro muro defendantibus, saxaq; & alia, quæ ad manum erant, in subeuntes prouoluentibus. Ad vicinum fluuium maior pugna fuit: vnde quoniam oppidani aquabantur, nullis intra mœnia fontibus, ne cisternis quidem, Mauri alio auertere contendebant: multisque quamuis à nostris vulneratis, perfecere tamen. Baetici ad periculi famam excitantur. Corduba missi mille equites, pedites triplicato numero ductore Alfonso Aquilario, infessis ab hoste montibus retro redierunt. In Duce Assidonie Henrico Gusmanio, reliqua spes erat: tenuis tamen quoniam infensem ex priuatis contentionib. Gaditano, noua iniuria exacerbarant, eo inscio tantum facinus aggressi. Patriæ caritas generosum animum flexit. ante dissidere solitos, communis nunc periculi societas iūxit. Sublato Hispalēsi vexillo, adiunctisq; aliis proceribus, Roderico Gironio Calatravae Magistro, Diegho Paciecho Villenæ Marchione opitulatum obfessis ire constituit. quinque millia equitum erant, pedites ad quadraginta millia. ex omnibus partib. voluntarii magno numero confluxerant, tanta erat cupiditas pro religione pugnandi. Ferdinandus Rex, quo die Alhamam fuisse captam, & de nostrorum periculo nunciatum est, Medina Campestri prefectus Reginaq; sequi iussa, magnis itineribus festinat. Dat literas proceribus, ne se absente in hostium fines irrumptant, maiori conatu & viribus opus esse. Regiæ voluntati obtemperare integrum nō erat. longius prouecti erant: maius in mora periculum obfessis, siti vehementer laborantibus. Consilium salutare fuit. nostrorum aduentum barbari non expectarunt. ne tentata quidem pugna ab obfitione discessum. Venientib. obfessi obuiam progrederuntur. arma posita, salutatio facta. dextræ iunctæ. in complexum itum. manantibus præ gaudio lacrymis, prior Gaditanus Assidonie Ducem complectitur. præsidium, columen appellat. Detersis simultatibus, quæ multis annis viguerant in ter vtranq; familiam, ad totius belli summam, haud dubium prosperi euentus omen accipitur. Eam lætitiam parum abfuit, quin contentio inter milites exorta conturbaret. petebant auxiliarii spoliorum participes esse: fructum victoriae non minus ad ipsos pertinere: qui tantum periculi tuendo oppido suscepissent. A verbis ventum esset ad manus, ni Assidonie Dux periculo cognito, suorum animos compescuisset. Sibi, inquit, spolia milites, quibus fortuna dedit, habeant: nos pro gloria, pro communi salute certauimus. Is fructus in præsenti esto: in posterum quoniam bellum ducetur, vniuersi imperii Maurici, opes vestræ virtuti profiteor paratas esse. Sic rixa pacata, oppidoque nouo militari præsidio munito, in pacata reliquæ copiæ concesserunt. Non defuit occasiō barbarus. repetita continuo obficio maioris impetu est: variae etiam manus prædatum in vicinos Boeticæ agros irruperunt. Erat superior Alhamæ pars loco munita, arduo ascensu, saxisque extantib. impedita. Eo minor custodia erat. nocte quadam albente cælo ad duodecimum Kal. Maii Mauri ea parte solitudinem intelligentes, ad summum montis egressi in oppidum transcederant: cum ad periculum nostri exciti, pro extrema salute enixè dimicantes, barbaros alios trucidant, alios è muro deturbant præcipites. Sic ex magno periculo seruati sunt. Duo ciues Hispalenses Petrus Pineda, & Alfonsus Pontius defensi oppidi, præcipuam eo die laudem tulerunt.

Rex Albohacenus pellitur Granata.

CAPUT II.

A lhama impugnabatur, simul de belli summa Cordubæ deliberatio erat. Cautioribus deserendam eam vrbem disputantibus, circumfusos hostes, auxilia procul, incertos bellii exitus, martemq; communem, Regina virilis animi fœmina defendendam censuit. quid enim arcem desererent, se Regibus de Mauris primò captam? quid eo consilio nisi timoris turpissimi significationem contineri, vnde animus hostibus crescat, minuatur nostris? Ea valuit sententia. Quo maior esset auctoritas nouam expeditionem adornare vi- sum est: Loxāq; obfidere firmā iis locis vrbē, nec procul Ahama dissitā. Astigim omnes copiæ conuenire iussæ. quinq; millia equitū erant, peditū octo millia, numero tatis conatib. in pares. cū parte Rex digressis iā barbaris Alhamā nouo præsidio muniuit, eò delatus ad tertiu Kal. Maii, præfecto Ludouico Portocarrerio Palmæ regulo, præstanti ea ætate viro,

mox Granatæ planicie vastata impune se se Cordubam retulit, reliqua quæ ex belli vsu futura erant, comparatum. & erat Regina vicina partui, quo getminam prolem enixa est, ad tertium Kal. Iulii, tempestive alteram, cui Mariæ nomen fuit. fœtus alter immaturus fuit: vnde anceps omen captatum vulgo, variisque sermonibus materia extitit. Mali suspicione auxit insolitus mœror in vultu consideratus, eorum qui publica supplicatione instituta vexilla sacra precatione lustranda in templum detulerunt. Ab aliis hęc ut fortuita ridebantur. Die postero Astigim Rex petiit multis proceribus stipatus: & fere nullus erat alicuius nominis, quin eo cuperet reipublicæ operam nauare. Multis quamuis contra disputantibus, alioque contendendū affirmantibus, Merli sententia valuit, queniam ei Rex multū credebat. Loxa petita, castra ad suburbia posita, inter vicina oliueta: qua Singilis 10 amnis labitur altis ripis difficulti vado. Erat locus angustus, neq; idoneus equitatu explicādo: ponte q; à ciuib. munito difficultis trāsitus in vleriorē partē. Erat prope cliuus Albohaceni nomine. Eius occupandi, quoniā, ad prohibēdas hostiū eruptiones idoneus erat, imminebatq; vrbi, cura data Calatrauę Magistro, Villenio, atq; Gaditano. Erāt in vrbe ad tria millia equitū Duce impigro Alatare. Ab his tū aliae eruptiones facte: tum die Sabbatho nō uis auxiliis atcti, maiorum spe facta (nam Rex ipse Maurus Granata eo festinabat) bipartito agmine in nostrorum stationem, eorum qui in cliuo erant, impetum faciunt. Iis in fugam versis, reliqui milites in pugnam progrediuntur, nullo militari ordine, nulloque in castris præsidio. Quo cognito, alterum hostium agmen prope sine certamine castra cepit. Metus ingens, ex eo ac trepidatio pugnates inuadit. In castra reuersi acriter pugnam instaurant frustra, cum ab vtraque parte hostium telis peterentur. Cecidit in conflictu Calatrauę Magister, duabus sagittis vulneratus, alterius sub brachio ictu lethali, in flore ætatis, viginti quatuor annos natus. crudelitas fati tanto viro indigna importunaque. perierte multi alii, pars effusa fuga seruati. Haud secus quam par erat, ea clade commotus Rex, seroque intelligens, vera fratrem Villæformosæ Ducem monuisse, castra imperite fuisse metata, neque vires idoneas tanto conatui: simul de hostium itinere certior factus proxima luce, vasis conclamatis, sese retro retulit: neque prius constitit, quād ad Petram amantium ventum est, viginti octo inde millibus passuum. Saluti fuit, quod se intrepide receperunt: & in barbaros, qui postremum agmen carpere non desistebant, à Gaditano cum suorum manu impetus factus: quem illi non tulerunt, reiecti, in vrbem 30 sunt. Hic fuit exitus huius expeditionis. Nec deerant sermones, qui Ferdinando insidias à suis paratas euulgarēt, eaque necessitate discessisse. Ipse literis in omnes partes datis militum paucitatem excusauit: & plerique signa deseruerant, infrequentiaque reliquerant, ex vrbaniis delectibus collectiti, suarumque vrbium stipendia facientes: quod necessitas temporum erariiq; inopia excusabat, alioqui magnis obnoxium incommodis, vt tunc accedit. Paruæ plerunque offensiones maximas trahunt. Mauri successu feroce Alhamæ obsidionem repetunt, non minori quam ante conatu. Obsessorum periculo commotus Ferdinandus, eo profectus, commeatum intulit in nonum mensem Augosti quartodeci- mo die: nouumque Præfetum dedit Ludouicum Osorium, quamuis in infulis Giennen sem Episcopum destinatum, scientia militari magnoque virum animo. & quo maior es- 40 set auctoritas rursus Granatæ planiciem, agrosque incendio & direptionibus vastat. Sexcentos Mauros equites Granata egressos ad resistendum, Cabræ Comes, atque Calatrauę Promagister magna strage in vrbem reiiciunt. Rebus asperis in ea gente extremum malorum discordia accesserat. plerique ciues Granatenses correptis armis, Albohacenum vrbē expulerunt. Remp. impotenter habere accusabant, temerarioque conatu tantum bellum in ditionem attraxisse. In eius locum filius Mahomad Boabdiles cognomen to Paruulus suffectus est, (Hali Muleius Alcadurbilis à quibusdam vocatur.) in Albohaceni fide Malaca, Basta, aliaeque vrbes perstitere. sic diuisa in factiones g̃es est: neque minus intestinis dissidiis, quam externis hostibus laborabant, conditio misera atque perturbata, qualem fuisse fides sit, duobus in exigua prouincia Regibus. Mirum videatur tamen in tanta quamuis discordia, à neutra parte nostros in auxilium fuisse vocatos: quin in ipso ardore belli ciuilis constat, tum alias irruptiones tentatas, tū Cagnetum oppidum ad confines vtriusq; gentis, de nostris captum fuisse. Insignem animorum fiduciā, audaciāque.

Nostrorum ad Malacæ montes strages. C A P V T III.

REges à Bello Maurico tanti per aliae regni cure euocabant in Carpetanos. Ergo Pe- tro Manrico, quem nuper ex Treuigni Comite, Anagari Ducem crearant, Astigi, & Alfonso Cardena Diui Iacobi Magistro Giennii bellum curare, & limiti præesse iussis, atque

hūe Ioanne Sylua Cifontano Comite in Merli defuncti locum Hispali Præfecto dato,
 Madritum ipsi hyeme appetente perueniunt. In eo municipio vrbium societates, quas
 ante aliquot annos institutas esse diximus, nouis astrictæ sunt legibus: ne concessa pote-
 state abuterentur; prouidendum erat scilicet. subsidium etiam in belli Maurici vsus con-
 cesserunt, sedecim iumentorum millia ad comportandum commeatum. A Sixto Ponti-
 fice impetratum, ut centum aureorum millia sacerdotiis imperaret: data etiam peccato-
 rum venia Cruciatæ nomine iis, qui aut voluntarii arma sumerent, aut certam stipem in
 æratum conferrent. Quod tertio anno repetitum, neque intermissum consequēti tem-
 pore, ab hoc initio magnam pecuniæ vim iam omnibus annis in regium ærarium infert:
 10 Ecce via pecuniæ redigendæ nuper inuentæ, ab iis qui talia acriter speculando gratiā Prin-
 cipum autupari solent, magis incommodæ, quam molestæ: vti tempus, & maior rerum
 vsus aperuit. A mensariis & subditis aliis, grandis præterea pecunia mutua sumpta est: A-
 ragoniis Raymundum Folchium Cardonæ Comitem, rectorem destinatum accipere
 detrectantibus, legesque patrias excusantibus, quæ externum hominem rebus præfici
 vetarent, filium Alfonsum Aragonum Cæsaraugustæ præsulem rectorem dedit. De Lu-
 sitanis & Vasconibus maior cura suberat, ne resp. incommodo tempore, iis partibus, no-
 uis motib. agitaretur. Lusitanus Ioānam Henrici Castellæ Regis filiam cōnubio iungere
 Regi Vasconum cogitabat: Vascones ad Gallos propensi erant. Lusitani placandi cura
 Lupo Datougiaæ homini Lusitano, & Ioanni Orteghæ Cauriensi Episcopo data est. ad
 20 Vascones Rodericus Maldonatus legatur ut Catharinam nouam Reginam fratre inte-
 rim defuncto, in coniugium expertat Ioanni Ferdinandi filio, iussus prehensare, & solici-
 tare quo sunque idoneos inueniret, præsertim è factione Beamontensium: in quorum
 potestate Pompelo vrbis erat, & multo maxima regni pars. penes Principes nomen ma-
 gis imperii, quam auctoritas imperandi. Abenæ quidem regulus pro Rege rebus præfe-
 ctus erat homo Gallus præstanti prudētia, magnoque rerum vsu. Magdalena Reginæ ma-
 ter, audita Castellæ legatione, siue vera siue simulata latitia negat honestiorem vllam
 conditionem offerri posse: se moram coniugio non facturam. In Calæcis tumultus erant
 inter duas familias Magistrum equitum, & Beneuentanum. vtraque factio Episcoporum
 arces inuadebat, vnde in aduersarios grassarentur. Eas Rex Ferdinando Aæunio prouin-
 ciæ præfecto præoccupare mandat. Petrus Osorius Lemosii Comes, dū fratribus Episcopi
 Lucensis patrocinium suscipit, ad eam vrbem obsessa ab eo arce pene iustū bellū exarsit.
 Ea necessitate Ferdinandus Madrito profectus ad tertiu Idus Februarias, eius seculi anno
 octogesimo tertio. In ipso itinere nūciatur, Lemosii Comitem decessisse, ex filio Alfonso, 1483
 Roderico nepote superstite: quem quamuis furto genitum, venia Pontificum heredem
 scripserat, viuensque in principatus possessionem miserat. Ex ea re nouæ contentiones
 exarserunt, Ioanna defuncti Comitis filia quæ nupta erat Ludouico Beneuentani filio,
 cum principatum ad se reuocante. ventum ad manus erat, eos Rex pacate constituit ius-
 sos abstinere ab armis, iureque potius & causa quam vi disceptare, in defuncti nepotem
 propensior. His rebus in Calecia districto Rege, grauis clades ac qua nulla maior eo bel-
 lo, à Mauris ad Malacam inflicta est. Petrus Henricus Bæticæ Antelatus Cagnetum suæ
 ditionis oppidum receptum adiutore Gaditano, reficiendum curauit. Alia parte Alfon-
 sus Aquilarius, & Diui Iacobi Magister, contracta suorum manu, quoniam prima succe-
 ferant, elati in hostium fines incurrere constituunt. simili studio Ioannes Sylua Comes
 Cifontanus Hispali præfectus, cū eius vrbis equitib. Zaharā Mauris eripere cogitabat. Fru-
 stra iis conatus fuit. sed communicato tamen Duces consilio, triplici agmine in Ma-
 lacæ agros pergunt penetrare, bombycis artificio nobiles, eoque diuites præda præ aliis:
 cuius maior, quam religionis aut æquitatis cura erat. Studio par exitus. mōtes prope Ma-
 lacam sunt dumetis & rupibus horridi. Ea parte nostri inuesti agros populantur: pecora
 abigunt: villas vicosque incendunt: nulli omnium rerum parcitur. nonnulli etiam è no-
 stris equitibus iuuenta feroce ad ipsa Malacæ moenia procedunt. Dementia non teme-
 ritas erat: qua Malacæ ciues irati, simul montani homines, quos locorum asperitas dura-
 uerat, dolor accenderat, se omnibus partibus effundunt. Due in pacata ferebant viæ:
 altera præter oram maris planior, sed longior, arceque Malacitana, & æstuariis impedita:
 altera qua venerant, breuior, sed saltibus, perpetuisque montibus aspera. Ac præsertim
 duo montes sunt, perpetuis circa se iugis clausi. iacet in medio profundā vallem medium
 secans amnis. In eam vallem dimissos nostros, satis iam pauentes, prædaque graues vrge-
 tibus à tergo Mauris, terribilior à fronte clamor exterruit. Erant duorum dierum itine-
 re & inedia fatigati: neque procedere, neque regredi poterant. A Mauris pleri-
 que vulnerati, interemptique certo iuctu, destinata ferire assuetis. Noctis tenebrae au-

„ gebant terrorem, perpetuo hostium clamore. Cum Magister. Quotisq; quasi mutae pecu-
 „ des trucidabimur milites? Ferro animoq; aperienda via est. Prouidendum certe ne inulti
 „ moriamur. Simul clivum ascendere coepit. Ventum ad iuga. pugnatur acriter. pleriq; ca-
 dunt: plures è nostris iiq; nobilissimi genere, factisq;. Gaditanus duces itineris nactus, per
 occultos tramites, alia parte euasit. Cifontani agmen, quod postremum erat, maiorē cla-
 dem accepit. Ipse & Petrus frater capti sunt, Granatamq; deducti. Stupor omnium ani-
 mos, ac velut torpor quidam insolitus membra occuparat. Ex his mille septingentis equi-
 tibus, octingenti ceciderunt: in his Gaditani tres fratres, Iacobus, Lupus, Bertrandus, pro-
 pinqui alii. Captiuorum numerus duplicatus ferme fuit: quadrangenti è præcipua Hispaniæ
 nobilitate. Pauci cum magistro per tenuia & inuia Syngiliam fuga tenuerūt. alii quo¹⁰
 quernq; spes ducebat, aut pauor, diuersi dissipantur. Ad duodecimum kal. Aprilis grauis
 ea clades accepta, diem D. Benedicti memoria celebrem & faustum, in atrum Hispaniæ
 vertit. Ductor Maurorum Abobardilles Albohaceni frater Malacæ Præfectus, magnam
 eo die opinionem virtutis apud gentem peperit.

Mahomad Boabdiles à nostris capitur.

C A P V T IIII.

EX magno moere & luctu breui piorum animi recreati sunt. maiori quā acceperāt
 redditia clade, frænata barbarorum audacia. Pertinaci inter se contentione duo Re-
 ges Mauri pugnabant, Albohacenus Boabdilesq; aduersus gentem nostram consensu, o²⁰
 dioq; implacabili, in eo spem aduersæ factionis superandæ habentes, si nostris insestans
 vlcicendisq; laudem ad populum & fauorem conciliassent. Paterna victoria Boabdilem
 excitabat, vt vltro bello lacesteret. Ergo collecta numerosa manu equitum, peditumque,
 tum ex suis, tū ex aduersaria factione in Astigitanos agros incurrere statuit, spe Lucenam
 expugnandi amplum magis & lautum municipium, quā validum. Consilii auctor Ala-
 tar sacer, quem ex infimo genere, cum scruta aromataç; iunior vendidisset, (id certe no-
 men significat) bellica virtus per omnes militiæ gradus ad eum honoré euexerat, paresq;
 diuitias. & erat nostris finibus assuetus, identidem Lucenæ agros vexare solitus. Dieghus
 Corduba regiæ aulicorum cohorti præfectus, cum aliis oppidis, Lucenam ditione obti-
 nebat. Is Maurorum consilio cognito, patruo suo Cabrae Comiti periculum denunciat:³⁰
 post superiorē cladem raroſ ea parte equites supererē: incolarum animos metu debi-
 litatos: Lucenæ mœnia haud satis firma esse ad barbarorum impetum sustentandum. Ad
 vndeциimum Kalend. Maii Maurorum copiæ accedunt. Dieghus incolis in superiorē
 oppidi partem traductis, inferiora, in quę futurum impetum prouidebat, subitario opere,
 & militum præsidio munit: quos ex viciniis locis ducentos amplius equites, octingentos
 pedites contraxerat. Is egregiè defendantibus, repulsi hostes sunt nonnullis occisis, plu-
 ribus vulneratis. in oliueta versa est rabies. præterea Ametus Abensarraxius cum trecentis
 equitibus ad evanstandos agros Montiliæ dimissus est. Erat illi vsus cum Diegho Cor-
 duba Præfecto, & contra etiæ superioribus annis familiaritas: quibus Abensarraxii Gra-
 nata pulsi, diu Cordubæ fuerant. Ergo perfecto opere, Lucenam reuersus Præfectū ad col-⁴⁰
 loquium inuitat, specie amicitiæ fallax insidiasque tendens. Fraus fraude delusa. spe de-
 ditionis tempus extrahitur, dum Cabrae Comes accederet: quem vt appropinquare bar-
 barus cognouit, motis castris, retro redire coepit, præda latos milites reducturus in patri-
 am. Cognito nostri consilio ex oppido egrediuntur, postremos inuadunt, moranturque
 iter. Interea Cabrae Comes adueniens turbatos hostes metu, impeditoq; incedentes agmi-
 ne inuadere statuit. Vix hęc posteritas credat. Mauri decuplo maiori numero, nostrorum
 primum conspectum non tulerunt. Deus illis mentem eripuit: famaq;, vt fit, maiora vero
 de nostrorum numero prædicauerat. Torrēs sex passuum millibus abest ipsa militari via,
 qua Loxam itur, amoenis ripis multa fraxino, salice, myrica, & tunc vernis imbrīb. auctus.
 Eo Mauri pedites transmissio, sese effusa fugā in pedes dant, prædam modo præ se agentes,⁵⁰
 nulla honesti cura. Equites simili metu percussos, Rex barbarus retinet tamen. Quò rui-
 tis milites inquiens? quis furor mentes inuasit? An obliiti estis hos esse, qui nuper à minori
 numero nostrorum vieti sunt? Erit igitur in hoc certamine is vobis illisq; animus, qui vi-
 citoribus & victis esse solet. Parcite vobis, parcite famę. an torpentibus manibus, pedes sa-
 luti fore speratis? Parum ea oratione proficitur. Cum nostri pleno gradu inueherentur, &
 quadraginta equites paucis peditibus adiunctis à latere aggredierentur, ductore Alfonso
 Aquilario, qui Syngilia ad periculi famam aduolarat, maiorem numerum suspiciati, diui-
 nitusque incusso timore (sic interpretari iuuat) sese in fugam dant. Rex equo candido
 desiliens, quo insigni eo die vtebatur, vicini torrentis inter arbores & dumos se oc-
 cultare

cultare parat. Iis locis à tribus pedibus, ipsomet metu mortis indicante cognitum, caputque, Præfectus regiæ cohortis, qui fugientium vestigia sequebatur, Lucenam mittit. fugientium magna strages usque ad noctem facta est. Mille amplius equites ceciderunt. cum his Alatar ipse nonagenarius. Pedites ad quatuor millia, pars capti, pars cæsi sunt. præda ablata. Rei bene gestæ fama nunciusque Reges qui Madriti erant, excitauit ut partita rerum cura, Isabella quidem ad fines Vasconum contendere, filii coniugio maturando, cuius prima cura erat, Gallis prohibendis Hispaniæ aditu, possessione Vasconum, Ferdinandus autem in Bæticam iuit res bellicas cutaturus. Ad quartum kal. Maii discessum Madrito est. Cordubæ de ratione belli deliberatur, maiori quam unquam ap-
 10 paratu, impetuq. & fuerat Albohacenus Granatæ acceptus: vniusque imperio deuincti barbari tenebantur. Capite tamen ablatō manebat plerisque ciuibus conscientia prioris studii: nec deerant sermones seniūm, crudelitatem, auaritiamq. Albohaceni increpantium. Ingenti delectu sex mille equites, pedites ad quadraginta millia contracti. cum iis copiis bellum instauratur. ductor Ferdinandus ipse Illoræ suburbia vastat. Tagiara vicinum Granatæ oppidum vi expugnatum, eversumque est. In ea expugnatione Henricus Regis auunculus regiæque Magister accepto vulnere Alhamam curandus mittitur. In Granatæ planiciem mox ferrum ignesque circumferunt, castris loco munito positis: vnde vastatores cum iusto presidio in vicinos agros dimittebantur: eo minori periculo suo, maiori hostium damno, quod Albohacenus ciuium voluntate diffusus urbe egredi non est ausus. Pauci modo milites sese per agros ostentare: vagos palantesque carpere, aut de suo loco pugnaturi. Missi tantum Granata legati: qui si Boabdiles Albohaceno patri traderetur, Comitem Cifontantum & nouem alios è precipuis captiuis æqua permutatione pollicerentur. addebat alias insolennes fœderis conditiones, ferox animo barbarus, & parta nuper victoria superbus: quas Ferdinandus reiecit, venisse se ditans, ut leges daret, non acciperet. Arma tenenti nullam pacis conditionem fore. Et erant nostrorum animi ad Boabdilem propensi. Fauor & misericordia acres impetus habent. Itaque Regi suadere non desistebat cum aliis Gaditanus, ut eum libertati redderet: factionesque potius inter eam gentem aleret, nostris conatibus in primis oportunas. Motis castris, Alhamaque munita, Præfectus Enecus Mendoza Tentillæ Comes iussus
 20 est, non modo tueri urbem sed de hostib[us] prædas agere. Vbi Cordubam ventum est, Boabdiles Regis iussu Porcunæ arce, quæ veteribus Obulcū fuit, adductus, in genua procumbens dextramque Ferdinandi deosculari contendens, amplexu & amicis verbis acceptus est. Erga Regem quamvis barbarum, & captiuum hospitiū iura sacraque minuenda non videbantur. Fœderis conditiones hec fuerunt: Boabdiles filium natu maiorem ob fidem dato, adiunctis duodecim aliis principum filiis, in fide & obsequio Castellæ futurum, patris sacris modo retentis. Duodecim aureorum millia quotannis pendito. Ad regni conuentus venito. Captiuos quadringentos redditio libertati, quinq[ue] annorum spatio. Sic barbarus in patriam dimissus est. Ferdinandus nouis præsidii limiti impositis, ac Ludouico Portocarrero in D. Iacobi Magistri locum Astigitanis prefecto, Corduba cessit Reginam inuisurus. Cū mille quingenti equites Mauri, pedites quatuor millia ductore Bexiro Malacitano Præfecto, in Vtræ agros inuesti Portocarrerii & Gaditani acursu repulsi sunt: victiq[ue] ad Lethem fluuium magna Maurorum strage, Gaditano data vestis, qua Reges vterentur sexto Idus Septembris, Virginis matris natali die, virtutis præmium, lege in perpetuum lata. qui intra eundem mensem non vicisset modo exultantes Mauros, sed etiam Zaharam receperiset, vi improuisa expugnatam. Victoriæ Ferdinandus & Isabella erant, minori iam spe coniugii perficiendi: quod Magdalena mater à Rege Gallo persuasa, cœperat imparem Catharinæ filiæ, Ioannisque ætatem excusare: hunc puerum, filiam viro maturam, similia coniugia infeliciter cadere. Ad eam urbem Cabré Comes, & Præfectus regiæ cohorti, Ferdinandi & Isabellæ iussu splendido apparatu excepti sunt cunctis proceribus & Episcopis obuiam progressis, deducente Toletnano Cardinali Petro Mendoza. Is honos virtuti est habitus. merœs centena eis minutis millia annua dum viueret, è regio fisco Comiti Cabré data. Ad vetera gentis insignia, caput Regis coronatum adiectum est, circum oram clypei nouem vexilla de Mauris eo die capta, rei gestæ monimentum, posteris omnibus incitamentum, ad audendum conandumque pro patria & religione præclare. Hibernis aquis, Alhamæ muri pars magna repente corruit: militibusque de urbe deserenda consultantibus, Enecus Tentillæ Comes expedito consilio linteum prætendit ruinæ, imaginem muri, ita pictoris arguta manu mentiente, ut prius prostrati muri pars fuerit refecta, quam hostis periculum cognoverit, casumq[ue].

Vascones quieti non erant, discordes olim factionibus, & nunc cōtemptu regentium minus coercitis odiis. nunquam fida inter eos pax iungi potuit. sēpe arma posita sunt, sēpe repetita. Ita vexatis rebus, vix ut se possent diurna pace recreare, nouum aliunde bellum accessit. Ioannes Vicecomes Narbonensis Catharinæ Reginæ patruus, rerum arbitrium ad se reuocabat: fœminæ imperium illegitimum accusans, legibusq; ventantibus constitutum. præterea post mortem Gastonis fratris se Eleonoram matrem propius quam ex defuncto nepotes attingere. sexus etasque Principis despectui erat. alioqui quo id iure usurpare potuit: cum sēpe meminissent rerum summam in ea gente ad fœminas recidisse: patruis nepotes ex maiori filio preferri, iuri & æquitati sit consonum? Sed nimis sunt opportuni magnis conatibus transitus rerum: regnandi inexhausta auiditas, nulla equitate mouetur. Sumptis armis in Fuxensi ditione oppida & arces eius sacramentum acceperunt, pars vi, alii voluntate parati imperata facere: passimq; eius conatus fauebatur memoria superiorum Principum, externi imperii metu inuidiaque. Iis pacandis motibus maioti præsidio opus erat: virum ac gubernatorem resp. desiderabat. Reginæ coniugium maturari placuit. Magdalena Principis matre ad Gallos propensa, nouę difficultates exortæ sunt. Vascones veteri gentis instituto disputabant, ordinum consensu, de Regum suorum coniugio deliberari statuiq; consueuisse, matrimonia ipsis insciis aut nolentibus inita, infasta extitisse. Tudela ciues in fide Ferdinandi fore, si securus esset factum, professi sunt. Turiasone is Aragonios conuentus agitabat, principio an-

484. ni M. quadrin. octoge. quarti nulla re alia memorables, nisi quod Catalauni venire initio excusarunt, maiorum instituto negantes, licere eos extra prouinciam vocare. Interea Catharina Regina Vasconum Ioanni Labreto Alani filio nobilissimo, amplaq; ditione in Gallia Petragorios, Lemouices, Druides aliasque populos obtinenti iuncta est. Noui ex eare motus animorum in Vasconibus concitatati. Alioram calamitatem, Ferdinandus ad occasionem vertens, imperii proferendi repulsæque dolorem vindicandi, communitato superiori consilio, ipse quidem iis locis substituit: Isabellam coniugem in Bæticā amandauit ad bellum Mauricum comparandum: vnde nunciatum erat Albohaceni potentia crescere, vniuersa ferme gente sub eius imperium reuocata: filii maiestate paucos teneri, ac vix Almeriq; mœnibus regiam appellationem tueri. Gens quasi impium auersabatur, & ad nostra sacra propensum. concionatores per omnes partes à patre dimissi diris execrationibus eius caput defigere: ac furiali carmine deuouere non desistebat. Nostri Cordubenses Hispalensesq; supra decem hominum millia, facta manu de mense Aprili Malacæ agros, vbi mature segetes erant, depopulati sunt, belli terrorem circumferentes, acceptamque superiori anno iniuriam ipsiis locis maiori damno vlciscentes: sperantesq; malis domitos Mauros, tandem in ditionem venturos: nullum ex Africa subsidiū certe exiguū, ea gête suis bellis implicata, an mari nostris classibus cōstrato, ne se possent commouere. Quæ res Genuenses prouocauit ut Duce Iordieto Oria pirata, Catalaunæ Valentiaq; litora nudata præsidio, igne, ferro, direptionibusque vexarent olim Aragoniæ gloriæ æmuli: & nunc recenti discordia, ad prohibendos eos conatus fluxa reip. auctoritate. Petrus Fregosius gentis Dux à Paulo Fregosio Genuensi Præsule, & Cardinali urbe & principatu pulsus erat, nullo propinquitatis respectu. Mediolanenses aduocare, ad urbis imperiū accusabat: quos impotenter dominari erant experti, degustata libertate, nullius quis leue imperiū laturi. Eanecessitate nostra litora tuendi, publico gētis stipendio noua classis instructa Valentia, Duce Matthæo Scriba ad piratarum excursions prohibendas. Sed & res ecclesiastice suo morbo laborabant: quæ Ferdinandi presentia sanande erant. defuncto Dezpuchio Montesiæ Magistro, quem ea ætas virum strenuum & prudentem in paucis experta est, comitiis militaribus Philippus Boilus in eius locū sufficitus erat. Excusabat Ferdinandus, datum sibi à Pontifice, ne nouus Magister, nisi eius voluntate crearetur. Regiæ voluntates vehementes sunt. Boilo abdicato Philippus Aragonius Carolo Ferdinandi fratre Vianæ Principe natus, Panormitanu episcopatū, cui destinatus erat, Montesiæ magisterio mutauit. Præterea Sixtus Pont. Max. in defuncti Eneci Manrici locū, Rodericū Burgiæ Cardinalē Hispali Pontificē dederat. Verū Ferdinandó Rege multū aduersante atq; Petro Ludouico Gadiæ Duce Roderici filio in vincula duci iusso, effectū tādē est, vt inducto priori decreto, Dieghus Médoza Tendiliæ Comitis frater Palétinus tū Episcopus, in defuncti locū substitueretur Pōtif. Hispalensis. gratiæ id & meritis patrui Cardinalis Hispaniæ datum. Alfonsus Burgensis Concha Palentiæ migravit. Cōcham, Abula Alfonsum Fōseca. In huius locū Fernādus Talauera Abulensis Episcop⁹ creator Prati Prior. Sic in Hispania nominādi Pōtifices potestas Regib. q̄rebatur, fundabaturq;. Sed res Ecclesiæ

non

non minus in Italia turbatę, vt Principibus multa condonaretur, effecerunt. & erat bellum inter Venetos, & Neapolitanos, haud magna causa excitatum: quod reliquos Italę Principes traxit in partes: dum hi Herculem Ferrariensem Ducē, qui Ferdinandi Neapolitani Regis filiam vxorem habebat, ab iniuria tueruntur: impugnant Veneti. In eius bello ardore Sixtus R. Pont. obiit pridie Idus Augusti. Successit Ioannes Baptista Cybo Cardinalis, patria Genuensis, Innocentii octauī nomine. Quo tempore Enecus etiam Daualus extinctus est patre Roderico Daualo Magistro equitum, gratia suorum Principum magnisq; opibus & virtute militari in paucis ea ētate clarus. numerosa prole felix, ex Antonela Bernardi Aquinatis Piscariæ Marchionis filia, Alfonsum Piscariæ Marchionem, Martinum, Rodericum, atq; Enecum reliquit Vasti Marchionem, præterea Edmundum, atq; Constantiam filiam. Ab his multorum Principum in Italia genus dicitur. Ex Alfonso Ferdinandus est natus Piscariæ Marchio: is qui parentum ētate rerum gestarum gloria Italiam atque adeo vniuersum orbem impleuit, magnus copiarum Dux, ac veteribus comparandus. Ex Eneco Alfonsus Vasti Marchio haud minori fama virtuteq; qui patrueli sine prole defuncto, eius principatum cū suo coniunctum posteris reliquit. Piscariæ Vastiq; appellatione alternante, haud incōmodo tēperamēto, cuius pater Piscariæ Marchio dictus est, filius Vasti Marchio vocatur: & ordine cōmutato more perpetuo.

Abohardilles nouus Granatæ Rex. CAPUT VI.

Intraea Bætici milites ducesque & sua sponte, & Reginę hortatu in vnam belli Maurici curam incumbere, quoniam priora ex sententia sine offensione ferme processissent, reliqua prospera futura augurantes. hostium cōsilia, conatus, itinera explorare: nihil neque apud se remissum, neq; apud illos tutum pati: non dies non noctes cessare, neq; per hyemem, neq; æstatiē: identidem incursionibus fatigare, locis omnibus instare. De noua expeditione deliberatio Cordubæ erat, in quam maxime partem impetus esset futurus: ac Magistro D. Iacobi contra disputante, in Gaditani sententiam passim ibatur, Alloram petendam videri. Est id oppidum medio propemodum itinere, quo Syngilia Malacam itur, ignobili fluuiō præterfluente, (veteribus quidam Saducam fuisse putant) firmum magis natura loci, nimirum magna ex parte impositum rupibus, quam mœnibus, aliave munitione. Contractis copiis Rex Ferdinandus pridie kalen. Iunii Turiasone profectus continuato itinere superuenit, belli particeps ductorque magno ad victoriam momento. suorum is consilio approbato tectoque, quo barbari animus ancipiti periculo in varias partes traheretur, Alhamam nouo præsidio muniendi speciem præbet. vbi Syngiliam ventum est, festinato itinere improuisus cum omnibus copiis Alloræ aduenit. oppidanis metus ingens luctusq; portæ mœniaque obsessa, excusse tormentis ferreæ pilæ strauere muros: Maurorumq; animos earum rerum insolitos frēgere. Deditioinem faciunt pacti incolumitatem, libertatemq; discedēdi, efferendiq; res suas. Captum oppidum ad vndecimum kalen. Iulij eo maiori lētitia, commodoque, quod nulli ex nostris ceciderunt: barbarique diu sustentare potuissent, iugi aqua fluuiō inter rupes præterfluente inediæ assueti. Cibus potusque illi genti aduersus famem atq; sitim, non libidini neque luxuriæ sunt. Sed nostri eas difficultates cœlesti magis ope, quam humano consilio superarunt. Dum vicina tamen oppida tentantur, nostrique studio elati ad Casarabolam tumultuaria pugna cum hostium manu dimicant, Guterrius Sotomaior Bellalcassaris Comes flore iuuent, & regia affinitate superbus, incautiusque in acie versans sagittæ medicatæ iactu, confossus est. Eo nihilominus incommodo trecentis Calatravæ militibus, præsidio Alhamæ impositis, nam Garsias Padillia se Alhamam defensurum receperat, ea lege eius militiæ Magister factus in Gironii locum, cum reliquis copiis in Granatæ conspectum penetratur. Castra loco munito posita sunt, in quibus sex millia equitum, pedites, ad decem millia vix erant. Intra urbem septuaginta millia militum numerabant. Sic vulgo iactatū. vt & multitudinē augeat fama, magnum tamen fuisse numerū ex mendacio quis neget? sic Rex Ferdinandus vastato circum agro, lateque terrore facto intra diem quinquagesimum, lētum victoria militem, spoliisque Mauricis superbum in patriam reduxit. Allorę Ludouicus Portocarrerius præfector est; classibus Aluarus Mendoza Castri Comes magno viri animo, prudentiaque. & id prouidebant, ne quid ex Africa moueretur, haud ignari plerunque paruis offensionibus corrumpi spes maximas corsueuisse. Aestate transacta bellum pari alacritate repetitum est. Septinilium arx locis munitis posita, vicinaque Malacæ impugnat. Eadem fortuna fuit. tormentorum fragore territi propugnatores arcē dediderunt: discedēdi quo vellēt facta potestate, additaq;

pecunia pro frumento, commeatuque, quantam delecti arbitri iudicarunt. Nostrorum impetus Arūdam versus est. Ea vrbs montanis inaccessa locis modica quidem sed valida: flumen circumductum mœnium maiorem partem cingit, cætera rupes horridæ. Eius vrbis ciues à cultu prouincie, & humanitate alieni, feroce maxime habebantur, aduersus hostes viris etiam, armisque muniti finitimis oppidis, quæ multa sunt pari locorum asperitate præsidia inde petebantur. Eo vrbis potiudæ maxima cupidio nostros inuaserat; prouidentes eo propugnaculo sublato, reliqua facilia fore Malacam usque. Ergo situ lustrato, vastata oliueta, hortique præcipua nobilitate sunt. Pecuniæ in stipendium inopia, ne diutius iis locis morarentur compulit, malum magnis sœpe conatibus aduersum. Copiis in hiberna distributis, Rex & Regina Hispalim ad sextum Nonas Octobris tenuerunt læti victoria, sœp; reliqui belli ex sententia conficiendi. Media hyeme ipso Ianuario mens se bellum repetitur salutis anno M. quadrin. octogesi. quinto. Inuictum Regis animum & nunquam cessantem. Loxam nocturna vi capere spes erat: sed ab itinere hibernæ tempestates, & Orteghæ militis consilium reuocauit, dementiam non temeritatem id videri disputantis. Confluxere tamen nouæ è Castella copiæ: Petrus Magister equitum, Bertrandus Alburquerquis, Petrus Mendoza Casorla Antelatus, Ioannes Stunica Alcantare Magister cum sua quisque peculiari manu. D. Jacobi Magister, atq; Anagari Dux bellis etiam superioribus interfuerunt. Iis auxiliis aucti nostri, ad nouem equitum, peditum vinti millia erat. Cum iis copiis bellum repetere visum est, maior quā ante impetu. Quo tempore aduersus Boabdilem Regem Almeriæ ciues arma corripuerunt. vt impium ges illa auersabatur: ignaviaq; eius accusabant superiora incômoda fuisse accepta. Impetu in regiam facto Boabdilis frater imperfectus est, mater capta. intestini fatalisq; inter patrem & filium dissidii pars maxima. Rex ipse Barbarus, cum ea vrbe abesset, nuncio calamitatis accepto, rebusque desperatis cum paucis Cordubam abiit. Arundæ ciues numero immuniti erant metu maximo. Id Iuzephus Serissius indicauit Gaditano Marchioni. sic belli impetum quamprimum eo conuertere visum est. prius tamen alia oppida tentata, captae sunt. Cohimum Alloræ vicinum vi expugnatur, soloque eequatur, ob mœnium amplitudinæ defensione difficii. cecidit in ea expugnatione Petrus Alarconius, qui eo bello specimen virtutis dederat singulare: multaq; præclare gesserat. Cartama antiquum retinens nomen vnius modo permutatione literæ, nam Cartima olim fuit, vnde vallis etiam ea appellationem habet, Petro Mendozæ dditionem fecit. Eius oppidi tuendi cura Diui Jacobi Magistro, ipso expertente est demandata. Vniuersis copiis Malaca petita, vbi Abobardilles Albohaceni frater erat: in quo spes & opes gentis Mauricæ ea tempestate sitas inuenio: & magnam virtutis opinionem naclus erat, nostris ad Axarquiam superatis, oppressisque. Inde leui prælio facto, eodem itinere quo venerant, reductis copiis Arunda petita est. Quina circum vrбem castra posita. Rex ipse cum maiori copiarum parte exaduersum arcis constitit. viæ circum occupatae, ne auxilium obfessis adueniret: ne cōmeatus: & erat pars ciuium ad euastandos vicinos Bæticæ agros profecta. cōmodissime rebus nostris id accidit. Periculi magnitudine, fœminarū eiulatu, nostrorum diligentia dies noctesque continuantium, victis barbarorum animis, deditio facta eius vrbis est decimo kal. Iunii. Ciuium nobilissimis Hispali, vt cōuenerat, agri dati: quos Gonsaluo Piconio, & aliis de religione postulatis Inquisitores abstulerant. Munita ea vrbe, Casarabonela, Marbellaq; ad mare sitū oppidum dditionis verba nuncuparunt. Vniuersam gentē insolitus terror occuparat. In Regibus suis parū præsidii rebus erat, altero profugo, Albohaceno morbis, oculorum caligine & senectute impedito. Noua consilia captata. Muleus Abobardilles ad imperium gentis Malaca euocatur, magno vir animo consilioque. Maurorum genus mobile, infidum, neque beneficio neq; metu, ac ne vllis quidem naturæ legibus coeretur. Oblatum imperium barbarus haudquaquam repudiavit. Eo maiori gloria speque Granatam aduenit, quod nonaginta è nostris equites Alhama prædatū profectos, vsq; ad Granatæ mōtes, quos Niuosos vulgus vocat, incautiū tēdentes oppressit. Triūphi specie inuestū Granatā, cupidissimis animis Regē ciues proclaimant. Albohaceno, principio tumultus Almuncarem, vbi thesauri regii erant, profecto ab impio fratre vis infectur nullo crimine, imperii tantum nomen exitium attulit: & quorundam studia fratris perfidiam ambitionemque auersantium, senisque committeratione diuersa consilia captantium. Quod ille periculum parricidio removendum iudicauit, impius iuxta ac crudelis.

Cathæ-

Catharina Ferdinando Regi nascitur. CAPVT VII.

BArbarus cęso fratre, & parro per scelus regno, nomen sibi ingens fecerat magis quam clarum. malis artibus quæsita potentia haud erit diurna. Nostris quo propior spes erat, eius imperii opes euertēdi crescebat ardor animorū, curaq; ne duce mutato crecerent animis hostes: maioriq; periculo bellū esset. Quantū animi esset, quantū viriū noua expeditione tentare Ferdinandus statuit, cæteris quis cōtra disputantibus, dandaq; militi quietem affirmantibus, continuatis laboribus defatigato. Sed omnes difficultates Regis constantia peruerit, exemplumq; virtutis, cum nullum ipse laborem recusaret primus in acie, castris opera obire primus solitus. Sic est, displicet hominibus imperatum obsequium. exemplo facillime obtemperamus. Alcalam Regalem, quoniam id oppidū ad fines hostium pertinebat, copias conuenire iubet. eodem ipse Corduba proficisci tur kal. Septembbris, nondum in ea regione sedatis ardoribus æstatis. Ardebat Cabræ Comes cupiditate virtutis ostentandæ. res ab aliis proceribus præclare gestæ ad audendum conandumq; incitabant. Experti datum, ut in Maurorū fines primus incurrit. cum sua manu equitū septingentorum, peditum ad tria millia, adiuncto Alfonso Montemaiore, Mo- clinum tentare iubetur: quod oppidum Granatæ vicinum est, situ & opere munitum. eodem se pollicetur Rex cum copiis omnibus venturum. Comes noctem continuato itinere Abohardillē improuisus opprimere cogitabat, vicinis locis castra habente, equites mille quingentos, maiori pedites numero. Id consilium hostem non latuit. subductis in collēm copiis luceq; expectata, inquis angustisque locis nostros circumuētos opprimit. cecidit optimus quisque: ac maiori peditatus parte prostrata, Comes Gonsaluo fratre desiderato, ipse vulneribus acceptis cum nonnullis equitibus in eam partem fuga evasit, vbi Garsias Padillia Magister Calatravæ erat præcedentium vestigia subsecutus. Ferdinandus cognita suorum clade, paulisper modestus è conspectu abiit: deinde ægritudine animi residente. Comitis, inquit, imprudentia, & nimia obsequentia reliquorum hoc in commodum accepimus: quod tamen celeriter maioribus commodis sanare est animus: atque vestra milites virtute pro ciuib; viris fortissimis atq; miserrimis pœnas capere. Erant ad fines hostium, qua Giennenses agros attingunt, geminę arces atq; oppida Cábile & Albahar interfliente aqua fluminis Frigidi, tenui quidē præsertim eo anni tēpore, sed coercita ripis eoque diffīcili vado. Ea oppida copiis omnibus circumfessa sunt. Imminet Albahari, quod in vltiori ripa erat, clius propugnaculi instar in metē modū erectus. In eum montē hortatu Regis tormenta magnō labore comportata, tantum obfessis terrorē ingesserunt, ut arces & oppida continuo dediderint. Ad nonum kal. Octobris in nostrorum potestatem redacta, antiquitus infausto die, quo ante centum viginti ferme annos, Petro Rege à Mauris ea oppida occupata meminerat. Tantis victoriis Ferdinandus, totq; oppidis potitus ac plerisque exereitu in cruento, maior & clarius haberi cœpit. omniū in ore esse. Ipse copiis in hiberna dimissis, Complutum cum vxore abiit. In eo itinere Alfonsus Aragonius Ferdinandi frater Villeformosæ Dux, in primis ea tempestate clarus, multisque bellis exercitus decepsit. Corpus ad Populeti inter maiorum busta est compo- situm. multiplicem prolem reliquit: ex Maria quidem Iuncia concubina Ioannem Ripagorsæ Comitem, & Eleonoram. Ex aliis amicis Alfonsum, quem superior ætas Dertusæ prius, deinde Tarracone Pontificem vidit, Ferdinandum, Henricum. Ex iustis nuptiis Eleonoraq; vxore Alfonsum atque Marinam. hæc Roberti Salernitani Principis vxor, Fernandū peperit in eorum Principum numero postremum futurum. Alfonsus Villæformosæ Dux fuit: quæ auctorem generis Villæformosæ Duces, Ripagorsæ Comites no- minent necesse est. Toleti religionis desertores, ac Iudaicos ritus quos abdicarant, repe- tentes seuerissimis suppliciis ab Inquisitoribus vindicabantur. aliis maiori numero venia data, meliora in posterum pollicentibus. H̄eret in domesticis narratio: sed externa quo- que referre nexus rerum, & suscepiti operis officium hortantur. Ardebat Neapolitanæ proceres bello, q; in Regem suum Ferdinandū coniurati, iunctis viribus comparabant, graues & frequentes iniurias vindicaturi. Innocentii Pontificis instinctu auspiciisque magis nomine, quam viribus iuuaturi propter ingenii imbecillitatem, curasque alias. Coniurationis capita, tres Principes erant Salerni, Bisiniani, Altamuræ, Antonellus, Hieronymus, Pyrrhus Bautius, præterea Petrus Gueuara Vasti Marchio, alii magnis etiam à Rege beneficiis obligati. quin fama ferebat Fridericum Regis filium, spe regni accessisse in partes, vero an falso ne tunc quidem constitit. Alfonsus Calabriæ Dux magnam eius iniudiæ partem patri Regi conflauit, incommodus moribus: in quo necluxuria crudelitati obstabat, nec crudelitas luxuriæ. Arte magis quam armis eos

tumultus Rex prouidus, & à multo vsu callidus composuit. Annitente Pontifice quia prima factiosis non procedebant, & Petro Fuxensi Cardinale deprecatore, quem ea spe Romam Pontifex ipse euocarat, venia tumultuantibus data est. Fuerat etiā a Ferdinandō ad eos motus pacandos legatus Tendiliæ Comes. Is sui Regis nomine fideque, tutos fore proceres cōiuratos recepit: modo positis armis ad officiū redirent: si falleret dira omnia precatus. Verum Rex Neapolitanus ea promissa ludibrio habuit, cum ætate p̄cep̄s ad deteriora credenda, & ad irroganda supplicia: aduersus quasvis tempestates opibus fretus, quas à patre traditas habebat: & ipse longa imperii possessione ingentes cumulauerat. Fœdere facto opprimere aduersarios cogitabat. Sic specie nuptiarum, quæ in arce Noua Neapoli celebratae sunt, Sarni Comes vñus è coniuratis cum aliis nonnullis comprehensus capite pœnas dedit. Principes Altamuræ Bisinianiq; variis temporibus capti cum multis aliis, diuturna custodia perierunt, lenta grauique morte, multū quamvis expostulante per legatos Castellæ Rege Ferdinando, minis additis, fidem suam haud quaquam ludibrio fore passurum. Sed vicit omnia perticax Neapolitani animus, immemor rerum humanarum inconstantiae. venturi securus cuertendi imperii certissima fundamenta cede procerum, in idia prouincialium ponebat. vti breui factum est. verū hæc aliquanto post. Compluti ex Isabella Decembribus sexto decimo die, filia nata est, cui Catharina nomen fuit, gemino Anglicano coniugio propriaq; ad extremū infelicitate sua, rotiusque gentis Anglicæ nobilissima. Quantos ærumnarum fluctus innocentissima fœmina tolerabis, vnam ob viri fœdam intemperantiam? Alienæ culpæ pœnas dabis. Sic visum superis. Fatalis mali fundamenta à dissidio gentis ponebantur. Nam Eduardo, & Richardo vñctis interfec̄tisque, Richardus puerum patruus regnum occupauit. Initii media atque exitus consentanei fuerunt. Superbe imperantem Henricus Richemondæ Comes ab Armonico Duce Francisco, à quo fuerat captus, redditus libertati acie superauit, interfec̄tique. Oppressi tyranni merces fuit, imperium quod impie occupauerat. Huius Henrici filius, Henricus fuit, eo nomine octauus Angliae Rex cum vxore Catharina, patria religione repudiata, omnibus turpitudinis maculis grauique impietate inuidiosum posteris nomen, infaustumque.

Aragonii motus. C A P. VIII.

30

Leues in Aragonia tumultus extiterunt: ciuilia in Catalaunis arma maiori contentione & periculo mouebantur. utriusque malo Regis Ferdinandi prudentia & auctoritate est occursum. In planicie ad Iberum flumen Cæsaraugusta sita est, edificiorum elegantia, ciuium frequentia, copiis, cultu, nitore, amplitudine in paucis nobilissima, aduersus hostes armis, viris, mœnibusque munita: leui imperio & obid fidelissima, nisi iura accepte à maioribus libertatis imminuat. Qua cauissa s̄epe in ea tumultus concitatos inuenimus incredibili animorum ardore, ciuib⁹ aliorum exemplo cautis: neque ignaris paruis s̄epe offensionibus maiora incommoda existere, grauesque casus. vti hoc tempore accedit. Ioannes Burgius licitor regius, vt est id genus hominum insolens, senatus principem Petrum Cerdanum verborum procacitate violauit. aliorum accusu licitori iniectæ manus: dictaque è vinculis causa, gula laqueo fracta est, lœsa in ea Principis maiestate. In ipso procinctu belli Ferdinandus, cum Granatæ agros inuadere cogitaret, huius anni principio, vti paulo ante dictum est, re cognita Ioanni Herediæ Prætori mandat, vti ciui facinoris pœnas expetat fontibus vindicatis. Interim legatis à senatu missis se quidquam acerbe in eos statuisse negat callidus, sagaxque, ad simulanda negotia altitudine ingenii incredibili. Senatus princeps comprehendendi non potuit, Præfeti iustitiae, cuius suprema & maxima auctoritas gentis instituto est, præsidio tutus. De Martino Pertusa, qui proximum anctoritatis locum in senatu occupabat, & cæsi licitoris præcipiūs auctor extiterat, festinato supplicium sumptum est, regiis literis ad populum continendum, qui ad arma erat cōsternatus, in sude prælatis. Sic gliscens in graui causa tumultus in ipso exortu est oppressus. vnius animaduersio, cæteros imperii oblitos admonuit, Regum feroceſ impe- tū esse, vires graues. Grauiori facinore aliquanto postea ciuitas vniuersa turbata est. Petrus Arbuc quæſtiones in ea vrbe de religione habere cæperat. Non nullis irrogata supplicia, pratos quosdam homines libertino è genete natos, siue libertatis specie, siue ex conscientia similia metuentes incitarunt, vt coniuratione multorum facta Inquisitoris capiti insidias struerent. In strato nocturnavi opprimere cogitantes fenestre qua irrum-pēdum erat, firmissimis clatrīs exclusi, speque falsi, in templo opprimere statuunt. Ad nocturnas preces progresso Septembribus Idibus, qui dies Mercurii fuit, (biduo post alii

tra-

tradunt) ad arma templi maxihi procumbēti prope cancellos, vis illata. Vitalis Duran-
sius vñus ē cōiurationis principibus, toruñ & minax voce, vultu, oculis ardens in certi-
ce primum vulnus inflxit: subsecuti sunt alii. Próxima nocte defuncto, nūlq; præter
diuinā laudes eo spatio locuto, supremus honos est habitus. Corpus eodem loco, vbi
vulnera sunt inficta, sepulchro illatum: quo tempo . . . feruere sanguis visus est, nisi oculi
orum ludibria fuerunt. Decreto senatus aliquanto post, addita lanipas sepulchro: quod
nisi consecratis hominibus, cæloq; dicatis non datur. Id etiam vt Pauli tertii Pontif. au-
toritate fieret, Carolus quintus Augustus curauit. Sic meritis honos debitus est habitus.
nam & quintodecimo Septembris die memoria eius celebratur anniversariis sacris. De
conceleratis hominibus intra annum supplicia sumpta. variis casibus ad vnum periere.
Proh magnum atque ineuitabile diuinæ vindictæ numen, quam vitare praui homines
haudquam potuissent, vt maxime humana supplicia liceret euadere: & habet nescio
quos interios mens scelerata carnifices, aut ipsa sibi conscientia carnifex est in item e-
ripiens. Inquisitoribus deinde presidii causa datum, vt intra arcem habitarent, cui Algia-
farię nomen est. In Emporitano tractu subditi, quos Pageses vulgo vocabant, impoten-
ti imperio à regulis, in quorum ditione erant, premebantur proxima seruituti conditio-
ne, neque ferenda inter Christianas nationes. Quę vectigalia Mauri rerum domini im-
perauerant Christianis grauissima, ea mutato quamvis imperio regulis pendere coge-
bantur ducta ex antiquo consuetudine. eo vniuersa prouincia aduerso ruiuore erat. Quę
illa tributa essent, neque gentis historiæ declarant: neque nobis diuinare licet. Malos
tantum usus à grauitate vocabant: à quibus eximi, nisi pretio redempta libertate seruo-
rum instar, nemini concedebatur. Sic sepe incolæ correptis atmis, aut seruitutem de-
pellere, aut miseriis remedium, mortem imponere cogitabant. Et sunt grauissimi impe-
tus irritatæ necessitatis: sed fallax sine viribus multitudinis audacia. Appellati de eare
Reges Alfonsus prior, deinde Ioannes eius frater, & Carolus Vianæ Princeps ea vecti-
galia minui quodam temperamento mandarunt. sed parum auctoritatis inerat ad coer-
cendam nobilitatis audaciam, armis tueri paratae, quę majorum virtute parta erant. Ma-
iori maiestate opus erat. denuo continuatis iam aliquot annis popularium motibus, Fer-
dinandus, qua in ceteris felicitate, fine imposito, magnā ex eo prudentiæ & dexteritatis
laudē peperit. Compluto is cum vxore Segobiam abierat, atq; Medinam Compestrem.
Garsiam Toletum iam Ducem Albanum (abscesserat is militaris curis Friderico filio
pro se in bello Granatenſi vicario) Albę inuisit, cum Petro Magistro equitum concilia-
turus, vt fecit: quem & Alfonsum Fonsecam Compostellanum, rebus præficere in Ca-
stella destinabat, bellum Mauricūm répetitūtus. Eo conatu, ad Guadalupeum tem-
plum peruentum est, ad quartum kalen. Maii. eo loco in causa Pagesium sententia pro-
nunciata decreuit eam seruitutem tanquam piis hominibus graueim, neque vlla in gente
vsurpatam, antiquam videri, mitioreque conditione mutandam: vt subditi per capi-
ta sexaginta solidos Barcinonenses annuos penderent. Magnum vectigal libentissimis
animis incolæ suscepserunt, præsertim concessa potestate redimendæ libertatis; si vñica
pensione pro vno quoque anno solidō viginti numerarent. Sic ex diuturnis motibus,
quę eam Hispanię partem diu solicitam habuerant, pax facta est. In Lusitania sublati, vt
ante dictum est, proceribus coniuratis, quies erat; Rege omnia ad splendorem imperii
reuocante. Azamor Tingitanæ vrbs ad litus Oceani Atlántici, ad lœuamq; egressis freti
Gaditanis fauces, veteribus Thymaterium, vt quidam disputant, superiori tempore Lusi-
tano vectigalis, denuo sacramentum suscepit: se in eius fide futuram, tributique nomine
decem millia alausas, quarum piscatu abundant, missuram quotannis in Lusitaniam.
Quod gloriosum erat genti, non modo imperium fundasse ancipiti iure, armis, virtute-
que: sed etiam remotis nationibus iugum seruitutis imponere potuisse, ad maiorem glo-
riam opesque aditu patefacto.

Multa oppida de Mauris capta. CAP. VIII.

Ferebantur in præceptis Mauri, non minus domesticis dissidiis, quam externo metu la-
borantes. In ipsa vrbe Granata etiocatus à factione altera Boabdiles Albaicinum oc-
cupauit. ciues cum ciuibus in ipsis plateis pugnabant pertinaci inter se contentione, à
nostris cum bellum ingrueret, ad defendendum consensu, maioris periculi metus ani-
mos ad concordiam reuocabat. eo sedato ad ciuilia arma redibatur. Rebus desperatis
Mozerus, ex Alfaquinorum ordine, quorum est sacrificia procurare, religiones interpre-
tari, vt in ea gente vir sanctus, quasi diuino instinctu concitus. Quousque ciues infani-

tis (per compita & fora clamare) in sanitate vesani, quę grauior dementia est, alienis citi-
piditatibus & ambitioni seruientes, yestræ salutis obliti, coniugum, liberorum, patrię?
Graue est dicere: sed nisi à me auditis, quod nostris malis remedium? Quin animos ad
virtutem erigitis? & si minus dedecus mouet, tantum certe periculum propulsatis? An
hos reges iustos putabitis, qui imperio gentis per scelus occupato, non præsidium rebus,
sed inane sine viribus nomen afferunt? An horum vmbra teget? Nimirum nisi istam igna-
uiam mature excutitis, instare exitium denuncio tristis vates. Mouebatur his vocibus
populus. etiam qui nolebant, probabant tamen. Ergo aliis ex eo numero Sacerdotib. an-
nitentibus, & conditiones nuncupantibus, foedus inter duos Reges Mauros fit. Ut Gra-
nata, Alm̄eria, Malaca patruus retentis, reliqua Boabdili concederet. Albaicino Boabdi-
lem discessisse non arbitror, ac ne coaliuisse pacem, et si historiæ silent, magna scripto-
rum securitate. Ac illud imprimis eo foedere prouidebatur, vt quoniam Rex iunior Fer-
dinandi beneficiarius erat, ea ipse ditione obtineret, in quę primū nostrorum impetum
fore existimabant. Ea fraus nostros non latuit. collectis vndiq; cōpiis Loxam petere sta-
tuunt, certiori quā antea spe, vindictæ maiori cupiditate. Boabdiles siue tuēdæ inter suos
auctōritatis necessitate, siue fortunā in consilio habiturus, cū quingentis equitibus ea vr-
be nostris venientibus occurrit. Loca aspera & impedita erant. ad suburbia pugnatur a-
criter. cæsis reiectisque Mauris, trina cāstra circum vrbem metantur, rupto ponte eru-
pendi facultas hostibus sublata. liberam nostris commeandi vltro citroque facultatem,
geminus pons sublicius suppeditabat subitario opere magno commodo futuri. tormentis
prostrata mœnia: nostrisq; per strages lapidum in vrbem irrumpere paratibus, obseSSI
nono ex quo ventum erat die, ditionem faciunt, pacti libertatem efferendi, quæcunq;
ex suis bonis possent. Boabdili in castra progresso, atque in genua procumbenti eodem a-
nimo fuisse semper, supplicantique ne fortunam conuerterent in culpam, æquum nō fo-
re voluntatem ex necessitate interpretari, venia data est. Et erat commodus ad fatale gen-
tis dissidium alendū, vt maxime sons esset. Ferdinandus ea vrbe munita, atq; Aluaro Lu-
na Fontidonię domino concedita, alterius Aluari nepoti, ad alia oppida pergit. Pauca
repugnatibus barbaris, plura ex deditione capit. Illoram ad quartum kal. Iulias, Zagram,
Balnea, Moclinum. ex iis licet quedam, ita erant loco & opere munita vt diu sustentare
potuissent, in ipsisque Granatæ oculis ob idque certiori auxilii spe. Nimirum caussis ti-
moris maior timor erat. Illorę Gonsalvus Fernandus Corduba præfectus est, AlfonSI A-
quilarii frater, ab his rudimentis quantus breui Dux futurus in Italia? Ipsi Granatenses
ciues soliti Illoram regni & vrbis dextrum oculum, Moclinū clypeū vocare, eo accepto
incommmodo spem ferme abiecerunt, præsertim vicino agro igne corrupto, luctuq; & ce-
de completis omnibus partibus. Abohardilles tamen, qui Singilis transitum prohiberet,
ad Pinorum pontem multis ea tempestate Mauricæ gentis cladibus nobilem equitatus,
peditatusque partem mittit. Ipse ne quid moueretur, in vrbe restitit. Postremum illi no-
strorum agmen, in quo Enecus Mendoza Infantatus Dux curabat, cum transitum pro-
hibere non possent, pro more gentis magnis clamoribus inuadunt. resistunt nostri acri-
ter. Verum Maurorum multitudine circumfusa equites mille, pedites ad decem millia, 40
proximi periculo, aliarum copiarum aduentu, seruati sunt. reiectis Mauris nostri à tergo
instare, rursus ad oliueta suburbana pugnatur. simili fortuna fuit. In ea pugna Ioānes Ri-
pagorse Comes egregie pugnans, nunc ad prima signa, nunc in medio, nunc in ultimo
agmine, confosso quamuis equo, magno adiumento fuit, paternamq; laudem æquasse
visus est. Adultaestate, oppidis, quæ capta erant, militari præsidio firmatis, bello, pace-
que rerum moderator à Ferdinando est constitutus Fridericus Albani Ducis filius. Ad
amouendam contentionem, quæ inter Bæticos proceres, de ea præfectura esse cooperat,
remedium opportunum, longinquum hominem Ducem creavit. Regem, Calæcia motus
in eam prouinciam vocabant: vbi Lemosi Comes contra Regis edicta auctorita-
temque Pontem ferratum firmissimum iis locis municipium, tanquam suę ditionis pulso
regio præsidio occupauerat. Ferdinado, Isabellæque in ea loca delatis, continuo oppida-
ni portas aperuerunt. fraudem milites excusabant. Id Regis voluntate factum Comitem
prædicasse. Ipsi etiam nihilominus ad Regem profecto, sequi in eius potestate fore profi-
tenti, eo & aliis oppidis detraetis, & ad regiam ditionem subiunctis, mulctato quidē venia
est data. Sic vno tempore Mauri acriter impugnati: proceres superbia ab hoc initio do-
mita, cœperunt æquo cum cæteris iure viuere in Hispania, in sole scere antea atque in mi-
serorum fortunas grallari soliti. præsertim cum Reges votis ad Compostellanū templum
persolutis, Salmantica, vbi principio anni Millesi. quadrin. octogesi. septimi aliquandiu
1487. hæserunt, nouum conuentum iuridicundo in Calæcis constituissent, antea solutę le-
gibus

gibis prouinciae perturbataeque, iudicibus datis, cum supra decernendi potestate. Ardebat interea Fridericus Albanus studio se profetandi, probandique insigni aliquo facto. Nunciatum erat Malacæ in arce magnum captiuorum numerum in subterraneis carceribus inclusos teneri: & spes erat eius arcis obtinenda, si nostrorum superuentu ab his ex composito, rupta vincula esent. sexcenti equites ad id missi, inflatis continuis imbris fluiis impediti, inani conatu destiterunt. Intra urbem Granatam nō minor quam antea contentio erat inter Reges barbaros. Abohardilles nouis militib. Guidixio & Basta euocatis, imperio facto in Albaicinum irrupti. Boabdiles, ut in tali periculo, cum suorum manu occurrens hostem repulit. pugna acerrima ad ipsum templi maximi forum multi ex vtraque parte ceciderunt. Ferdinandus, Rex Salmantica Cordubam delatus ad sextum Nonas Martii, amici Regis periculo, vti par erat commotus, auxilia misit, Fernando Gadea Duce: quibus ille confirmatus, non illatam vim propulsare, sed ulterius hostem lacessere non desistebat, ferox formidabilisque magnam miserorū ciuium strage, quorum periculo ambo Reges delirabant.

Malaca capitul. CAPUT X.

Cordubæ deliberatione suscepta, de belli Mauritii ratione cum sententiæ variarentur: aliis Bastam, alii Guidixium petendas primo confirmantibus, Malacam Rex censuit: auxiliis, quæ ex Africa transmittebantur haud inualida, excipiendis idoneam angusto mari, breuique traiectu. Consilio tamen occultato Corduba proficisciatur ad septimum Idus Aprilis. sequebantur equitum duodecim millia, peditum quadraginta. postquam ad fines hostium peruererunt, consilio Rex indicato, paucis milites alloquitur. Ad certam eos se victoriā ducere ait: quippe imbecillis hostibus dissidio metuque. Vires quæ supererant, in plura præsidia distractas esse. Si, qua alacritate consuevissent antea, festinauerint, haud dubiam victoriam fore. Gloriæ quidem ex re bene gesta fructu, prope omnem ipsorum fore. Magna parte prouinciae subdita, aliis oppidis & urbibus vestigalibus, quid tandem hosti præter nomen superesse? casurum impellente nemine: & postremum tamen conatum rem totam confecisse visum iri. Quo fauore piorum, quo concursu expeditionio celebretur vniuersa prouincia cernere ipsos. & sane quacunque iuerant viri, pueri, mulieres vndique ex agris effusi in vota ac preces conuersi, illos reipublicæ columen, vindices Christianæ religionis, imperioque vocare. In eorum dextris communem salutem ac libertatem esse repositam. faustum iter felixque, maturam ex hostibus victoriam comprecari, votaque suscipere. Initare pro se quisque, vt quibus opus haberent, abs se potissimum sumerent. Modestia certare milites. nihil morari, nec ab signis discedere. Maiori animo alacritateque postquam Regis consilium cognouere, quo vellet duceret, aiut. Ipsius auspiciis ductuque nullum periculum aut laborem recusaturos profitentur. Motis castris Veles, quod oppidum prope Malacam situm est, primo impugnare constituunt. Ad præterfluentem amnem castra faciunt. Erumpunt portis oppidanis. Calècos nulla disciplina militari turmatim, vt quemque sors congregauerat, pugnantes durum hominum genus cedunt: aliorum superuentu ceduntur ipsi, ad ipsa oppidi mœnia compulsi. suburbia capta. mœnium impugnatio instituta. Accurrunt circum pagani ad oppidi præsidium, maiori conatu, quam profectu. Abohardilles Granata, nostrorum consilio cognito, obsessisque opem ferre constituens, in eius urbis discrimine considerans rerum & imperii summam verti, Roduanum Vanegam urbis Prætorem ducem impigatum, cum cohortibus expeditis, & trecentis equitibus præire iubet, se post paucos dies eodem venturum pollicitus. Nihil à Roduano præstitum: qui nocturna vi nostros opprimere & tormenta clavis defigere, qua parte concipiunt ignem, cogitabat. subsequitus Rex barbarus, arduis impeditisque locis, prope oppidum castra metatur: in quibus mille equites erant, pedites viginti millia. Numero & virtute minores nostris, locorum munitio tutata non est. Castris impedimentisque exuti qua cuique data via est, fuga dissipantur. Barbarum Regem victum studia etiam hominum destituerunt. amissio exercitu redeuntem, Granatae eius Boabdile æmulo in Regem consensu salutato mœnibus excluderunt, atrox ac miserantem fortunas suas. Obsessi spe defensionis abiecta, Roduanoque interprete, cui cum Cifontano, ex quo tempore Granatae captiuus fuit, usus erat, conditionibus ditionem faciunt ad quintum kalen. Maii. Ut incolumibus liceret res suas quo vellent efferre. Eo oppido in nostram potestatem redacto, integro exercitu ac ferme in cruento, Bentomitium vicinum oppidum Velis exemplo leges præsidiumque accepit. Petrus Nauarrus præfodus ei oppido est, ex obscuro loco, nauteq; arte, magnus Dux præsertim

consequentibus annis. Vicinos Malacitanos ingens paucor inuasit, ne diu sustentare poscent, externi auxiliu nulla aut modica spe. Connixa præfectus vrbe egressus de ditione agit. internuncius Ioannes Roboreus diu Malacæ captiuus. Iis molitionibus cognitis Africæ, qui eam vrbum præsidio obtinebat, veriti ne ipsi hosti traderentur, simul indignantes, quod rem tantam non cōmunicassent, facto impetu, præcipuam arcem, cui Alcasabæ nomen supra vrbum est, occupant. deieicto trucidatoque præsidio, ipso etiam Connixæ fratre, ad mœnia aduolant: colloquia ciuium interrumpunt, interficiuntque, si quos contra conari deprehendunt: magnitudine supplicii cæteros desistere compellunt. Ergo tormentis maioribus Syngilia comportatis, nostroru castra ad Malacā promota sunt 10 ipsis Maii mensis Idibus. Est ea ciuitas in plano sita, nisi qua parte collis assurgit gemina arce munitus (inferiori Alcasabæ, superiori Gebalpharo nomen est) modica spatiis, elegans tamen in paucis, & pro amplitudine frequens, portu atque nauali nobilis, qua parte alluitur mari. A tergo montes erigit vineis, hortis domiciliisque nitentes. Vtrunque arcem geminus murus coniungit munitione perpetua. ager conspicuus: leta cœli facies: late in vicinum mare prospectus: commercio Africæ, atque Orientis ea tempestate nobilissima copiosaque. Erant in Regis castris D. Iacobi Magister, Præfectus maris, Villenius, Beneuetanus, Alcantaræ Magister, Andreas Cabrera Moïs Marchio, ple rique omnes Bæticæ reguli, ex Aragonia valida auxilia. Eam vrbum fossa, valloque à mari ad mare ductis circumuallare consilium fuit. collemque vbi minor arx erat, præsidio occupare. vtrunque factum. In nouis castris Gaditanus curare iussus est. Regina in 20 castra abiit, deducentibus Petro Mendoza Cardinali, atque Ferdinando Talauera: quem ex D. Hieronymi monacho spectata vitæ probitas (vti ante dictum est) ad Abulensem Episcopatum euexerat. Priusquam opera perficerentur, Maurorum eruptione leuia sæpe prælia facta. Contra à nostris in mœnia impetus fit. cecidit in conflictu quodam Ortegha, capta Alhamæ arce, multisque aliis præclaris facinoribus hoc bello nobilis. Tria millia Mauri ad quartum kalen. Iunii vrbe egressi, Gaditani castra improvisi inuadunt: vigiles qui in prima statione erant, obtruncant: mox in munimenta penetrant. In repentinio metu Gaditanus nihil territus, nec prorsus demislo animo instructis reliquis obuiam progreditur. fit acris pugna. multi è nostris ceciderunt. Gaditanus ipse vulnus accepit. hostium maior strages fuit. vicinum perfugium cæteros seruauit. Noua in Regis ca- 30 put, fit in vrbe coniuratio. Maurus in ea gente sanctus vir, destinata voluntate Regem interficiendi, se capiendum vltro præbet. Rege quiescente ad tentorium Marchionis Moræ deductus Reginæ iussu, cum ex apparatu reputasset, prætorium esse, districto aci nace in Aluarum Portugaliam (is forte cum Beatrice Bobadilia colloquebatur) irruit ferrox, toruoque ac minaci aspectu. Corporis inclinatione iuctus vitatus, aliorumque ac cursu Maurus comprehensus peremptusque est. sic diuino beneficio periculum deuatum. Auctus nostrorum numerus aduentu Assidoniæ Ducis. è Belgis Maximilianus Austriacus mox Cæsar, duas onerarias misit onustas omni bellico apparatu Latrone Gue uara ductore. Auctus & hospitum numerus. nonnulli per stationes mari vicinas in vrbe penetrarunt, auxilium obsecisis. Famis malum vrgebat: neque Afrorum contumacia remittebat. Ciuibus tamen vt in maiori periculo, metuque, ad ditionem propensis, Dordux ex eo numero præcipua auctoritate & opibus in castra progressus, de conditionibus agit. Negat Rex vllam conditionem fore, nisi vrbe ad eius voluntatem dedita. ex arcano tamen Dorduci pollicetur, si fortem & fidelem operam præstet, ipsum & propinquos omnes inuiolatos fore, magnis beneficiis additis. Fide data, nostrorumque præsidio adiuncto in arcem aditu patefacto, in summa homagii turri regia vexilla explicat. Ciuibus Africanisque magnus terror iniectus spei mixtus. Reputantib. incolis Dorduci missa facta, ad cæteros pertinere, ac colligentibus sarcinas studio discedendi, concursu nostrorum bona omnia, & libertas est ablata. Idem de vicinarum arcium præfidiariis militibus fit, simili errore ad mare progressis. Afri etiam cum eorum duce Zegri 50 venerunt in potestatem. Transfugis, quorum erat magnus numerus, irrogata supplicia, ac religionis desertoribus, qui ex Iudaica gente nostra sacra suscepserant, ignis pœna fuit. Aliis Iudeis atque ciuibus Mauris permisum, vt moderato pretio redimerent libertatem. Ad quintumdecimū kal. Septembriis vrbs nobilissima capta. dies festi vniuersa Hispania agitantur. superis aguntur gratiæ. votorum damnati, ea promptissimis animis persoluunt. Sedes Episcopi captæ vrbi restituta, Pontificum venia, Gothorum ætatis exemplo qua proprium Episcopum habuit. Lætitiam nonnihil obscurauit metus ex Oriente allatus. Baiacetū Turcarū Imperatorē cōtracta valida classe de Sicilia cogitare vires nostru in eā partē à bello Granatēsi auertere cogitabat pace etiā cū Ægypti Sultano facta.

In Aragonia ciuitatum societas instituta. CAP. XI.

Ferdinandi Regis armis premebantur Mauri Granatenses ruinæ proximi. Si nul Lusitani ad Orientis prouincias viam aperiebant anniuersariis nauigationibus. quod ab Henrico Principe institutum fuisse diximus superioribus annis, extima Africæ litora explorare, longiusque in singulos annos prouehi non desistebant. Tantis laboribus fructus non respondebat. Beatas Indiæ prouincias adire, opesque celebratas fama, quas benigna cælum manu iis gentibus copiosius quam aliis dedit, in patriam auehere cogitabant aromata, gemmas, margaritas, aurum, ebur, argentum, aliaque quibus hominum ambitio, magis quam vitæ necessitas pretium adiunxit. Summas rerum nunciat fama, maiora saepe vero: sylvas esse proceribus, & in maximam altitudinem editis arboribus, cynamomi, cassiae, garyofoli, piperis, zinziberis vim magnam: prodigiosas animantium formas, hominumque insolentes mores, habitusque. Non prudentia, sed temeritas fore videbatur, relegatas in ultimam terrarum regionem, gentes opesq; persequi, exiguis Lusitanæ viribus, immenso terrarum spatio Oceanique disiunctas, sed omnes difficultates avaritia habebati, & gloriæ cupidio superabat. Ergo superiorib. annis Bartholomeus Diacius rei nauticæ in paucis prestatâs, missus abs Regis suo, ut Bonæ spei promontoriū adiret: ubi extenuatis vtrinque litoribus, Africa ad Austrum procul porrigitur. Eo promontorio transmisso ad flumen eui in altera parte Infanti nomen effecerunt, nauigando peruenit. Ingens cœptum, pertinax conatus. Antonius ex Franciscano ordine Bartholomeo socius datus vir acer, impiger, solers, atque audax, inde pedestri itinere Africæ, atq; Asiæ magnis spatiis lustratis, Hierosolymam peruenit. Inde in Lusitaniam ipse terra Bartholomeus mari reuersti, visa ambo Principi gentiæ nunciarunt. Quoniam prima successerant maius studium accessit perficiendi, que instituta erant. Duo viri ardenti ingenio, magnoque rerum usu, & quod caput erat, Arabicæ linguae cognitione præstantes delecti operi perficiudo sunt: Petrus Couillanius, Alfonsus Payua. Classem instruere magni sumptus erat. terra iussi sunt Africæ, atque Asiæ regiones intimas considerare. Ii Idibus Maii Olisipone egressi, obitis Neapoli, Rhodo, Hierosolyma, Alexandria, Cayroque Aegypti vrbe primaria, diversi Petrus quidem Ormucium, quæ insula ad sinus Persici fauces iacet, Galicutiumq; obiuit. Alfonsum autem Aethiopiæ interioris regiones lustrantem mors oppressit. Petrus literis abs suo Rege acceptis, vt nisi prouinciis omnibus consideratis non rediret in patriam, in Aethiopiam profectus, cum gentis Imperatori Alexandro, quem vulgus praefato Ioannem vocat, Nahu, & Dauidi successoribus, operam & ingenium probasset, discessus est prohibitus, coniuge data atque amplis possessionibus, vnde vitam sustentaret. De scripto tamen ad Regem Lusitanum visa explorataq; renunciauit. Calecutum nobilissimum emporium esse totius Orientis maxime celebratum. Gentem fusco colore, viribus imbellem, morum insolentia maxima: superiori corporis parte nudos crura lumbosque veste tegere, plerosque auro purpuraque distincta: lacertos & brachia margaritis onerare: ex humeris acinacem pendere: nuptiis coire fœminam ynam multis maritis: eq; incerta prole, patribus non filios succedere, sed ex sororibus natos. In Aethiopia late fusas gentes, nigro omnes colore, atque Christiano nomine esse: veterem religionem sylvestrem, plurimum ex Iudæorum ritu & hereticorum erroribus confusam esse: Regi parere potentissimo innumeras copias equitum & peditum aleti, tendentique sub pellibus: gentis sanandæ magnam spem esse, si vltro citroque missis ad eam legatis in societatem asciscerent. Verū hæc cœpta hoc tempore, consequentib. annis gesta sunt. Ferdinandum capti Malaca operi insistentem, Aragonii tumultus in eam prouinciam euocarunt: vbi scelerata, latrocinia, cædesq; vigebant maxime. Valentia à Philippo Aragonio Montesiæ Magistro, cum ex bello Granatensi rediisset, Ioannes Valterra obtruncatus erat magna nobilitate iuuenis, atq; in amoribus Eleonoræ Crotonis Principis riuialis, quod exitiū attulit. Ea res tumultus graues in ea ciuitate concitauit. Ferdinandus Isabellaq; Corduba profecti, Cæsaraugustā ad quintū Idus Nouébris tenuerūt. In ea vrbe q̄e adi urbanos magistratus ratio vetus immutata est: senatuq; cōcedente, ciuib. distracta, potestas ea, vniq; Regi permissa, vitandis contentionibus, atq; tumultibus remedium opportunum. Præterea Castellæ exemplo ciuitatum inter se societas institutæ, stipendio militari imperato, vnde centum & quinquaginta equites alerentur: qui in omnes partes scelerum licentiam & maleficia, aut metu prohiberent, aut pœna vindicarent. Additum, vt vniuersæ societati nō nisi Cæsaraugustanus ciuis ē tib. quos senatus nominaret, à Rege delectus præficeretur, circumscripta certis legibus potestate. Id principio consequentis anni gestiū est M. quadragecento octogesimi octauo. Quibus diebus à Rege Neapolitano 1488.

legatus Leonardus Toccus domo Græcus atq; à Græcis Augustis genus ducens, opulento principatu à Turcis euersus, profugus in Italiam de nuptiis appellavit pactis superiori tempore, Ferdinandi Capuae Principis cum Isabella Ferdinandi filia. Eo conatu impedito, quoniam Isabellam Ferdinandus Gallo Regi, aut Lusitani Regis filio coniugem destinabat, eternum concordię inter eas gentes vinculum (sic putabant) Maria altera Isabella soror in eius locum est substituta priori modo pacto inducto, irritisque sponsalibus. sed neque hoc coniugium effectum est. Valentiam quo Reges Ferdinandus Isabellaque abierunt, Alanus Labreti Regis pater improuisus forte aduenit, cura ditionem aduersus Galli vires muniendi, magna ex parte detractam: Vascones pacandi, vbi tumultus vigebant, à Beaumontis magna prouinciae parte occupata, exelusis aditu Regibus. tametsi ante tertium annum feedere cum Lerini Comite facto, ei & necessariis honores & oppida concederant, quæ maiores tenuerant, multis de nouo additis homine sanando. sed nullis meritis perfidia flectitur. Franciscus Dux Armoricus erat tuendus: quem quod virili prole careret, Annæ hæredis coniugium multis expertibus Gallica arma solicitant. defendebant Labretus Aurelianusque Maximilianu Cæsarem Brugenses ciues captum custodiis circundederant, impetu in regiam facto feroci & rapidi: vnde noua cura accesserat Labreto confœderato, nostrisq; amici Principis calamitate cōmotis. Cum supplici Alano, neque villas pacis conditiones recusanti, fœdus est factum, societasque armorum constituta, aduersus omnes Principes, uno excepto Rege Gallo: cui fidem fallere neque tutum erat, neque fas, quod Labreti ditio subdita vniuersa Gallico imperio esset atque finitima. Verum ea speciosa verba erant, rebus vacua, quando præsidia extera contra Gallum maxime quærebantur. Additum, vt in ora Cantabriæ classem ædificandi, delectusque militares habendi facultas esset, Iohane Gralla homine Catalano ductore earum copiarum. De eo feedere tabulæ geminæ confectæ sunt, ad duodecimum kal. Aprilis. quarum exemplum subiictere non est necesse.

Bellum Mauricum repetitur. CAP. XII.

VAlentinæ gentis conuentus in ea vrbe inchoati Oriuhelæ ad exitum peruenere, sceleribus vindicandis, quorum non minor in ea gente quam in Aragonia licentia erat. Ex propinquo Ferdinandus iis motibus pacatis, per Contestanos in Mauricos fines nouo conatu apparatuque incurrit festinabat. vbi Abohardiles imperii nomen ægratim spe, sustentabat: quamuis æmulo maior potentia, Guidixio, Almeria Basta subditis motibusque Granata ad mare pertinentibus, maiori prouentu, quod à belli malis locorum asperitas eatenus seruaret immunes, & ex bombyce certissima genti vestigalia constarent. Accedebant studia prouincialium, à Boabdile auersa, quasi ignauus, impiusq; esset, & nominetenus Maurus, pectore noster. Auxerat auctoritatem irruptio per saltus, impeditaq; loca, in Alcalę regalis agros facta, nostrisque inopinantibus remissisq; quod prope Boabdilis ditio esset, præda ingens Guidixium abacta, domiti pecoris maioris minorisq; sed eam iniuriam Iohannes Benuidius iis finibus præfectus contiuit vindicavit, Almeriæ agris incensis, vexatisq;. Regis Ferdinandi bellicos apparatus haud satis animo respödebat (& Bætica hoc & superiori anno pestis lue vehementer laborarat) si vires supererent, maiora conaturus Murciam vbi ipse erat copiis cōuenire iussis, Verā quod oppidum, ad mare sitū Melæ Vergi fuisse creditur, aut Varea Antonino, impugnare statuit. Nec mora oppidani defensione desperata, ad quartum Idus Iunias dditionem faciunt. Veræ exemplū Muxacra (quæ veteribus Murgis fuit) sequitur, vtrunque Veles Albū Rubrumque: multa alia castella, & oppida temere munita, aut sine præsilio accesserunt. magnus terror, neq; minus periculum hostium animos fregerat, ne agri vastarentur ad dditionē inclinatos. Almeriæ locis finitimè aditu, Taberna arx situ inexpugnabilis prohibebat. Eē nouo præsilio firmatū Rex senior Guidixio accurrit, mille eq̄tes, vigintimillia peditū sub signis habēs. simul insidere saltus nostrosq; dispalatos carpere cogitabat, in casum vniuersitatem dimictionis non venire ex conscientia suarū imbecillitatis viriū: quod collectitius exercitus exiguo rei bellicæ vsu. Cum pugnam barbari detrectarent, nostri ferociores facti, multas passim manus ad campestria deuastanda dimittunt. vis mali in Almeriæ planicie maxime incubuit: deinde Bastę agri vastantur aquis irrigui, ob idq; insigni prouerū & amoenitate. Riuis, quib; ea planicies distinguitur, impediti nostri, haud leue damnum accepere. cōcurrentib; Mauris multi ceciderūt. in eo numero Philippus Aragonius Mōtesiæ Magister iuuenta ferox, ferox nobilitate. Imminuto copiarū numero Ferdinandus idoneis locis præsidia disponit. ipse Oscam primū vicinā Bastę vrbe, deinde secundum Staberis fluminis ripā, Murciā contendit. Toletum inde atq; in ulteriore prouin-

provinciā, quo aliæ regni curæ vocabant, discessurus. Eius digressu Rex barbarus, oppida quæ amissa erat, aggreditur. quædā partim spe, partim metu in potestatē reuocat. Interim Gausini incolæ, q̄ oppidum satis munitum prope Arundam situm erat, nostrorum imperio fessi, aut pro more gentis ingenii leuitate perfidiaque, inter se coniuratione facta, milites præsidarios obruncant palantes securosque, vt in nullo tali metu. Letitia diuturna non fuit: vicini Mauri, ne ipsi quasi facinoris cōscii pœnas darent, manu facta Gausinum obsident. Gaditanus Cifontanusque Hispali cum noua manu ad vindictam accurrunt. Sic recepto oppido, incolæ pœnæ cuncti, aut præde fuerunt. Ferdinando Vallisoletū apulso ad octauum Idus Septembris, qui dies Sabbathi fuit, noua se se occasio obtulit Placentiæ vrbis recuperandæ, ignavia superiorum Regum alienatæ, Stunicisque regulis addictæ. Aluaro Stunicæ per eos dies defuncto, nepos eodem nomine ex maiori filio successerat. litem iuueni Dieghus Stunica patruus intendebat, quasi potior iure. Familia clentumque studiis in vtranque partem diductis, Caruailiis factioni in ea vrbē præualidæ opportunas data est, vrbis in potestatem redigendæ. Impetum in arcem factum præsidarii sustinuerunt. Ferdinandus per speciem eos tumultus pacandi, in eam vrbem aduolauit: dedenteque Aluaro nouo Duce, atque Begiatem digresso in potestatem redegit, Leðimia permutatione datam à Iohanne secundo, Petro Stunicæ Aluari proauo. Magnus procerum timor, ne quæ perturbatione temporum superioribus Regibus extorserant, restituere cogerentur Regi, maiori potentia consilioque. In Aragonia noui tumultus extabant. proceres ciuitatum societatem nuper initam disturbare cogitabant quasi grauem nimiumque priuatis ipsorum commodis obſistentem: neque prius restiterunt, quam ea societate in decem annos abrogata, comitiis Turiasone habitis consequentibus annis. Ad Maximilianum è custodia Brugensi liberandum, legati à Regibus in Belgas Iohannes Fonseca atque Aluarus Arronius rem ex sententia confecerunt. experti tamen in coniugium Isabellam Regum filiam Maria priori vxore defuncta, denegatum, spe facta Philippo eius filio, atque heredi futuro, vnam ex Isabellæ sororib. ætate idonea collocandi. quem Austriae Archiducis per eos dies nomine, Augusti indulgentia, nepotem auxerat nouo exemplo: (nam maiores Austriae Duces vocabantur) nouisque honoribus augere destinabat, Hispanicæque affinitati idoneum præstare. Medina Iureconsultus, & Bernardinus Caruailius in locum Garsia Toleti Asturicensis tunc Episcopus, deinde Cardinalis & Placentinus Episcopus, apud Romanum Pontificem pro Ferdinandō legatorum partes implebant. iis mandatum, vt Maximiliani legatis, quos ad Pontificem miserat præter morem maiorum, vt quidam disputabant superstite patre Augusto, ita priores partes concederent, si Galli Regis oratores idem facerent: medios assidere non paterentur. Multum ad Maximilianum liberandum classis fama contulit à Labreto, vt conuenerat, in Cantabriæ litoribus edificatæ. Terra tamen in Britannia Armorica grauis clades accepta est. ad fanum Albini à Galli Regis copiis victi Aurelianus Dux sociiq; sunt. Iōnes Gralla quoque Hispanorum Dux amissis suis magna ex parte, in victorum potestatem venit.

Tres urbes de Mauris captae. CAP V T XIII.

40

V No tempore Castellæ regia nouis opibus augebatur, à Turcis ingens metus extabat assiduis atque infensis Christiani nominis hostibus, mari terraque potentibus. Defuncto fine anni Garsia Padilla Calatrava Magistro (sepulcri inscriptio, quod in eo oppido ad aram templi maximam cernitur, superiori anno ait) extincto certe, multisque una ambientibus, Ferdinandus Rex concedente Innocentio Pontifice, eum honorem, paresque opes vtendas, fruendas, administrandas stabili possessione suscepit: quod exemplum ad alios militum ordines manavit, effecitque, vt aucta Regum potentia eorum militum autoritas euanesceret. cum præmia virtuti dari solita emeritæ militiæ viris, rebus conuersis aulæ asseclis plurimū cedant. At tumultus in comitiis vigebant: regiique ærarii tenuitas erat supplenda. recte, nisi omnia mala exempla ex bonis initiis deriuarent. Verum hæc reip. vulnera sanare quis possit in tanta assentatorū frequentia? prætermittere satius arbitror. Tametsi quis equo animo ferat, opes maiorū pietate concessas ad profligados Christiani nominis hostes effundi nullo certe exiguo reip. fructu? quantum iis terræ marisque parari potuit? Ex Oriente fama percrebuerat, numerosas equitum & peditum copias à Baiaceto Turcarum Imperatore contractas esse, valida classe constratum mare. ne in nostros fines sœuaverteret tempestas, metus erat: neque voluntas barbaro deerat ad occassum proferendi imperium, vlciscendi dolorem, ob denegatum Gemem fratre. Aegypti Sultanus morabatur spem, Turcarum incrementis maxime inuidens. Ergo in eū con-

verso impetu, unde decim prædatorum biremes à reliqua classe diuulsa, Melitem insulam pene omnem præde habuerunt, & direptioni, ipsa etiam ciuitatis suburbia: quæ gemino portu quatuor magnæ classis capax est, vtrumq; portū cuspidē terræ distinguēt, cui à Sancto Anselmo nomē est. ea parte propugnaculum edificari visum, prohibēdis hostibus: ne eam insulam belli sedem efficerent, assueti nostris litoribus. Aduersus prædones, ex Sicilia quidem missa classis est, ductore Patela. serum auxilium hoste cum præda dilapo. Ex Hispania noua classis dimissa novo Siciliæ Protege Ferdinando Acunia, non modo ad nostros fines tutandos, sed tentanda etiam Africæ litora idonea. Cum Anglia atque Austriae Principibus fœdus instauratum aduersus Galli Regis potentia. Ea præsidia comparari dubitabat nemo ad Neapolitanum regnum armis occupandum: ad quod proceres Neapolitani patria exules, pars Ferdinandum, pars Gallum, vnde maior spes erat, o-
1489 pes validiores prouocabant. Quo studio proximo anno M cccc octogesimo nono mille equites, duplicato peditum numero Annæ Britanæ defuncto patre Armorico Duce, mitti decretum est ex Hispania aduersus Galli potentia auxiliares. ductor Petrus Sarmentus Salinarum Comes. De bello Maurico maior cura erat: & quo propius spes admouebatur imperii Maurici opes euertendi, crescebat animorum ardor. Sic Reges ad sextum Kalen. Aprilis Medina Campestri bellum instauratur in Bæticam concessere. Giennii bellici ap- paratus erant. Corduba obita lustrato exercitu, inuentum duodecim millia equites, pedi- tes quinquaginta millia sub signis esse. delecta vniuersa ditione inuentus, bello viuida vir-
tus. Ex una Cantabria & vicinis locis numerosa manus adtinerat: quæ gens molli impe-
rio ob idque fidelissima apud Reges est, locorum asperitate duratis corporibus militiae la-
boribus idonea. Cum his copiis Bastam obsidere visum est. Cuiar oppidum in ipso aditu captum: quoniam munito loco erat, ne nostrorum conatus impediret. In eunte mense Iu-
nio ad Bastam castra sunt posita. Perspecto Vrbis situ Ferdinandus adhortatus pauca pro
tempore milites, obfessos impugnare constituit. Ipsum erat oppidum in collis latere: cu-
ius collis partem & subiectam planiciem flumen alluit ignobile, ex aliis partibus colles assurgunt. in vrbe virorum atque armorum satis magna vis, frumentum in quindecim
mensis comparatum. locus opportunus vineis agendis, aliisque machinationibus. Egres-
sis ex vrbe præsidiariis militibus prælium in planicie fit. summa vi ab utrisque contendit-
laborantibus nostris, atque inter riuos, quibus aqua diducitur in agros, & cæcas fossas
impeditis cadentibusque, nouæ è castris copiæ submittuntur. sic nostris animus crevit.
hostes in urbem reieci sunt maiori damno accepto, quod multo minori essent numero,
ad tria millia milites, tertia equites parte. Sic saepe erumpentibus Mauris pro castris muni-
tionibusque pugnatū est. Nostrī segetes, hortosque corrumpere, magno ciuium dolore.
Cecidit Ioannes Luna Illueccæ regulo natus, prima iuventa & gratia Regis florens, multis
que præclaris factis nobilis: vti Petrus Martyr Mediolanensis: qui præsens de hoc bello
commentaria confecit auctor est, patria Mediolano vetus Hispaniae hospes. Pares nostri
tumultuaria pugna Mauris non erant, assuetis, se in fugam vertere, pugnamque incredi-
bili celeritate repetere, vulnerare, cædere. Locus & genus pugnæ pro hoste erat: nostri nu-
mero & virtute vincebant. Sic obsidio in multos dies ducta est. Rex anxius trahere cum
animo suo, omittaret ne incepsum, quoniam frustra erat an exitum expectaret, quo sae-
pe prospere usus fuerat. Terrebat maxime anni tempus multis funeribus lugubris. Insalub-
rium ciborum noui succi vulgauerant morbos: pestisque lues nondū plane sedata mul-
tos indies absumebat. Gaditanus Regio concessu per eos dies Marchionis nomine in Du-
cis honorem transformato, mouenda castra disputabat: neque tanti exercitus periculo, i-
gnobilem urbem emendam videri. Vbi periculo respōdent præmia, & secundis reb. am-
pliorē fructum esse, & aduersis solatium maius. Si obsidio in hyemem ducatur, inflatis
fluuiis, quæ spes, quis receptus? Pereundum vna omnibus, nisi mature consulimus. Hor-
ret animus meminisse, tua tibi salus vilis Rex est: cuius spiritu omnes viuimus, vincimus-
que. Vera Gaditanum prædicare nemo ignorabat. vicit tamen Regis constantia. Ignauos
premunt humina, fortis iuuant. Assidere vrbi constituunt, mœnia circumuallare. fossa
circumducta est. sepesque labro prætenta. Nouem castella ex interuallo posita: quibus in
castellis stationes disponebantur, nequa subito irtuptio fieret. copiæ distributæ idoneis
locis sunt. Gaditanus cum quatuor equitum millibus apud tormenta agitare iussus. Sed
externis quamvis auxiliis prohibitis, commeatus affatim in vrbe erat. contra in ca-
stris rei frumentariæ inopia, pecuniæque in stipendum. Nouæ in dies manus auxilio
aduentare. Mense Octobri Duces Petrus Manricus Anagari, Albæ Fridericus, ob-
nuper defunctū patrē in veste squalida, Fridericus maris Praefectus, Asturicæ Marchio-
subsecuta paucis post dieb. Regina est cū Isabella filia, Toletano atq; Episcopis aliis quo-
rum

rum aduentu (sic arbitror) fracti obsecorum animi sunt. repente enim Hacenus cognomento Senex vrbis Præfectus, ad quem bellici etiam imperii summa redibat, colloquio flexus Guterri Cardenæ Promagistri Legionensis, cum diu sustentare potuisset, re cum suo Rege, qui Guidixii erat, communicata, deditio facere constituit. Res comparanda miraculo visa nostris est. Conditionibus pridie Nonas Decembbris nuncupatis, Rex Reginaque triumphi persimili pompa in vrbem die proximo inuencti sunt. deditæ vrbis cura Carsolæ Antelato Diegho Mendozæ, Cardinalis Hispaniæ fratri concredita est. Ea formidine multa circum oppida vltro dedita, obsides, frumentum, & alia quæ vñi forent affatim præbuerunt. Taberna, Seron, quod mirere amplius, Guidixium Almeriaque, quæ diuturnam obsidionem tolerare potuissent, ne tentata quidem defensione ipso seniore Rege dedente, captæ sunt. Ad Almeriam, Regem barbarum in castra venientem, Ferdinandus Rex obuius benigne accepit, paratum imperata facere, seq; & sua victoris voluntati permittere. Accessere præterea in victoriæ partem duę arces munitissimæ locis inter se coniunctæ marique imminentes, Almune car vbi regii Maurorum thesauri, cultusque esse consueuerat, & Salobrena quæ veteribus Selambina in Bastulis ad mare Ibericū fuit, locis arduis, ea munitione, vt Regum filiis & fratribus custodiendis, carceris instar esset. Ei arcis Franciscus Ramirus Madriti municeps, tormentis bellicis præfectus, Prætor est datus: cuius præclara facinora multa hoc & bello Lusitanico meritaque præclara extiterant. Enituit etiam in Bastæ impugnatione Martini Galindi ciuis Astigitani vnius maxime virtus, Ioannis parentis laudes exæquare contendentis: quo fortior miles ea tempesta te nemo fuit. Tantis rebus confectis, recensito ad Guidixium exercitu, pridie kalendas Ianuarii, in eunte salutis anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo, inuentu viginti millia capitum è nostris desiderari tria millia in pugna ceciderat: cæteros vulgati morbi, hyemis asperitas consumpsit, concretis frigore membris, corruptis tabo vitalib., morte tristius lethi genus; sed plerosq; è lixarum calonumque numero, eo que minori damno.

Alfonsi Lusitani Principis nuptiae. C A P V T XIV.

Finis appetebat, iamque aderat, gentis barbaræ atque imperii inauspicatō in Hispania fundati. vrebbebat Ferdinandus Rex, neque indulgenti fortunæ deerat, acer, impiger, solers, cautus, in acie ferox, post victoriam mitis. Supplici prostratoque Regi barbaro conditiones ferente Guterrio Cardena D. Iacobi Legione Promagistro, cuius magnus vñs eo bello fuerat, virtus præclara, Fádaraxium donat, in montib. Granatæ situm municipiū. adiicit alias circum villas & pagos, prædiaque vnde ad vitam sustentandam decem aureorum millia annua prouenirent, exiguum vestigal, leueque regni erepti solamen: eo minori commiseratione, quod imperium meminerant à parricidio inchoatum. Mauris recens subditis datum, vt retentis agris exclusi mœnibus, in suburbis habitarent, nudati omni munitione, rebellandi facultate sublata, arma etiam & ferramenta detracta. Eo promulgato fœdere Guidixio Ferdinandus Isabellaque discedunt ad quartum Kalendas Ianuarii, per Astigitanos Hispalim petunt tantis rebus breui confectis, maiores augustioresque quam antea: per circumfusos studio visendi populos, ad cælum ferentes laudibus prædicationeque, tanquam cælo dilapsos in salutem patriæ magis quam mortales metuere & colere. Externi Principes rei gestæ fama permoti, missis legationibus gratulari, certatim que Hispanam amicitiam appetere Lusitanus maxime Alfonso filio, quod agi ante cœptum erat, Isabellam maiorem Regum filiam coniugem expetebat, pacis perpetuæ inter utræque regiam, pignus securum. Ferdinando Sylueira iustitiæ Præfecto, & scrinii regii Magistro Ioanne Texeda è Lusitania legatis, fides nuptiarum Hispali data est quartodecimo kalend. Maii. Et erat spes Gallici coniugii intercepta, Gallo Rege ad Annam Britaniam Duce respiciente. Magna vtriusque gentis letitia fuit. Lusitanæ minor, Ioanna sponsa amita lectissima, de cuius pietate multa ea g̃s prædicat, proximo mense Aueri extincta cælibe vita. Castellæ haud diuturna. Puella ad tertium Idus Nouembbris Constantina in Lusitaniam missa est, deducentibus Hispaniæ Cardinali, Ludouico Osorio Giennensi Episcopo, Diui Iacobi, & Alcantaræ Magistris, Comitibus Gometio Figueroa Feriæ, Benueenti Alfonso Pimentelio, multa alia nobilitate. Omnia ad decorum imperii composta, suscepto inter eas gentes de splendore, cultu & elegantia certamine. Ad Caiam quod flumen Pacem Augustam, Helbesque interfluit, noua sponsa in Lusitanorum procurum potestatem contradita: qui non minori numero obuiam processerunt, cum Emanuele Duce: cui iam numina id coniugium regnūque destinabat. Ad Stremotium Lusitanæ oppidū Rex Lusitanus & filius præsto fuere. media sposa ad sinistrā socer assedit. In

eo oppido in spōsi manum conuenit ad octauum Kalen. Decembri: qui dies Mercurii fuit. saeta nuptialia die proximo peracta antistite Bracarensi Episcopo: cuius inter Pontifices Lusitanæ primæ honoris partes sunt. Iudi nuptiales Eboræ atque Scalabi in sextum mensem continuati. Nihil est syncerum constansque in rebus humanis. Lætitiam vniuersæ gentis inopinus casus conturbauit. Regem in eo oppido ad ripam Tagi fluminis die quodam sub vesperam progressum, Alfonsus Princeps honoris causa comitatus, cum Ioannem Menesium ad currendum admissis equis prouocasset, ferociis quo ferebatur, equi repente casu oppressus est, breuique extinctus. quanto parentum & sponsæ, atque totius prouinciæ luctu dicere non est opus. Tot spes, tot gaudia, diem vnum in contrarium vertisse verissimis lacrymis querebantur. Corpus ad maiorū sepulcra tumulo cōiectum, & inferiē more patrio datæ, Rege & reliqua nobilitate atrata in veste funus prosequentiibus. Isabella vix primis gaudiis delibatis, tam breui spatio sponsa, coniux, vidua ad parentes in Castellam contecta leætica remissa est. Sic res humanæ & gaudia leui momento permutantur. Regem sacerorum ex mcerore lentus morbus inuasit, oppressitque quarto post filii obitum anno, fundato sub vitæ finem Olisipone regali xenodochio nobilissimo: cuius fundamentis auri stipes ipse subiecerat, perpetuitatis omne. Nulla iusta prole relictæ, Georgium ex Anna Mendoza pellice suscepit, in primis quamuis annis, Auisii atque D. Iacobi Magistrum renunciandum curauit, atque perfecit. Noua Regum stirpes exceptæ in Lusitania. Emanueli Regis extinti patruelis, Ferdinandi Visei Ducis filius, iure propinquitatis cæteris deferentibus imperiū gentis suscepit. Ex eo Ioannes est natus. Ex Ioanne filius eodem nomine: quem ætatis breuitas ad imperium paternum auitumque peruenire non concessit, eius Sebastiani patrem, qui auo proximus, gentis Rex in Africa graui ac perpetuo suæ gentis luctu occisus, Philippo Castellæ Regi Emanuelis ex Isabella filia nepoti felicissimo, Lusitanum regnum reliquit, tertio anno antequam hæc scribemus. Sic in fatis Hispaniæ erat, quibus nihil est arduum. Verum hæc maiori eloquentia & eruditione viri explicabunt: nos ad iter Granatam redeamus.

Granatae planicies vastata. CAPUT XV.

BEllum Mauricum confidere cogitanti Ferdinando, vnius modo Granatae vrbis munitione opponebatur: fidesque Boabdili Regi superiori tempore data, cum suis omnibus iniuiolatum fore. Eius subigendæ præclara occasio est oblata. ciues ne externo quidem metu coerciti, correptis armis Regem, quod sæpe fecerant, intra Albaicinum compulerant, & græspe non iam de imperio, q̄ pereunte obsequio nullū erat, sed de salute, de liberitate laborant. Cōmota multitudo indignari, fremere, tumultuari, minari exitiū. Amicū Principē in periculo deserere auxilia postulantē iniquū erat, tametsi noui ex Oriente terres ostētati erant. Aegypti Sultanus potētissimus, nisi incepto desisteret Ferdinandus gētis Mauricæ impugnandæ eisdem imbutæ sacræ, cæde vindicaturum se omniū, quicunq; ex piorum natione in Aegypto, atque Syria reliqui erāt minabatur: ne à sacrīs quidem & temporis temperaturum. legatus in eā rem Antonius Millanus Franciscano monasterio Hierosolymæ Præfetus, eadem Neapolitani Regis verbis, eo ex itinere cōuento, monuit, vt fama ferebat, Mauricæ genti & equioris quam honestum esset, & fas Principi Christiano. Nulla iniuria prouocatum debere ab iniuria temperare, neque mouere vnde grauiores calamitates extarent. Sacrīs quamvis discrepantem gentem temere violandam non videri. Neque barbari minis, neque Neapolitani præceptis Ferdinandus est territus. Ad Sul tanum tamen bello peracto Petrus Martyr legatus est facti rationem redditurus: ad Neapolitanum in ipso nouę expeditionis procinctu, codicillis explicatæ causæ, cur iure Christiano imperium iniuria constitutum ab antiquo, & vnde multæ recentes offensæ prouocarent, euertere honestum fasque esset. De piorum salute laborare: sed tēperaturos dolori barbaros cognita veritate: neque commissuros vindictæ studio, vt vētigalia amitterent, quæ genti grauissima imperabant. Nominis sanctitas non modo tutum apericulū indignitateque Antonium legatum præstitit: sed effecit, vt reuerentissime officiosissimeque haberetur, dimittereturque. Simul ad Granatenses ciues missi, qui Ferdinandi verbis nunciarent. Si positis armis imperata facerent, eadē conditione, qua cæteri deditiitii futuros. Commouit ea denunciatio utræque factionem, vt positis odiis de communi salute consultarent. Neque ignorabat barbarus Rex, Ferdinandum magis nomen ad præsidium eius quam vires afferre. pro se verbo, pro se ipso re pugnaturum: neque cessaturum, nisi vrbe in potestatem redacta. Viri in ea gente Sancti inter vtrisque commantes ad concordiam prouocare, obtestari, monere, quod in rem foret. Seu finis belli esset,

esset, scu resumere arma mallent, vnicum genti in pace præsidium: dissidio vtrosq; prædæ fore. Ergo sancita concordia inter Mauros, nostri prædabundi in Granatæ planiciem it- rumpunt Rege ductore, Regina Moclini relista. vastatæ circum segetes magno citium dolore, metuque, ne fame premerentur. Ioannes expeditionis comes à patre Rege balteo militari donatur, laboris præmium, ad maiora incitamentum. Abacta Cordubam præda, lateque terrore iniecto, Villenæ Marchio limiti præficitur. Alfonsi fratri in ea irruptio- ne amissi solamen, dextrique brachii debilitati hastæ iactu: dum quendam è suis à Mauris circumfusum periculo eripit, magno Princeps animo, magnoque rei militaris vsu. Mauri vix metu depulso, ductore Boabdile Alhendinum arcem nostrorum prædio recens mu-
10 nitam evertunt. Ea iniuria vindicata, noua irruptione vastatis abs Rege panico millioque quæ vna spes supererat vitæ, sequenti anno sustentandæ. quindecim diebus ea clades con- tinuata est. Guidixienses Mauri correptis armis tumultuantes, nostros, qui in arce erant, adaucta vi perimere parabant: sed Villenii celeritas seruauit. Per speciem Fandaraxium impugnandi, quod oppidum ab imperio Abohardillis defecerat, Guidixiū ihuectus cum valida manu equitum peditumq; Mauros vrbe egressos quasi numerū lustratus, clausis portis aditu prohibuit: nostrosque periculo eripuit. Rursus Ferdinandus de mense Au-
gusto in Granatæ fines igne, ferroque populationes fecit. Nouo Boabdiles conatu Salo-
brenam obsidebat: sed magna virtute & diligentia Francisco Ramiro defendantem, nouo-
que à tergo terrore vrgente, incepto absistere, Granatamque se se referre compulsus est.
20 Abohardilli datum subditis tumultuantibus recusantibusque eius imperiū, vt in Africam
traiceret, amplissimis muneribus donatus: vti erat in superiori fœdere cautum.

Granata obſeffa. CAPUT XVI.

HYeme Hispali exacta, Reges Ferdinandus Isabellaque bellum repetunt. ad Alcalam Regalem Regina cum filiis restitit ad omnes casus parata, breuique iisdem vestigiis secututa, gloriæ & periculi futura particeps. Ferdinandus procerum aduentu, & militum quos vrbiūtū conuentus suis stipendiis submittebant, aucto exercitu, trinis castris in Gra-
natę conspectum Sabbatho ad nonum kal. Maii salutis annio Millesimo quadringentesi-
30 mo nonagesimo primo ad Guetaris (id pago nomen est sexto ab vrbe lapide) scaturigines, cum ventum esset, ex iis locis Villenæ Marchionem & tria equitum millia in vicinos montes prædatum mittit: ipse se eodem subsecuturum, cum copiarum robore pollicetur prædio futurus: si quid montani homines durum in armis genus,, aut ex vrbe hostes mo-
uerent. Fecit imperata Marchio Rex versus Padulum progressus repulsis Mauris, qui ad pre mendum nostrorum agmen, ex vrbe erant egressi, coniectisque in fugam, Matchionem re ex sententia pattata nouem pagis Maurorum incensis, multaque præda redeun-
tem accepit lætus, & quoniam prima prospere cuenerant, in ulteriores montes belli terro-
rem infert. late populationes, direptionesque factæ. Mauri equites peditesque notis tra-
mitibus montium, qua transitus erat, angustias obsidentes victi deiectique sunt. Cœptis
40 fauebant numina. quindecim alii pagi direpti cuersique: magnaque præda capta: cuius copia erat, montanis à belli superioris malis immunibus, idoneisque in urbem commea-
tus affatim importando: quod omnino prohibendum erat. His rebus sine vulnere con-
fectis, intra triduum unde discesserant, læti redierunt. factis castris munimenta addunt,
subitarii operis fossam, vallumque. Quinquaginta millia militum erant, quinta equitum
parte, Hispanę iuuentutis flos ingenti delectu contractæ, viuida virtus, vigensq;. Vrbem
equitum peditumque numerosæ copiæ muniebant: quosunque belli fæuitia reliquos
fecerat, magno rei militaris vsu. In urbana multitudine parum præsidii rebus erat, in pace
feroci, in periculo ignaua. Vrbs Granata natura loci, opere, muris, propugnaculis inexpun-
gnabilis tutaq; erat. Ab occasu panditur planicies agri optimi, multo effuso in ea sanguine,
50 vberi gleba, centum decem millium ambitu. longitudo maior quam pro latitudinis modo fontibus qui ex vicinis montibus sex & triginta deriuantur ac riuis irrigua, amœ-
naq; ac humano prope cultu felicior. Ab ortu Illiberritanos montes erigit, vbi quondam Illiberris sita fuit. Niuosos ad austrum iugis perpetuis inter se serie coherentibus ad Me-
diterraneum mare. Latera leniter declivia, & cultura lœta & domiciliis frequentia sunt.
vrbs gemino imposta colle, Darro amine interfluente tetru aqua quem Singilis medium
intersecans planiciem, vrbe dilapsum excipit. Mœnia validissima sunt, mille & triginta
turribus distincta, horrentiaque specie minaci, septem olim portis, nunc duodecim.
Circumuallari coronaque militum cingi non potest, egregiis etiam à planicie vnde
ascensus æquior est, operibus propugnaculisque firmata. Ea parte templū est maximum,

Mauris rerum potentibus rudis structuræ, nostra ætate eleganti opere, eisdem vestigilis perfectum humano prope cultu augustinus, sanctum omnibus circa populis, inclytū non tam diuitiis, quam Sacerdotum numero probitateque. Prope forum ducentos pedes latum triplo longius ad lineam directum edificiis ambientibus & mercatorum tabernis elegans. Geminæ arces sunt: ad austrum nobilissima pertinet, vrbi imminens, proprioque cincta muro, cui Alhambræ hoc est, Rubræ nomen vicini soli color effecit, an ex alio oppido eiusdem nominis eam appellationem sumpsit, spatiis iustæ ciuitatis instar. Fundamenta Mahomad cognomento Mirus posuit. extruxere consequentes Reges: sed gloriam perfecti operis Iuzephus cognomento Bulhagix tulit. Supra eius arcis portam in læui marmore inscriptio legitur Arabicis literis, eo Rege demonstrans fuisse perfectum opus, dedicatumque gentis anno septingentesimo quadragesimo septimo, ad nostram rationem anno Millesimo trecentesimo quadragesimo sexto. Eundem, Albaicinum in aduerso colle sitam vrbis regionem, proprio muro cinxisse constat: eo sumptu, ut arte metal la permutasse, cum opes regni non sufficerent, fama sit. Reliqua vrbis interiecta est, vicis deformis, angustis plateis, vitio gentis Mauricæ ædificandi oppida minime curiosæ. Domorum sexaginta millia complectebatur, ingens numerus, ac vix fidem facturus. illud mirabilius quod à legatis Iacobi secundi Aragonii Regis Clementi quinto Romano Pontifici, Viénenses conuentus habenti, affirmatum inuenio. Ducēta millia capitum Granatae eo tempore, numerari, vix tamen ex tanto numero quingentos ex Mauris parentibus auisq; prognatos esse: quinquaginta millia Christiana sacra eiurasse: pios ad triginta milia captiuos teneri. Illud certius, ciues in viginti tres tribus nostra ætate distinctos. de numero ciuium laborare non attinet, nihil ad liquidum fama perducitur in eo genere maxime. Ex vrbē & ex reliqua prouincia septingenta aureorum millia Mauris Regibus prouenire erant solita. Insana vectigalia erant: septimaque frugum & pecorum pars pendebatur. decedentib. sine liberis Reges heredes ex aſſe erant, cæteris pro portione quantum vnuſ ex filiorum numero. Regina cum filiis venit in castra. Quo tempore Romæ, Pompelonensis ecclesia Alfonsi Carrillii obitu vacua, Cæſari Borgiæ tunc Protonotario, deinde Cardinali pridie Idus Septembris commendata est. Ferdinando Regi animus erat, supremo abhibito conatu eam vrbem in potestatem redigere: agris identidem vastatis ciues ad extremā inopiam redigere, locis vbi castra erant ædificata vrbē cui à sancta Fide nomen fecit. Surgebat incredibili celeritate opus: breuique ad fastigium peruenit. Intra mœnia suis quæque partibus tentoria descripta, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis specie mirabili, adinstar iuste vrbis. Interim variæ manus prædatum dimisæ, cum Mauris ex vrbē egredientibus ſæpe pugnare, captis aliquando tormentis, magnoq; hostiumque numero malo compulsos in vrbem reiicere. muro succedere propius quam ante meminerant. turreſ vnam & alteram capere, earum quibus prope vrbem & speculis & munitione hostes vtebantur. Successu latoſ inopinatus casus conturbauit. Ad sextum Idus Iulii noctu in Regis tentorio incendiū excitatum, maioris periculi metum incusſit. Erant tabernacula ex ramalibus plurimum intexta. iiis aude concipientibus flammam (candela forte à Regina neglecta) repente tum prætorium tum vicina tentoria arserunt. neque fisti ignis poterat. Fraude Rex hostium id contigisse putabat. In publicum nudus prodit arrepto clypeo militari. Certe periculū erat, ne Mauri occasione captata, in nostra castra impetum facerent. Gaditanus eo metu cum equitatus parte totam noctē in armis, qua parte hostibus tranſendum erat, sustentauit. Maior turbatio, quam periculum fuit. Proxima luce populationes repetitæ: variæ etiam manus diebus consequentibus in montes missæ prædatum, nihil hosti tutum faciebant, enixe quamvis locis omnibus propugnabat, desperatione, qua nihil est acrius, faciente animos. Verum nostris nihil remittenib; Mauri malis omnibus domiti ad deditonem flexere animos. Bulcacino Mulcho vrbis Prætore in castra egresso, atque è nostris vltro citroque commeantibus Gonſaluo Fernando Corduba, & Fernando Safrá, qui Regi à secretis erat, hæ conditioſ confensu scriptæ sunt, atque vtriusque partis sacramento firmatæ, ad septimum kalendas Decembris. Intra dies sexaginta vtranque arcem, turreſ, portas Mauri traderent. Regis Ferdinandi sacramentum acciperent, in fide & potestate futuros. Christianos captiuos ſiae pretio mitterent. Dum ea effient perfecta, intra diem duodecimum obsides quingentos darent, ciuiū nobilissimorum filios. Idem possessiones retinerent, arma, equosq; tormentis modo cōtraditis, templa ex ritu gētis, patriaq; ſacra. Suis legibus viuerent iudicib. ex gēte creatis: quorū cōſilio regii Prætores iura dicerēt Mauris. Vectigalia triennio remitterētur magna ex parte: neque deinceps maiora imperarentur, quam ſuis Regib. pendere confueſſent.

consuetissent. Qui in Africam nauigare mallent, iis sua pretio vendendi facultas esset: nauigia cum fide darentur quibus ipsi portubus nominarent. Boabdili filius ac cæteri superiore tempore fidei obsides, Mocclino, vbi erant, deducti redderentur. Urbe dedita nullo amplius fidei pignore opus fore.

Tumultus in urbe concitatur. CAPUT XVII.

His conditionibus pactum foedus, hæc magna occasione disturbatum ferme est. Vulgus Maurorum maxime infidum, mobile, seditionis, quieti & otio aduersum. Maurus quidam, cuius nomen non proditur, quasi panicis actus, turbida oratione ad arma concitare populum non desistebat. In simulatione benevolentiae, prodictionem, fraudem, infidias contineri. Boabdilem & proceres nomine Mauros esse, voto cum hostib. stare. Perpetuae seruitutis iugum imponitur, adeste animis. Sed præsentes miseras & pericula ferre graue est? Animi est ista mollities, paulisper in malis tolerare non posse: minora, ac temporaria mala perpetuis, & grauioribus mutare. Quid vero ad spem affertur in uiolatos vos fore. de bonis non ago, quæ pari vanitate integra fore persuadent: nempe nouos cities alienus ager sustentabit? An ignoratis quanta vestri sanguinis hauriendi sitis sit? superiorib. bellis parentibus, propinquis magna ex parte desideratis, vindicare prætermittant? Vete ra omitto. annum iam circumuallatos & nos macerant, & ipsi non minores clades pertulerunt, circa munimenta saepe trucidati, neque magis obsidentes, quam obsecsti, nouæ urbis munitione bellum defendentes. Ferrei sint, nisi urbe dedita vestris capitib. peremptorum manibus parentarint. Quasi bestiæ cæco impetu, ac rabie concitatæ sitiunt sanguinem. Sed viri sane non sumus. alioqui mecum sustentate. Aderit numen, Mahometesque vates. responsa vetera, & siderum motus fauent fortibus, sed destituunt ignauos. At anno næ inopia premit. sed si parcitis, & quæ à priuatis recondita sunt, in commune confertis in multos dies possimus tolerare: iisque consumptis eorum corporibus, qui ad bellum inutiles sunt, famem propulsare quid vetet? Graue, inquis, & horrendum facinus. sed exemplum tamen à veteribus in simili periculo si non haberemus, institui denuo, & postea prodi pulcherrimum iudicarem. Stat sententia: si mortem recusare fas non sit, cruciatus contumeliasq; vitare. Capi, diripi, incendi patriam non videbo: matres, virginis, pueros ad stuprum & in seruitutem rapi. Idem si persuadeo corripite viri arma: foedus importunū disturbare. nec cunctatione opus est, vbi perniciosior est quies quam audacia. Hæc ardentibus oculis, vultu minaci per compita & plateas voce væcordi concionatus, virginis hominum millia ad arma concitauit. Futore & rabie, & causis incertis, eoq; difficilioribus remediis agitabantur. Boabdiles nulla iam auctoritate, ne in tanta colluizione, ludi brio haberetur, intra Alhambram arcem se tenuit. Feroce primos impetus multitudo habet: mox conquiescit, sine capite, sine viribus vano conatu. Idem sedatis tantisper animis, proxima luce in Albaicinum descendens, vbi gentis studia integra erant, consternata suorum mentes sanare contendit. Vestra inquit, causa non mea, ut quidam inuenire cuncte suspiciuntur, huc monitorem venisse, vel hæc fides sit, quod arce in nostra potestate posita, hostem aduocare nolui, vestra salute neglecta quamvis nouis iniuriis prouocatus: neque antea dum vestris viribus restitisti, dum auxilia aliunde sperasti, dum frumentum in urbe fuit, pacis constituenda vñquam auctor fui. Mittantur vetefæ. saepe à nobis pecatum esse confiteor, fide hosti habita, regno aduersus patrem sumpto: sed poenarum nihil minus datum est. Rebus desperatis foedus pepigi cum hoste, ne honestum dicam, tempore certe necessarium. Quid fanatici homines, vt pacem pulcherrime institutam euer tant afferre possint, non intelligo. Si alicunde præsidium est, pacta conuenta mecum fallite. sed si omnia sublata sunt, opes, præsidia, cōmeatus, mens propemodum ipsa: quid furore perciti, vel alieno si prouidetis, vel vestro si morem geritis in perniciem irruitis? E duobus cum necessaria sunt, minus incommodum suscipere sapientes decet. quales vos esse confiderem, nisi superior tumultus hanc opinionem debilitasset. Sed cum omnia vi etoris sint, cum necessitas urget, quidquid relinquitur pro munere habituri estis. De fide hostium non dispuo. non semel violatam fuisse confiteor. Verum fides obligatur fide. obsides exigere accipereque quid prohibeat, aut arces, aut viros principes. belli conficiendi cupidine omnia hostis dabit. Hac oratione commoti multitudinis animi conquieruntur. Sic saepe popularis tumultus non maiora remedia, quam causæ sunt. Quid Mauro multitudinis concitatori sit factum non inuenio. fuga euasisse suspicabar. Sed præterito Boabdiles periculo admonitus, interiecto dierū spatio, multa rursus nouari posse, literas continuò ad Ferdinandum Regem dat: munusq; adiicit duos equos

generosos, acinacem, ephippia. Quæ in vrbe contigerant, renuntiat celeritate opus esse, exiguam s̄epe moram magnorum motuum causam extitisse. Quod felix faustumq; esset, quando superis ea sententia staret, Alhambram proximaluce iniret. de manu se arcem regnumque vietori traditurum.

Granata capta. CAPUT XVIII.

Æ literæ ipsis Kalend. Ianuarii vertentis anni missæ in castra sunt: quibus Ferdinandus electis, quanta sit lætitia affectus diiudicare promptum est. Rebus in diem proximum comparatis, qui dies in fastis Granatensibus eius vrbis captæ memoria sacer est, veste lugubri ob Alfonsi Lusitani Principis casum, trabea repente mutata, instructas armatasque acies quasi ad pugnam in arcem vrbemq; ducit, gratum oculis spectaculum. Regina filii- que ex interuallo sequebantur: intertextis auro vestibus proceres luxu pretioq; ornatus certantes. Ea pompa apparatuq; accedenti propius arcem Regi, Boabdiles obuiam egres- sus, quinquaginta equitibus stipatus occurrit. In pedes desilire, regiamq; victoris manum deosculari prohibitus, demissis in terram oculis haud lata fronte, id modo elocutus. Tui,, Rex inuictæ sumus, tibi imperio & vrbem cedimus, vt libet moderato vt speramus, & leni, arcis claves in manum dedit, ille Reginæ, Regina filio. Ab eo Enecus Tendillæ Co- mes arcii præfectus, belloq; dux in ea prouincia futurus accepit clauibus, cum valida e- quitum manu in arcem ingressus est. subsequebatur splendidus procerum & Sacerdotum 20 ordo. In quib. Tolitanus Hispalensisque Episcopi eminebant, D. Iacobi Magister, Gadi- tanus Dux, ante omnes Ferdinandus Talauera ex Abulensi Præsule captæ vrbis designatus Archiepiscopus, sacra precatione è libris pontificalibus recitata, vt moris est, legitima ca- pientium vrbes verba nuncupauit: simul crucem, quam Tolitanus præferebat potestatis insignie, in summa turri constituit, gemino vexillo addito Regio & D. Iacobi. subsecutus est plausus, & lætitiae permixtus clamor militum & procerum. viri sacrati hymnum Deo pro diuino munere concinuerunt. Regem in genua procumbentem, atque humillimo corporis habitu gratias agentem numini, quod suo ductu dedisset gētis impie imperium, & nomen in Hispania excindi: crucemque insignem erigi, vbi diu impietas viguerat altis stabilita radicibus: atque vt ea rata, propria, fixaq; essent precantem, peracta oratione pro- ceres adierunt, gratulantesq; de nouo imperio, dextram ex ordine deosculati sunt in ge- nua procumbentes. Idem officium Reginæ, filioque Principi cum esset præstatum, peracta eitis diei pompa, post prandium, secundum vicinam vrbis portam in castra eodem or- dine reditum est. Purchenæ vallis in Contestanis paulo ante Mauris erepta Boabdili tra- dita est: vectigaliaq; designata, in Africam nauigatiro tandem, tædio vitæ priuatæ, cui im- pares Reges sunt. Quingenti captiui, vt conuenerat, libertati redditii sine pretio, habita supplicatione Regem sacrificio peracto die altero supplices adiuerunt. militibus, quod si- bi patriam, se patriæ restituissent, egere gratias: quod pro religione, pietate, Hispaniæ sa- lute, & gloria res humanis maiores confecissent, accutata oratione collaudarunt, restitu- tores, parentes, vindices nuncupantes. Vrbem ingredi non est visum, priusquam omnia 40 tuta essent, portis, turribus, propugnaculis, præsidiis occupatis. Priori persimili pompa in vrbem inuicti quarto post die, ad aras procubuere, laudes diuinæ hymnosque repetentes. Duces militeq; concelebrantes numen, quod victorias victoriis cumularet, triumphosque de hostibus Christiani nominis præberet. Ferdinandus, Isabellaque augustiores soli- to visi sunt, splendido cultu, vigenti ærate, nouo imperio, tantoq; bello confecto cōspicui parcsq; maiores conditione mortali. cælo certe dati ad salutem Hispaniæ, constituenda iudicia, quæ labefactata erant, leges sanciendas, vnde iura populis dantur, vindicandam religionem, pacem publicam fundandam domesticis externisque dissidib; sublatis: pro- ferendum imperium non in Hispania modo, sed ipso tempore ad extremas cæli oras: in- genia prouincialium ad virtutis, & eruditioñis studium excitanda, præmiis, quæ sunt 50 amplissima in Hispania, non maiorum imaginibus, neque ad cuiusquam gratiam, sed ad veram meritorum rationem tributis. Doctrinæ cultu suscepito, quantum profectum sit, explicare non est necesse. res ipsa indicat. maiori eruditioñe & sanctitate Sacerdotes & Episcopi, maiori prudentia & integritate magistratus, vbi terrarum inueniantur? Itaque ante hæc tempora paucos quosdam literarum laude præstantes numerare licet: qui de- inceps in Hispania in omni eruditioñis genere excellentes fuerint, recensere quis aude- at? Erat vtrique statura mediocris, omnibus membris æqualis & congruens, facies honesta, maiestas in vultu incoſtuque par, aspectus gratus, colorem candidum nonnulla- fuscendo

fuscedo temperabat, Regi maximè militiæ laboribus adustiori. spadicea & prolixæ cæsaries erat, barba detonsa, lata supercilia, caluum caput, os exiguum, labia rubra, dentes minuti & rari, lati humeri, erecta ceruix, vox acuta, sermo expeditus, perspicuum ingenium, iudicium gratie, mores faciles. Se adeuntib. comis clemensq; bellicis fuit iuxta ac ciuibus muneribus par: tam assiduus in negotio, vt labore refici ac reparari videretur. Corpus nullis mundiciis emollitum, sed cultu & vietū frugali & parato militare. Equos arte incitare, atq; in varios orbes flectere cum dexteritate. Iunior tesseris & alea, maior aucupio a nimum curis grauem remittere solitus. Regina præstanti formæ venustate, flulis capillis fuit, cæsiis oculis, nullo fuso mentita facie, totius oris dignitate modestiaq; singulari, reli gionis studiis dedita, atq; literarum, viri amatis sed cum zelotypia suspicionibusq;. Latinæ linguae non planè expers fuit. quo præsidio Ferdinandus caruit, nullo literarum cultu in minori ætate: cognoscendis tamen ex historia maiorum gestis, & literatorum hominum colloquiis animum oblectabat. Quo die natus est Ferdinandus (sic affirmatum inuenio) Neapoli quidam è Carmelitano ordine vir sanctus, Alfonso Regi. Hodie, inquit, in Hispania ceteriore puer tui generis est natus: cui celum noua imperia pollicetur, ingentes opes, felicitatemq; pio præ cæteris, religionisq; cultori, & amplificatori præclato. In tantis virtutibus quædam vitia inesse propemodum necesse fuit: vt nihil est in rebus humanis syn cœrum. Sed avaritiam tamen, calamitas vestigialium excusare potuit: seueritatem, temporum morumq; labes. Callido ingenio fuisse fidemq; ex commodo nonnunquam mutasse 20 externi auëtores accusant, ex fide, an ex iniuria gentis non dispuo. & solet hominum malitia virtutib. veris, vicina vitiorū nomina affingere: sicut è contratio fallunt, atq; laudātur virtus, quia virtutes imitatur. Magnos sibi principes toto orbe Christiano affinitate deuinxit, Lusitanos, Austriacos, Anglos. Plures regias propinquitate complexus est, Ferdinandi Neapolitani patruelis, Annae Britannæ, quæ Galliæ Regina fuit, tū Catharinæ Vasconum Reginæ auunculus maior. Id etiam in Ferdinandi actionib. accusatur: quod Catharinam & virum nullo consanguinitatis respectu, immensa imperati ambitione, aucto regno expulit in Galliam consequentib. annis. Sed species religionis prætentata facto est, & Romanii Pontificis iussa: vnde diuturni grauesq; motus extiterunt. Henricus Labretus his Principib. natus, paternum regnum repetiit maiori conatu quam successu. Ex hoc & Marga rita Francisci Regis Galliæ sorore, Ioanna principatus hæres nata est, Antonio Borbonio Vindomensi Duci coniux: eius Henrici mater, quem ducta Margarita trium Regū Galliæ sororé Francisci, Caroli, Henrici, proximum affinitate, proximum sanguine per viros stemmate generis continuato, peruersæ de religione opiniones, patriaq; sacra repudiata, præcipitem agunt: aliis procerib. eum negantibus imperio Gallico idoneum videri, qui prauis de religione opinionib. infestus sit: successoremq; alium nominandum esse affirmantibus, si Henricus Rex eius leuir sine prole decesserit. Eam controuersiam tempus Marte arbitro dijudicabit. Ipse portu occupato sub finem laborum vela traham: & longæ festinem scriptio finem facere. Obita à Regibus, atq; lustrata vrbe Granata, Mauri sub Chistianum imperium superis auctoribus, auspicato, in æternum, ea in Hispaniæ parte 40 concesserunt, salutis anno millesimo quadrageentesimo nonagesimo secundo, octauo Id. 1492. Ianuarii: qui dies Veneris fuit, anni Arabum octingentesimi nonagesimi septimi, mensis Rabih Haraba, dies octauus. Piis omnibus, vt Magorū memoria sacer veteri instituto celebrisq; ita recenti victoria vniuersæ Hispaniæ salutaris, faustusq; illuxit: cū sublata euer saq; impietate, superior gentis ignominia depulsa est: Hispaniæq; pars non exigua in formam prouinciarum redacta magistratus legesq; accepit. Letitiæ particeps reliquis orbis fuit. Literæ ad Innocentium Pont. Max. Regesq; datæ: ac missi qui gaudiū ingens nunciarent. Confectum Mauricum bellum, cæsos, domitosq; hostes, impositum Granatæ iugum, vrbi quondam nostrorum spoliis extructæ superbeq; ac Christo redditum tandem vniuersæ Hispaniæ imperium. Eo nuncio vrbes & prouinciarum finitimæ, longinquæ, dies festos agitare: ludos & spectacula instituere. Omne genus, ætas, ordo, conditio, templa adire, aras procumbere, vota persoluere. Romam pace ante triduum Pontificem inter & Neapolitanos Principes facta, lætam Ioannes Strada à Ferdinandō nuncius ex Hispania, ipsis Kalend. Februarii noua ea lætitia cumulauit. Supplicatione ad D. Iacobi Hispanorum ædem decreta habitaq; Regum & Hispaniæ laudes præconiis haud immeritis accommodata temporis oratione celebrata sunt:

Libri vigesimi quinti Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI,
E SOCIETATE IESV,
HISTORIÆ DE REBUS
HISPANIÆ,
LIBER XXVI.

Iudei ex Hispania pulsi. CAPUT I.



ON FECTO Granateni bello, Hispaniæ totius gloria fructuque maximo, conuulsoque in ea Maurico imperio tandem: quod multis sæculis steterat altis nixum fundamentis: 10 Ferdinandus & Isabella reges ad noua, & illustriora bella, conatusque retulerunt animos. Generosi principes & nunquam cessantes, qui dies noctesque nil cogitabant aliud, quam ad exitum qua ratione perducerent ea consilia, quæ pro pietate & vera religione suscepérat præclare: & qua via cæperant ad laudem & immortalitatem nominis peruenient. Neque verum erat pace Hispaniæ & felicitate fundata in medio ætatis cursu conquiescere, vitæ se mollis iucunditatibus dare: ac ne pati quidem, nobiles milites, quos superioribus bellis magno numero parauerant militiæ claros & fide maxime insignes, otio & voluptatibus, qui fructus victoriæ est, in patria & vmbra marcescere: sed quando in Hispania nulli hostes supererant, nulla laudis bellicæ materia, procul eos ad nouas spes tentandas amandare, longinquas subiugare nationes: vti in præsenti accidit, quo prouentu dicere non est necesse: res ipsa indicat. Ab eo enim tempore eoque aditu nomen Hispanorum eatenus ignobile, certe angustis Hispaniæ finibus inclusum, breuissimo deinceps tempore non modo Italiam, Galliam, Africamque cursu victoriarum maximo peruersit, sed ad extremos orbis terrarum fines peruenit vltra solis vias & ipsius Oceani limites. Magna rerum moles incumbit humeris, grauiusque onus quam imbecillæ nostri ingenii vires sustinere possint: pelagus immensum, quo tranando par esse quis audeat? Itaq; quod sum initio præfatus huius operis in Granateni bello resistere, neque vltra procedere de liberatum erat. Nimirum suo se quemque pede metiri neque maiora viribus conari æquum est: præter alia incommoda quæ eo loco sunt à nobis indicata. Verum ab ea sententia vt tantisper deflechterem amici fecerunt viri eruditione præstantes conuitio historiam mutilam relinquimus accusantes earum rerum explicatione sublata, ad quas lector festinare solet, minori veterum cura. Porro quæ proximis annis ab Hispanis gesta sunt propter amplitudinem rerum & gloriæ quibus iacta sunt fundamenta eius imperii, quod hodie tenet Hispania latissimum, magnam operi gratiam à fine pulcherrimo allatura contendebant scilicet. Quod negligendum præceptum non erat: sed curandum potius, vt extrema narrationis pars, quasi postremus actus fabulæ, multo quam cætera elegantior, illustriorque esset. Hæc illi afferebant viri prudentes & graues. Quid facere? quod consilium captarem potissimum? Repugnatē nihilominus? cautus essem: idem ne præfractus videret & durus cauendum erat. Obtemperarem amicè monentibus? modestiæ fortassis laudem tenerem: sed ne inconstantia vitium incurrerem, metus suberat. Quid ergo? morem eatenus gerendum duxi, vt recrätori nihilominus memoria deuitata, proximis modo annis gesta explicarem. Sic enim sine aliqua offensione cogitabam commemorari ponique in extrema historia posse ea: quæ amplitudine & gloria longe superant quæcunq; ab omni memoria à nostra gente gesta sunt: ac nescio an ab illa vnquam natione tā breui spatio res æque illustres sint perfectæ, finesque adeo imperii & famæ prolati tantopere. Verum priusquam iis rebus explicandis stilum applicamus, meminisse operæ pretium erit quod alio loco dictum est: Francisco Britanno Duci nupsisse annis superioribus Margaritam filiam Eleonoræ, quæ Regina Vasconum fuit, soror Ferdinandi Regis. Ex eo coniugio

iugio Anna & Isabella natæ sunt, nulla proles mascula. Harum virginum nuptias multi principes ambiebant, pari contentione successu vario. Annæ imprimis in paternas opes ob ætatis prærogatiuam successurae. In ea contentione Carolus octauus Gallæ rex riua-
les alios facile superabat opibus maior propinquiori principatu: præter alias necessitudi-
nes, quæ cum Armoricis Britannis erant, quippe Gallæ Regum beneficiariis. Tametsi &
ipsi Gallo Regi à superioribus annis Margarita pacta erat Maximiliani Regis Romano-
rum filia: & is Princeps post Mariæ vxoris obitum cælibe toro, sibi Atinam Britanni filiam iungere cupiebat pactis adeo puellæ patre concedente sponsalibus. Verum Gallo ne-
que vires deerant neque artes ad præoccupandum aliorum Principum conatus. Religi-
onis atque honesti exigua cura, quoniam de profetendo imperio agebatur. Sumit in Bri-
tannum arma, quasi Gallos proceres ad se configentes tegeret: ac nominatim accusa-
bat, quod Ludouicum Aurelianensem ducem sororium suum Ioanna uxore, Galli sorore
iuniore, à se alienatum ditione tectoque accepisset. Magnum videlicet crimen amituum
texisse. Carolo enim Aurelianensis, Britannus Caroli sorore Margarita nati erant. Verum
filiæ nuptias extorquere ea simulata specie fatagebat. In eo discrimine Britannus ad An-
gлиæ Germaniæque opem supplex configuit. Ac in primis Alanum Labretum, Vasconum
Regis patrem & ipsi spe facta eius coniugi à multis tantopere expediti in Hispaniam le-
gauit: qui superiori tempore Ferdinando Rege Valentia conuento, ab eo impetravit ut
classe ad Sebastiani fanum in extrema Cantabria instructa auxilia in Britanniam mitte-
ret. Classis ductor designatus Ioannes Gralla natione Catalaunus inferre, & explorare gu-
stu epulas regias solitus. Inter Gallos Britannoisque varia extitere certamina, quæ sigilla-
tim recensere operæ non est. Ad Albini fanum tandem iusto prælio est dimicatum. Vice-
re Galli. Labretus fuga evasit. Aurelianensis Grallaque capti: tum Ioannes Auraneius prin-
ceps, qui Catharina sorore Britanninatus auunculi in eo bello partes est secutus. Vix di-
midia pars Britanni exercitus superfuit: è Gallis mille ducenti cecidere nihilominus. Pu-
gnatum est mense Augusto eius seculi anno duodenagesimo. Post eam victoram in
fœdus itum est. Gallus captiuis dedit libertatem quamvis non vno tempore omnib. neq;
vna de causa. Britannus nisi consensu Galli Regis filias nuptui non daturum recepit. Id
præstit proximo anno sublatus morte. Filiarum tutelam Britaniæ Marescalo, quem im-
30 prius fidum erat expertus, moriens commendauit, ad Labreti nuptias propenso ante fec-
dus cum Gallo iustum pactas. Restitere Dunensis & Britaniæ Cancellarius ei coniugio:
ante omnes Auraneius qui propinquitate fretus virgines sorores in suam redegit potesta-
tem earum nuptias sui arbitrii facturus. Vnde noui motus extitere. Maresculus, Angliæ o-
pem implorauit, Auraneius Ferdinandi Regis. Vtrinque missæ sunt militares manus: ac
ex Hispania mille equites duce Petro Sarmento Salinarum Comite initio anni M ccccxc
in Britanniam appulere. Hispanica auxilia Britanni pleriq; habuere suspecta. Scilicet na-
tionis odio, verique ne verbo pro illis, re pro seipsis pugnarét. Sic parum profectum est.
Princeps ipsa accersa ab aliis ad Regem Romanorum erat propensa: idque iniri coniugi-
um decretum est. Sic Labretus ea spe depulsus: ac ne Isabella minoris Britanni filiæ cum
40 filio suo item minori, de quo etiam aetum erat, coniugium sperans per hoc ipsum tempus
vita functæ, dolore repulsa facile ad Gallos animum retulit. Nannetes, quæ vrbs Britan-
niæ caput in potestate erat, transitionis pignus dedit equitum magisterio illectus maxi-
me, qui honos in Gallia præcipuus & maximus mutatae fidei premium offerebatur. Ab eo
aditu cætera procliua Gallo fuere: Ferdinandus etiæ rex copias suas euocauit specie qua-
si parum proficeretur ob alienatos prouincialium animos, re quoniam in spem venerat Ru-
scinonenses & Ceretanos recipendi. Sic Galli reddituros se pollicebantur, in eo Ludoui-
ci vndecimi Regis Galli secuti voluntatem. Is enim sub mortem conscientia victus, &
Fräcisci de Paula Minimorum conditoris monitis castigatus, quem ab extrema Italia ac-
cuerat salutis à medicis desperata tutelarem, Lumbensi Episcopo & Dunensi Comiti
50 Perpinianus restituendæ negotium dederat. Verum Rege interea defuncto ab itinere re-
inficta reuoçati sunt ab iis qui ad Galliæ gubernacula patre defuncto, Rege pupillo sedeb-
ant. Hispanorum qui in Britannia erant, discessu Gallus maximam eius principatus par-
tem armis præsidiisque occupauit. Anna eius soror natu maior Borbonii vxor pro ea po-
testate quæ res omnes in Gallia ad nutum moderabatur, vt spretis nuptiis Margaritæ ob-
maturam ætatem, Annam Britannam duceret auctor fratri extitit. Hoc coniugio nobilis
principatus ad reliquam ditionem adiunctus, opesque & vires eius gentis magnum in-
crementum accepere. Prorsus vt Galli pacatis eius regni motibus, de Italia subinde cogi-
tare cæperint. In Hispania Ferdinandus & Isabella Reges bello Maurico exempti, quam
primum de pellendis vniuersa ditione Iudæis, quæ alia pestis supererat, inter se consulta-

bant. *Eo consilio Granatę, vbi morabātur, mēse Martio salutis an. M cccxcii per edictū voce præconis denunciarunt, Iudæi omnes, nisi mutarent, vti ex omni ditione discederent.* Parando exilio quatuor menses dati sunt, cum facultate eo spatio vendendi bona secumue, quo vellet asportandi. *Id edictum noua Thomæ Turrecrematæ Inquisitoris sanctione amplius est astrictum mense Aprili piis omnibus vetantis cum ea gente commercium: grauique suppicio fängentis si quis eo decurso tempore vietu aut re alia quam piam eos homines iuuaret. Sic innumera Iudæorum multitudo mari ex Hispania soluentes, tum Africam, Italiam & orientis solis oras tenuerunt: vbi in hunc diem patriam Hispanorum linguam mordicus retinent: tum plerique in Portugaliam vicinam abiere. Fe-
cit eo migrandi potestatem Ioannes eo nomine secundus Portugaliæ Rex ea tamen le-
ge, vt per capita octonus aureos singuli penderent hospitii pretium: atque intra certum
tempus rursus ex iis finibus commigrarent, captiuitatis pena proposita iis qui securus fe-
cissent. Itaque multi in seruos eo transacto tempore dati sunt: quos omnes tamen Ema-
nuel Ioannis successor, cum primum regni insulas suscepit, mitiori censura reddidit liber-
tati. *Iudæorum multitudinem, qui ex Hispania discederunt, ad certum numerum reuo-
care promptum non est.* Plerique scriptores centum & septuaginta familiarum millia ab-
iisse confirmant: quidam ad octingenta millia capita peruenisse ait. Ingens numerus, ac
vix fidem facturus. Sed vnde tamen multis occasio extitit hoc decretum accusandi gen-
tem copiosam, & quæ omnes vias pecuniæ nouerant amouere, à prudentia Ferdinandi a-
lienum existimantibus. Magno vtique compendio fructuque eorum prouinciarum, ad 20
quas copiarum Hispaniæ magnam partem, aurum, argentum, gemmas, vestemque pre-
tiosam secum detulere. Multi ex eo numero, ne patria carerent, Christo dedere nōmina,
pars synceris animis: alii simulata pietate temporis seruientes breui ad ingenium fraudes
& mendacia redierunt.*

Alexandri Sexti Pontificis electio. CAPVT II.

INterea Romæ Innocentius Pontifex decepsit ad octauum Kalendas Augusti. Patres conclavis, vbi comitia haberebantur, custodiam cum aliis Ferdinandi Hispani Regis legatis credidere. ii erant duo episcopi Asturicensis, atque Pacis Augustæ. Ignotus ille, hic 30 Bernardinus Caruallius ab his initii maiorem famam quam laudem olim consecutus. Die proximo in suffragia designando successore conuenere, diuisi studiis bifariam perti-
naci inter se certamine. Pars Juliano Rouereo adhærebat ingentis ingenii Cardinali, si minus sibi pontificatum obtineret, in Georgium Acostam Portugalie Cardinalem pro-
pensiū haud obscurè. Alii Ascanium Sfortiam Ducis Mediolanensis fratrem, & Roderi cum Borgiam Vicecancellarium sequebantur diuitiis & amplitudine senatus facile prin-
cipes. Qui plura largiri poterat, turpi, vti fama tulit, ambitu victor in ea contentione. Bor-
gia pontificatum adeptus bonis malis rationibus Alexandri sexti nomen desumpit. Mul-
tum illi Ascanii tum diligentia tum gratia & auctoritas contulit ad conciliandas collegii voluntates: eoque merito, vt merces operæ esset, Vicecancellarius continuo S. R. E. est 40 designatus. Primo dein Patrum conuentu Ioannem Borgiam Archiepiscopum Montis regalis nouus Pontifex ex sorore natum donauit purpura. Ex inuidia odioque nationis multa afficta Alejandro Pontifici crimina suspicabamur: maiora certe vero atrocioraq; prædicatione hominum esse facta. Et est vulgus ad deteriora credulitate pronum. Natus est in Hispania vrbe Valentia, pater Gotifredus Lenzolius, mater Isabella Borgia. Renun-
ciata Calixti auunculi electione, ad non dubiam purpuræ spem continuo Romam iuni-
or aduolauit. Cardinalis factus tum alia intemperantia fœdus extitit, tum iuste propemo-
dum vxoris loco & cultu habuit Zanoziam Romanam puellam: ex qua quatuor filios ge-
nuit: Petrum Ludouicum natu maximum, Césarem, Ioannem, Gotifredum, filiam vnam
nomine Lucretiam. Petrum Ganię Ducem fecit auro redemptæ, vsque adeo erat locu-
ples. thesauros ab auunculo Pontifice relictos opimis ipse sacerdotiorum vestigalib. au-
xerat. Defuncto maiori filio antequam ipse esset Pontifex prætermissoque Cæsare, vnde
illi irarum causæ, Ioannem in eo principatu substituit: deditque coniugem Mariam Ara-
goniam Alfonsi secundi Neapolitani Regis filiam notham. Vnde natus est Ioannes Fran-
cisci pater, eius quem abdicato paterno & aucto principatu nostri ordinis socium deinde
Præpositum generalem vidimus, præcipuum nostræ ætatis miraculum. Incidit Alexan-
dri Pontificis electio in tertium Idus Augusti: diadema capitii imposuit septimo Kalendas Septembris. Quo die Valentiam patriam metropolitano iure paulo ante donatam esse,
nouo ipse diplomate ratum habuit: simul eius ecclesiæ Archiepiscopum Cæsarem filium suum

suum dixit relicto illi etiam Pompelonensi Episcopatu, famæ personæque q̄tiam gerebat, nulla cura. Proximo anno duodecimo kalendas Octobris eundē in Cardinaliū collegiū cooptauit, quasi Dominici Ariniani cui Zanozia nupta erat, iustum filiū. Impotens est animus, quem ingens cupiditas deuouit, vecordia viribus armata neque pudore mouetur, neque veritatis conscientia legibus, vt ita crederetur, cautum multorum ad gratiam loquentium testimonia confirmarunt. Contra hiscere nemo Rotæ iudicū, nemo Cardinalium, cum quibus rem communicauit, ausus est. Tantam improbitatem tam perditos eius seculi mores ingemuisse orbem Christianum arbitror. Hinc vero proxima mala quibus premimur: Gotifredus minimus natu Alexandri filius, ab Alfonso Neapolitanō Rege annis consequentibus Squilatii principatu in extrema Italæ ora donatus est. vxor Sancti eius Regis filia sed ex obscura matre. Lucretia Pisauriensi regulo primū deinde Alfonso Aragonio Viselis duci eius Alfonsi Regis filio ex impari etiā matre nupsit. Atque hoc à Cæsare leuiro qui abdicata purpura, Dux Valentinus vocabatur immaniter imperfecto, postremo coniux data est Alfonso Atestino Herculis Ducis Ferrarensis filio maiori. Hoc Pontifice quatuordecim Hispani Cardinales in senatum lecti sunt: in hoc numero Bernardinus Caruatalius ardenti atque inquieto ingenio vir Asturicensis prius deinceps Pacensis, Carthaginensis, Seguntinus ac Placentinus in Hispania Episcopus. Hæc initia quanta consequentur mala? Mouebantur Vascones nunquam plane quieti. Hinc Ioannis Narbonensis Vicecomitis arma premebant: inde Lerini comitis conatus sollicitabant suis semper regibus infensi. Fortuna eorum Principum contemptui erat homini factioso & regia Aragoniæ affinitate superbo. Narbonensis quidem iniuriam sibi factam expostulabat Francisco & Catharina Gastonis fratris filii in regni eius successione deinceps prælatis: cum Gastone defuncto superstito Cleonora matre ad se qui matri propinquior quam nepotes erat, successionis ius pertinere disputaret. Lis hæc s̄æpe exagita ta, neque vñquam satis composta recurret tamen. Lerini Comes Pompeleone pridem in potestatem redacta vrbe primaria, Olitem recens aliasq; arces occupare non desistebat. Miserabilis rerum facies, fæda malorum colluuius. Ad Ferdinandum Regem Hispanum consensu decursum: vt pro ea necessitudine quæ illi cum iis regibus eaque gente erat, sua auctoritate & arbitrio eas controuersias componeret. Ille in Vicecomitis Narbonensis causa, se Regibus non defuturum indicauit quasi potioribus iure, neque passurum vt iniuria aucto regno pellerentur à patruo. Ea tunc mens fuit. Eo responso Narbonensis haudquaquam quieuit. Correptis armis in Fuxensem principatum inuasit: vbi aliquot oppidis captis, simul lite contestata Parisiensem iudicū opem implorabat, quoniam is principatus in parte Galliæ positus, Galli Regis in fide ditioneque erat. Verum fædere inter dissidentes tandem facto, tunc quidem ea cōtrouersia finem habuit rursus eruptura. De Lerini Comite consensu eorum principum sanxit Ferdinandus rex, vt quæ per vim occupabat ac Olitē nominatim restitueret. Simul Vasconum finibus perpetuo abiaret cum vxore (quamuis Ferdinandi ea soror erat) & filiis Ludouico & Ferdinando. Ofca in Basterianis data Marchionis nomine exilio solamen, amissæ patriæ nonnulla commensatio: præter alia quæ in posterum sunt promissa. Quæ omnia ad eos Reges prome rendos gentisque motus pacandos expectabant. Verum anno proximo hæ conditio nes agitatæ, non ante tertium post annum finem habuere. Ad intermissa redeat oratio.

Nauigatio ad Indos occiduos inchoatur. Cap. III.

Orbem terræ vniuersum tres in partes antiqui diuiserunt, inuentæ demum auorum cætate nouæ nationes, terrarum tractus immensi quartam adiacere: quæ reliquis omnibus magnitudine ferme par noui orbis nomen inuenit, ad quem nullæ antiquorum literæ nulla penetrarunt arma. Rem plane mirabilem, maioribus denegatam laudem, so nostris hominibus nostroque seculo seruatam, qua nihil ab omni memoria contigit in Hispania, neque ad dignitatem honestius, neque ad celebritatem illustrius, neque fructu yberiori. Id qua ratione contigerit, & quibus opibus & industria ad Indos occiduos maris Atlantici fluctibus superatis fuerit peruentum, explicandum est. Nauis quædam in Africae commercio occupata superioribus annis, ventotum violentia, abrepta ad ignotas terras & littora appulit. In redditu vectoribus & nautis fame extinctis, Nauarchus cū tribus aut quatuor sociis Maderam insulam, quæ in ditione Lusitanorum erat, tandem tenuit mortuo quam spiranti similius. Agebat forte in ea insula Christophorus Columbus natione Ligur (nam & vxorem in Lusitania duxerat) ingentis animi vir, singulari industria, quod erat præcipuum rei nauticæ imprimis peritus. Excepit is hospitio Nau-

archum: qui longinquæ nauigationis laboribus fracto corpore, breui extinctus eom-
mentaria quæ de tota nauigatione confecerat, Columbo reliquit. Quæ si vera causa fuit:
sive ex Astronomica disciplina, aut à quodam Marco Polo medico Florentino edoctus
statuit quasi rem minime dubiam, trans noti orbis terminos etiam ad occidentem so-
lem, magna terrarum spatia patere, nouas & incognitas gentes habitare lingua, moribus,
superstitionibus dissonas. Hanc sui animi cogitationem cum Lusitano Rege primum,
deinde cum Henrico septimo Angliae Rege communicauit. Somnia vtriusque affer-
re visus est. Auctoris humilitas contemnebatur, vt maxime probabilia afferret. Repul-
sus tamen non destitit non quieuit. Quin ad Ferdinandum Regem Hispanum se con-
tulit, & cum nihilo magis audiretur septennii patientia peruicit tandem, quo tempore Gra-
nata de Mauris capta est, vt tres naues regiis sumptibus instructæ eo duce experientur
an promissis responderent facta. Decem & septem millia aurei mutuo sumptu, propter
inopiam erarii bello Granatensi exhausti tantæ molitioni initium præbuere. Sic solent
ex paruis momenta maximarum rerum pendere. Instructis Columbus nauibus ad Pa-
los Bæticæ portum in Oceanum Atlanticum egressus tertio nonas Augusti passis velis
Canarias primum insulas petiit. Inde in occasum directis proris superatisque vasti pela-
gi fluctibus, cum quibus non maior illi lucta fuit quam cum sociorum contumacia &
desperatione conutio efflagitantium temerario vt incepto absisteret: neque eos in cer-
tum exitium raperet: tandem de mense Octobri insulas plures inuenit ad eius regionis
spatiosa littora quam Floridam deinde dixere. Ea & insulas Lucaias ab incolis nuncu-
patas, ipse in Regis gratiam Principis dici voluit. Dum terre eius conditionem & diuitias
explorat, atque agrestes ferosque hominum mores cicurare contendit, aliquandiu in il-
lis insulis moratus, deinde extructa arce in qua triginta octo e sociis reliquit. Diegho
Arana duce, decemque ex incolis in naues impositis rediit in Hispaniam confectæ nau-
igationis nuncius letissimus, auri & copiarum, quas ea terra fundit secum deferens spe-
cimen, atque primitias. Prouocauit is successus tum Reges tum prouinciales, vt maiori
studio in eam nauigationem incumbetent. Itaque Columbus repetitis nauigationibus
plures alias insulas, in his Hispaniolam & Cubam spatiis præ cæteris latiores, magnam-
que continentis partem explorauit, eius quod à freto Magellanico ad Boiadoris pro-
montorium, immenso mari & littorum tractu ab Antarctica ad Arcticam plagam
excurrit ultra quinque millia leucarum legentibus littora. Ad medium quidem spatum
sinuosa ea littora & exesa efficiunt, vt à portu Nominis Dei, qui ad mare nostrum est, vs-
que ad Panamam aduerso atque Austrico mari adiacentem urbem, vix decem & octo
leucas conficiant, quibus ea iter est. Vtriusque maris littora ad septentrionem longissi-
mo tractu nostrorum diligentia sunt explorata: neque haec tamen cognitum, an
occidui Indi cum orientalibus sint coniuncti: an vero supra Cataium Sinarum portum,
supraque Cipangrim aut Iaponem dirimantur freto aliquo. Obiit Columbus post annos
quatuordecim vir immortalis gloria, æterno præconio prædicandus. Viuo & mortuo ho-
nores habiti, minor meritis gratia (neque enim par merces esse poterat) dux quamuis
Beraguæ præfectus maris Indici fuerit constitutus. Nouis alii nauigationibus tum Co-
lumbo superstite, tum maxime defuncto, eius imitatione varias insulas & littora aperue-
runt ad occasum: singula recensere longum esset. Sed in hoc numero tamen Americus
Vespucius Florentinus Emanuelis Lusitani Regis auspiciis anno primum M. D. Bres-
iliam vniuersam explorauit partem haud dubium noui orbis. Tametsi inuentæ Bresilia
laudem historici Lusitani ad Petrum Aluarum Capralem ablegant, vt alio loco explicabimur. Post littora omnia ad mare nostrum decursa Vascus Nunnus Balboa Pacis Au-
gustæ ciuiis magnorum spirituum vir apprime pugnax, constans aduersus metus Isthmū,
qui castigatis immensum ab utraque parte littoribus à portu Nominis Dei ad Panamam
pertinet, primus nostroru aperuit: mareq; Antarcticum inuenit anno M. D. XI. magnæ
nostræ gentis gloria fructuque. Ex Columbi & Americi nauigationibus Castellæ & Lu-
sitaniæ regibus orta lis est. Contendebat Lusitanus ignoti orbis explorationē venia Pon-
tificum Romanorum, ac nominatim Eugenii quarti ad ipsum vniuersam pertinere. Quid
Castellæ rex in alieni iuris prouincias inuaderet? Quid nouo conatu alieni laboris & in-
dustrie fructu occuparet? Ille contra Alexandri Sexti diplomate causam tuebatur anno
M.ccccxciii. cōcedentis, vt linea cogitatione descripta per vtrumq; cæli cardinæ cen-
trum omnino leucas ultra insulas Hesperides, quæ ad viride promontorium iacent, quid-
quid terrarum ad solis occasum inueniretur, ipsi cederet, cætera Lusitano relinquētur:
quod aliquanto post nouo diplomate correxit, additis ad centum leucas priores aliis
trecentis & septuaginta, vt Bresilia recens reperta intra fines Lusitaniæ conquistationis
com-

comprehenderetur. Osorius in Emanuelis Regis vltra Olisiponis meridianum triginta sex gradus ad occasum lineam cogitatione descriptam affirmat. Omni no ex ea concordia, eaque pactione lis noua nata est apta nexaque ex priori. Malucas insulas, vnde atomata aduehunt, Castellani contendebant, intra eam orbis partem comprehendi, quæ ipsi est à Pontifice attributa. Negabant Lusitani, & per lunæ deliquia, quæ vna ratio est terræ longitudinis diuertendæ, obsetuatum aiunt, Indi fluminis ostium Olisipone distare nonaginta non amplius gradibus: inde ad meridianum qui per extremas Molucas mente designatur, duos & quadraginta gradus absolui: cui summæ si adiificantur triginta sex gradus, qui Olisipone versus occasum numerantur, vnde ea nauigatio itinero choatur, nondum subducta ratione peruenietur ad centum octoginta partes è trecen-
tis sexaginta, in quas terrarum longitudo vniuersa vulgo tribuitur. Illud constat Ferdinandum Magalianem natione Lusitanum à Rege suo alienatum quod diu in India orientali versatus & multis stipendiis factis Alfonso Alburquerque Preto paria meritis non accepisset præmia, post mortem Ferdinandi Regis catholici, Carolo eius nepoti persuasisse, Castellæ naues directis inter occasum & meridiem proris posse nouo itinere ad Malucas insulas peruenire. Opem moritis addit: datisque quinque nauibus Hispani soluit salutis anno M.D.XIX. Canarias primū insulas non deuias, tum Brasiliam petit: emensisque iis littoribus ad gradum tertium & quinquagesimum vltra mediam cæli plagam fretum inuenit, quod de eius nomine Magellanicum est dictum. In aditu eius ius freti nauis vna ad scopulos fracta est: altera tædio nauigationis obscuræ noctis tenebris tecta Hispalim rediit. Transmisso freto post multorum dierum nauigationem per mare vastissimum ad Subum tandem insulam excensione facta ducem & socios aliquot, barbari specie amicitiae fallaces conuiuio exceptos perfide peremerunt. Eorum cæde quoniam in tres naues neque nautæ neque vela sufficiebant, incensa vna nau, qui supererant, ad Molucas tandem non longe distitas peruererunt. Noua ibi laborum facies, noua discrimina. Ad Tidorem tamen vnam ex iis insulis aromata in naues impunent petitum ex iis locis specimen. Atque è duabus nauibus vna amissa, quoniam septima aquam accipiebat, quæ reliqua erat, diuerso itinere superato Bonæ spei promontorio post multa & varia discrimina Hispalim peruenit tertio anno postquam inde discesserat. Nauis Victoria Nauarchus Ioannes Sebastianus Canus Cantaber, Guetaria patria, animi constantia & inaudita felicitate pro meritus, vt nomen ipsius æternitati consecratur. Tentarunt alii consequentibus annis semel iterum, & tertio ea nauigatione ad Molucas penetrare: sed quoniam fructus labori & impensæ non respondebat, tandem destiterunt. Ac Ioannes tertius Lusitanæ Rex Carolo Cæsari trecenta quinquaginta millia aureos mutua dedit ea lege, vt à comercio Malucarum tandiu ipse & posteri abstinerent, donec ea summa cum fide reddita esset, litem pecunia diremit. Hoc tempore ea controuersia penitus sedata est, vniuersa Hispania ad vnius potestatem ditionemq; reuocata. Vltra Isthmum noui orbis ad mare Australē noua Hispania ad dextram iacet latissimis fusa spatiis, vrbsque Messicana regionis caput in palude sua humilibus cæcisque circa vadis. In ea & finitimis regionibus late imperabat Morezuma, quem Ferdinandus Cortesius anno M. D. x x. intra suum palatum viuum cœpit. Eo tamen per imprudentiam ictu lapidis à suis occiso, quos tumultuantes atque in nostros exitium parantes è fenestra prolato capite pacare volebat: pulsi prius vrbe Hispani, deinde refectis viribus reuersi vicere aduersarios. Sic latissimæ illæ prouinciæ Carolo Cæsari cesserunt. Cortesius tanto subiugato imperio immortalem sibi laudem peperit, posteris opimum principatum Vallesis Marchionibus. Ad Isthmi lœuam Franciscus Pizarrus anno M.D.XXV. Peruam inuenit, & sexto post anno capto occisoq; Atabalipa eius prouinciæ imperatore, vniuersam eiusdem Caroli Cæsaris subegit imperio, omniū, quæ repertæ sunt, venis auri & argenti beatissimam gentem, si sua nosset commoda, adeo vt domesticum omne instrumentum ollæ & caldaria & lebetes ex auro & argento conflarent. Ingens miraculum. Prædam, quam credi possit, maiorem Pizarrus cum Almagro præcipuo eius expeditionis socio non optima fide diuisit. Vnde irarum causæ & cœdes mutuæ. Sed singulis tamen gregariis militibus ex ea præda supra nouem aureorum millia obuenerunt, quanta spolia satis constabat nunquam ab vlla memoria, vllaue gente relata. Ii milites treceni circiter supra centum millia indigenas commisso prælio vicerunt gentem inermem & imbellem scilicet sudes tantum & sagittas ferentem nullo præfixas ferro. Ex copia insolentia nata superbiaque opulentie comes. Ferdinandus Francisci frater Almagrum palam hostilia molientem vi adacta peremit. Almagri ex impari Indicaque matre filius Dieghus in Francisci Pizarri ædes dato impetu eius sanguine perempti patris mani.

bus parentauit. Hunc alter Francisci frater Gonsaluu adiutorie Vaccacastrio regio deinde Prætore interfecit: & successu ac copiis elatus postea superbia, à regia auctoritate palam defecit. Verum suis & multorum opibus præualidum, tam procul ab Hispania vi opprimere difficile erat. Ad artes conuerso ingenio Petrus Galca sacerdos ad eos motus pacando missus à Carolo Imperatore in toga vicit rebelles: easque regiones motusque sumpto de præcipuis factionis capitibus suppicio pacauit. Reuersus in Hispaniam Palentino primum deinde Seguntino Episcopatu donatus ad ultimam processit etatem maiori industriae & integritatis fama, quam opibus. Ferdinandus Pizarrus è tribus fratribus diu superstes in Hispania, quo vltro venerat Almagari cædem excusatum, causam è vinculis dicere multis annis est coactus. Sic ira celestis occisi crudeliter Atabalipæ innocentis manes vta, ac per omnes domos aduersariorum vagata, nullo innoxio relicto breui tempore poenas à singulis improbabæ cupiditatis & cædis iniustæ habuit.

Ruscinonenses & Ceretani Regi Aragonio restituti. CAPUT IIII.

Ardebat Carolus octauus Rex Galliæ incredibili cupiditate Neapolitanum regnum armis occupandi suorum consiliis propter etatem imbecillitatemque obnoxius. Ad vetera iura, quæ certissima existimabat, nouæ causæ noueq; commoditates accedebant. Vires opesque ad perficiendum, quæ versabat animo, deesse non poterant florentissimum regnum possidenti viris armisque præualidum. Hęc cogitanti Regis Romanorum ira opponebatur ad priores offensiones intercepta recens sponsa Britanna, repudiataque Margarita filia denuo irritati. Simul ne à tergo eo in bello longinquō districto aliquid Rex Aragonius moueret, verendum erat patrocinio Neapolitanorum suscepto pro ea necessitudine quę illi cum iis erat sanguine iunctis: proque studio Ruscinonenses & Cæretanos, de quibus lis erat, ad veterem ditionem reuocandi. Ergo de Aragonio conciliando in fēdusque attrahendo primum actum est. Constitutum ut delecti ab vtroque Principe viri primarii ad fines vtriusque ditionis conuenientes de pacis conditionibus serio consultarent. Regi Gallo præ studio expeditionem Italicanam maturandi omnis mora longa erat: & quacunque ratione pacisci, statutum cum animo ac deliberatum habebat. Ferdinandus & Isabella Reges ne occasione deessem, quæ momento temporis præteruolat festina & præcepis, reliquo Granatę Eneco Mendoza Tendillię Comite, quem Alhambræ arcipræfuerat, bello ea parte ducem, in Aragoniam festinare constituunt. Eo consilio Iunii mensis initio in viam se dant. Sequebantur filius & princeps & filię, splendidus procerum numerus. Borgiam ventum ad confines Vasconum & Aragoniæ: quo vrbium sociates ante aliquot annos ad prohibenda scelera institutas venire iussérat gestæ reipublicæ rationem reddituras. Eo conuentu soluto Cæsaraugustam festinatum est. In ea vrbe, ne vrbani magistratus ciuium suffragio, yt facere consueuerant, sed nominatione Regis deinde legerentur nouo decreto cautum, quod non diu stetit. Antiquis homines stare malunt, vt maxime v̄sus manifeste arguat quam nouis institutis, præsertim iis quibus ius libertatis minui videtur. Barcinonem tandem mense Octobri est peruenit. In ea vrbe atrox facinus in Regem nihil minus cogitantem commisum est. Consueuerat singulis hebdomadis stato die publice omnibus se adeuntibus aures dare, vindicare iniuria oppressos. Ad septimum Idus Decembres die Veneris diutius solito in ea auditione moratum cquo cænatione egredientem proditionis securum Ioannes Canamarius natione Catalaunica Remensæ natus nemine eorum, qui aderant, considerante proprius accedens districto repente gladio securū sub aure vulnerauit. Atrocitemeritate commoti aulici, conturbata ciuitas, pro eo ac par erat, de conscelerato homine quæstiōne tormentis habita cognouerunt, nullo auctore nullo socio tantum flagitiū designasse. Sed furore percitum per quietem somniasse Rege imperfecto fore successorem. Eare & quoniam leue vulnus fuit concepta animis molestia est mitigata. Neq; tamen excusatio valuit, quo minus fanaticus homo exquisitis crucitatibus perimeretur. laniato occiso que corpori ignis à victimariis subiectus. Agebatur interim de fæderis inter duos Reges faciendi conditionibus. Conuenere ab vtraq; parte legati viri primarii pro Gallo Ludouicus Amboesa Albigenensis Episcopus, pro Aragonio Ioannes Coloma, ipsi à commentariis. Ad Figueras oppidum in finibus Ruscinonensium & Emporitanorum de conditionibus coram disceptatum est primum, deinde Narbone. In ea vrbe ad 1493. quintū decimū kal. Februarii anno M.cccc.xc.iiii. consensu hæ conditiones sanctæ sunt. Pax Regib. Gallo & Hispano esto fēdusq; aduersus omnes principes vno excepto Pontifice Romano. Filias ne Ferdinandus rex cuiq; principi iungito nisi ex Galli regis voluntate rusci-

Ruscinonenses & Ceretani ad Aragonium imperium ditionemque redeunto detractis inde præsidiis Gallicis. Eo beneficio habere sibi Gallus Hispanos obstrictos volebat: quod aliquot menses dilatum est priusquam ea redderetur oppida. In rebus magnis nouæ identidem suboriuntur difficultates: ægreque homines imperii antiqua possessione decedunt. Supererat Maximilianus Rex Romanorum: cum quo post multas quidē difficultates fædus item est factum. Margarita filia restituta, quæ eatenus in Gallia erat, cum dote Artesia comitatu, certaque spe Burgundia etiam reddendæ de quo principatu à Gallis per vim antea occupato maior lis erat, retractata sæpe neq; ad hanc diem composita. Hoc fædus ipso tempore sancitum est, quo Fridericus Cæsar grauis annis vix 10 trahebat animā, ætate & laborib. fracto corpore ac nup enato Carcinomate noxio; q; ne latius serperet, crus alterum est præcisum. Vim doloris sénex sustinere non potuit. Subsecuta continuo mors est ad quartum decimum kalendas Septembres. Eius obitu imperium Romanum, aliquie defuncti auti principatus in Maximilianum filium, vt opus erat, translati sunt iam Regem Romanorum cui Ludouicus Bari dux Ioannis Galeatii du-
cis Mediolanensis patruus illius sororem Blancam Mariam toro iungere parabat. Dotis nomine quadringenta aureorum millia oblata: ea vtrumque lege, vt pro ea auctoritate qua fungebatur, Mediolanensem principatum imperatorum beneficium ipsi donaret iure quoque optimo possidendum fruendumque. Immane facinus, diram dominandi cupiditatem: eo amplius quod summę pacte vadem dedit Ioannem ipsum Gale-
20 aciū, in quem eae machinationes comparabantur. Vnius hominis ambitio quantitas procellas concitat. Iniquissimæ pactionis species erat: quod neque Franciscus Sforzia neque eius filius Galeacius vñquam eas tabulas ab imperatore impetrassent. Eoque eum principatum quasi legitimo possessore vacuum, & ad imperii ius reuocatum dari denuo pluris licitanti posset. In Aragonia & Catalunis moram trahebat Ferdinandus quorū euaderent Gallorum promissa expectans. Ita mense tandem Septembri Ruscinonenses & Ceretani restituti sunt Aragonio imperio, Gallicis præsidiis ex omnibus arcibus vt pacti erant, detractis. Quam liberalitatem omnes admirati sunt: Historici ac præsertim Gallici sine fine vituperant, dum maiora incerta spe captant, opimos principatus reliquisse, ac tamidem amissile vtraque ex euentu nimirum, vt vulgo fit, de consiliis Prin-
30 cipum temere pronunciantes. Plerique Albigensem Episcopum auro Hispano corrutum sugillant vero an falso dicere non possum, confictum suspicabar.

Militarium ordinum magisteria Ferdinando Regi data. C A P. V.

VNO tempore Ruscinonenses & Ceretani Aragonio imperio sunt redditii: & in aduersa extremaque Hispania Gadeis insula ad Castellæ Regum ditionem rediit angusta quidem spatiis, agri tamen omni fertilitate feracis & amœni, commercio externarum gentium propter portus celeberrimi commoditatem frequens & cōpiosa cum primis. Henricus quartus Castellæ Rex quia in cæteris profusione eam Ioanni Pontio Leoni 40 Atcobrigæ Comiti Marchionis Gaditani nomine dono dederat: quod posteti retractarent. Eo enim defuncto aliquot mensibus postquam Granata capta est, Roderico Pontio eius nepoti, qui in auitas opes successit, Regum iussu detracta est, & ad regiam ditionem restituta. Datum tamen oppidum Casares in Africa, tum Comitis Arcobrigæ nomen ducis appellatione est mutatum, leuis vtraque ablati eius principatus compensatio. Sed Regum imperium ferendum est quamuis graue. Illud sine inuidia, quod Palma insula vna è Fortunatis Alfonsi Luci virtute & ductu, Regum Castellæ auspiciis & sumptu domita subditaque est. Nihil tamen ad memoriam præclarious in huic annum incidit ea mutatione, quæ in tribus sacris militaribus Castellæ ordinibus facta est. Multum ii milites iuuerat Mauris ex vniuersa Hispania deturbādis impio imperio euertēdo, gene-
50 nere & factis nobilissimi, strenui, pugnaces. Confecto Granensi bello, cū parū iam terroris ab hoste esset, pro gratia odiū redditū. Dolebant Reges ab eorū potestate Magistros eorū ordinum esse liberos, iis opibus eaque auctoritate vt Regibus formidabiles essent, tumultus & bella sæpe in prouincia concitarent. Ea species facto est pretenta, vera an conficta non disputamus. Certe in comitiis non lex & æquitas sæpe valebant: sed vis & ambitus. Itaque ab Innocentio octauo diploma est ablatum, quo sublatis Magistris eorum ordinum administratio procuratioque omnis Regibus credebatur. Sic Garsia Padilla defuncto ante sex ferme annos Calatravæ Magistro, eius locum Ferdinandus Rex occupauit nullo amplius militum suffragio, vt moris erat, Magistro substituto. Quod exemplum ad diui Iacobi ordinem manauit hoc anno Alfonso Cardona

eius militiae magistro defuncto. Et ut finis esset, proximo anno à Ioanne Stunica Alcántaræ Magistro impetratum est, vt eum honorem in Regis gratiam Hispalensi Pontificatu mutaret. Accessit eidem post aliquot annos purpura Pontificis dono Regis auctoritate & gratia. Sic Regi tres illi ordines cesserunt vt dum vita maneret, eorum ditionem & opes ipse procuraret. Alexander Pontifex ad Innocentii veniam adiecit porro in ea administratione Reginam sociam cum iure succedendi, si quid viro humanus contigisset. Postremo Hadrianus sextus in gratiam Caroli alumni, cui debebat pontificatum, ei & successoribus concessit lege perpetua ius præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui ante ad eorum supplicationem precario à Pontificibus Romanis instituebantur. Et ut eos ordines in omne tempus ipsi administrarent, liberalitas quam nulla posteritas taceat, cuncti admirantur, nemo retrectet. Ioannis Stunicę iam Cardinalis in familiam ascriptus fuit Antonius Nebrisensis immortalis laude vir, eique dictiorum Latino Hispanum nuncupauit, eruditione & ob restitutam in Hispaniam Latinam linguam barbarie profligata premeritus vt nomen eius Historiis Hispaniæ inseratur; sed & multorum librorum editione: in quibus de belli Granatensi & Vasconum commentaria confecit atque reliquit, aliquanto quidem maiori diligentia & fide quam dictio elegantia. Multis procerum funeribus hic annus insignis fuit. Decessere præter Marchionem Gaditanum, & diui Iacobi Magistrum, Henricus Gusmaniū Asidonię dux, Petrus Fernandus Velascus magister equitum in Castella. tum Petrus Henricus Bēticę Antelatus, successore filii parentibus Asidonię duci Ioannes Gusmaniū, Magistro equitum Bernardinus Velascus: cui nupsit Ioanna Aragonia Ferdinandi Regis filia notha. Ex hoc coniugio nulla mascula proles sed filia tantum Iuliana nomine suscepta est, de qua rursus mentio redibit.

Belli Neapolitani causa.

C A P V T VI.

Quiscebat Italia viris, opibus & fama florens. Italis Principibus inter se & cum liberis ciuitatibus qua iunctis sanguine, qua multiplici deuinctis fædere. Cum repente periculum & graue bellum, vnde minime putabatur, exortum est. Neapolitana expeditione suscepta qua nihil per hæc tempora illustrius extitit maiorique fama, Carolus octauus Galliæ rex Italicas rationes atque adeo vniuersæ Europæ tranquillitatem vehementer conturbauit: Tanti mali origines & prima initia explicare, operæ pretium erit. Vrbanus sextus Carolum Dirrachii Principem ex Hungaria euocarat olim aduersus Ioannam Neapolitanam Reginam Clementi septimo eius èmulo, vt in nomen Pontificatus inuaderet, auctorem præcipuam, quo facto ecclesia pax turbata est vniuersus orbis Christianus scissus in partes. Ludouicum illa Andegauensem Ioannis Regis Galli minorem filium, quem opponeret aduersario ex Gallia operæ amplio præmio excitum successorem adoptauit. Frustra is conatus fuit, vita & regno Regina spoliata. Ludouici filius item Ludouicus cum Ladislao Caroli filio Neapolitano Rege bellum gessit, nihilo tamen meliori euentu quam pater. Nepos item Ludouicus à Martino quinto Pontifice euocatus aduersus Ioannam Ladislai sororem Reginam etiam Neapolitanam haud maiori quam superior pudicitia laude, Alfonsum Aragonium Regem eaad depellendam tempestatem adoptatum, deinde ob enatas suspiciones rescissa ad optione abdicatum expulit in Hispaniam. Ludouico tertio sine prole defuncto renatus frater successit: cum quo Alfonsus conuersa fortuna diu bellum gessit extincta iam Neapolitana regina in Galliamque redire compulit. Renati filius Ioannes Lotaringius Ferdinandum Alfonsi filium bello fatigauit eo quod à proceribus Neapolitanis est concitatum eorum dux. Vixit tamen atque ex Italia deturbatus non quietuit. Quin bello Catalaunico aduersus Ioannem Alfonsi fratrem regem Aragonium è rebellibus ducem præbuit: coque Barcinone in ipso belli ardore extincto Carolus Renato patruo successit. Hic testamento hæredem scripsit Ludouicum undecimum Galliæ regem, quoniam in Renato Lotaringio Renati Andegauensis ex filia nepote propinquo suo ad euerendas Aragonias opes Neapolitanū regnum occupandū, cuius rei prima cura erat, impares vires fore prouidebat. Belli Neapolitani hæc prima origo extitit. Accessit altera Galeacio duce Mediolanensi à suis occiso, vt est superius indicatum, Ludouicus Sfortia dux Barensis ob teneram ætatem Ioannis Galeacii, qui extinti fratris filius erat Mediolanensis principatus procriptionem arripuit aperte sa-
gax & cautus. Habebat is in matrimonio Beatricem Herculis Ducis Ferrariensis fo-
torem.

forem. Alfonsus quoque Calabriæ dux Ferdinandi Neapolitani Regis filius Hippolytam duxerat Sfortiam Galeacii & Ludouici sororem: vnde Ferdinandus & Isabella sunt nati Ferdinando quidem auitum atque paternum regnum post aui fata & parentis abdicationem obuenit: Isabella autem Ioanni Galeacio duci Mediolanensi data est coniux. Hæc geminæ iam prolis mater facta; iniuriæ impatientia virili animo fœmina patri auctor extitit; vt Ludouico patruo euerso, qui haud obscuro suo quam alieno nomine dominari malebat; principem generum in maiorum opes reponeret: eam ignominiam diutius in Aragonia gente hærere nefas esse: Non deesse ciuium studia cum occasione eruptura haud dubium. tantum se viros esse ostendebant iis maioribus ea nobilitate sensit Ludoticus tempestatem, quæ in eius caput parabatur. Ad artes conuerso ingenio, quoniam viribus par non erat, Carolum octauum Galliæ Regem iuuenta ferocem gloriæ cupidum, in arma promptum, magnis pollicitis & certa victoris spe, aduersus Neapolitanos Principes armavit. Venisse tempus vindicandi iniurias, quæ ab Aragoniis extabant repetendi antiqua iura nobilissimo principatu occupato. Eos conatus Stephanus Belcarius ei Regi in primis carus, quippe à pueritia nutritius omniumque adeo arcanorum non particeps modo, sed moderator & arbiter, & Guillelmus Brissonetus ærario præfectus Maclouiensis Episcopus homocopiosus iuuabant. Accedebant plerique Neapolitani proceres ob fœnitiam Ferdinandi Regis extores patria. In eo numero Antonelus & Bernardinus Sanseverini Salerni & Brisiniani Principes finem malis & exilio exoptantes, incensum Regis animum quasi nouis facibus admotis ad eam expeditionem instigare non desistebant. Eo ardenter studio quæ in Gallia initio quamvis benigne accepti, parca deinde manu adiuti yri Comineus ait, multa ea nobilitate indigna patiebantur haud idoneis in alimenta vestigalibus datis. Ergo inopiæ malo & moræ impatientia adacti, seque in omnes partes versantes, vnde spes aliqua proponebatur pristinarum opum, Ferdinandi item Aragonio Regi, Neapolitanum regnum obtulerunt, de alieno munifici scilicet vitium natalium in Neapolitano Rege accusantes. Verum is cautior eos proceres vindictæ tantum cupiditate incitari nulla æquitatis cura intelligens, eoque continuo daturos vela vnde melior spes affulgeret patriæ recuperandæ & auitos principatus, eorum pollicitis surdas aures præbuit. Ac illud potius deliberatum habebat, quæcumque ratione posset, subleuandi Neapolitanos, Regem Gallum ab eo consilio deducere Italiae bello vexandæ. Quod erat plane difficile, longius prouectis rebus omnibus & apparatu bellico, quam ut resistere possent. Sic ab utraque parte præsidia conquisita diligenter sunt concordia spe sublata. Ludouicus Sfortia cæteros Italiæ principes sibi & cum Gallo fædere conciliare, auxilia vndique comparare. Vni Florentini ex vniuersa Italia à Ludouici consiliis auersi initio quidem ab Aragoniis steterunt. Veneti, vti facere consueuerunt, quorsum eç molitiones euaderent exspectare decreuerunt belli spectatores potius quam pars, ex euentu consilium capere ut res se darent. Alexander Pontifex, tametsi initio se auersum ab Aragoniis ostendit, mox spe facta filios in Neapolitano regno nouis principatibus augendi, ad hæc annua ipsi pensione promissa, mutata voluntate ad eos inclinare constituit, vnde maiora beneficia extabant proxima spes ostendebatur maioris utilitatis. Honestatem respexisse non arbitror. Ipsi Neapolitani principes haudquaquam se in periculo deseruere quos poterant omnes ad communicandas opes sollicitarunt communipatriæ opitulandum. Excitato simul incendio cunctorum opes arsuras. Ac in primis ad Ferdinandum Aragonium legauit, qui eorum nomine omnibus precibus patrocinium imploraret. Debere eum & patruelis & regis & sororii periculo moueri, eiusque calamitatem suam ducre. Quod si iura propinquitatis & amicitiae parum valerent, Siculis faltem rationibus moueretur, quæ Neapolitano principatu à Gallis euerso in manifestum periculum veniebant. Rebus integris succurreret, perditis inanem, certe intempestiuam opem fore. Cupiebat Ferdinandus Aragonios principes propinquos & necessarios periculo eripere, vera esse, quæ prædicabant, non ignorabat, memoria tamen recentis fæderis & sacramenti religione detinebatur, ne in Gallum arma sumeret. Ac in præsenti satis habuit Garsiam Lassum prudentia iuxta & nobilitate virum conspicuum, facundum, callidum, audacem Romam legare, qui Pontificem in voluntate & sententia confirmaret tegendi Neapolitanos. Simul Alfonsum Siluam Cifontani fratrem, Calatrauæ Clauigerum misit in Galliam, vt cum Regem à consilio inuadendi Neapolim deduceret: sin minus admoneret principum eorum res sibi curæ fore, consanguinitatis & necessitudinum, quæ cum iis erant

iura postulare, ne iniuria opprimi pateretur. Hæc omnia ineunte salutis anno M.
1494. ccccxciv gesta sunt. Quo tempore Ferdinandus & Isabella reges qui eatenus in Ara-
 gona substiterant, Cæsaraugusta profecti Tordesillam abierunt. Inde Vallisoletum &
 Medinam Campestrem. In eo municipio est allatum Ferdinandum Regem Neapolita-
 num obiisse diem. Decessit ad octauum kalendas Februarii annis grauis de belli euentu
 sollicitus & periculo, quod ingenii ipse sequitia fecerat. Eo felix tamen ut in malis quod
 regni paulo ante sua & patris industria florentissimi euersas opes non vidit. Opportuna
 mors exitio domus eripuit. Successit Alfonsus extincti filius ciuibus nihilo gravior quam
 pater. Coronam capiti imposuit Ioannes Borgia Cardinalis ab auunculo Pontifice ea
 caussa Neapolim legatus. Castellæ item Regibus ab Alexandro Pontifice exemplo **10**
 maiorum datum est, vt decumarum ecclesiasticarum tertiam non modo in Castella &
 Legione, sed etiam in nouo Granatensi regno verterent in usus belli Maurici. Torde-
 sillæ magna contentioue viri delecti fines vtriusque nauigationis Indicæ designabant
 occiduæ & ad orientem. Consensu tandem ad septimum Idus Iunii decretum est, vt
 triginta sex gradus ultra Olisiponis meridianum nauigatio occidua Castellæ, inde et-
 iam Lusitanica sed versus orientem inchoaretur. Et quoniam de Africa haud multo
 minor inter eos Reges disceptatioerat: per idem tempus ut Pluthense regnum Lusitanis
 armis cederet, Trencsenium Castellæ conquisitionis haberetur constitutum est spaciis
 ad vtrumq; mare Mediterraneum & Oceanum extensum nulla designatione tunc limi-
 tum accuriori, vnde nouæ controuersiæ deinde extiterunt. **20**

Rex Gallæ Neapolitanum regnum occupauit.

C A P V T VII.

Ingenti delectu Rex Gallus vires imperii & copias vniuersas in vnum conferre, cer-
 tus in Italiam primo quoque tempore transmittere belli dux. Apparatu vniuerso se-
 des Lugdunum delecta est ciuitas ampla lautaque. Alpes vicinæ qua transitus erat
 infesto rigore & æternis pressæ niuibus in celum surgentes. Eo Julianus Ruuercus
 Cardinalis sancti Petri ostia digressus vbi se tenuerat infensi metu Pontificis accu-
 rit expeditionis instigator & particeps. Contra Alfonsus Silua, vti erat iussum, eum
 Regem obtestari quotidiano contuicio, vti desisteret tranquillum Italij statum solici-
 tare, quod nationes alias in partes traheret. Intempestiæ eæ voces accidebant at-
 que auribus ingratæ in eum statum perductæ, vnde regredi sine ignominia non lice-
 ret. Itaque Rex Gallus Petro Borbonio sororio suo in Gallia relicto, qui rebus se ab-
 sente præcesset, ex ea vrbe cum copiis omnibus mouit die Martis ad decimum kalendas
 Iulii, lequebatur Regem Gallæ nobilitas vniuersa viginti millia pedites, equites ad quin-
 que millia inuictum copiarum robur. Pecunia in stipendum quærenda erat, mutua
 à proceribus sumpta: à Genuensi mensario præterea centum quinquaginta Francorum
 millia. Sed quantulum id erat tanto bello perficiendo; cælestes quibus fauent, iis o-
 mnia prona faciunt, ardua aduersariis sicut in præsenti accidit. Alfonsus Neapolita-
 nus rex ad occupandos Galli conatus, bellumque procul à finibus remouendum claf-
 se valida instructa misit Fridericum fratrem in Ligures, vt Genuensium ditionem &
 littora vastaret: eamque vrbum deduceret à Ludouici Sfortiæ hostis imperio. Si-
 mul Ferdinandum filium Calabriæ ducem magnæ spei iuuensem cum validis copiis ter-
 ra misit, vt Mediolanenses fines inuaderet bello illato. Prudenter destinata vis altior
 euertit. Fridericus mari parum præstitit, post Macram amnem quo ab Hetruria Ligures
 dirimuntur, gemini deinceps sinus neque vasti neque angusti panduntur. Ac in
 priori quidem Ericis portus occurrit nunc Lerice, exaduersum Lunæ seu Veneris tum
 promontorium tum portus ab insula quondam Veneri sacra proxime obiecta ea appella-
 tione desumpta. In medio sinu Spedia est ad mare generoso vino nobile oppidum.
 Posterioris sinus ad fines extremos inde vrbs Segesta Tiguliorum est, hinc Delphini
 portus, nunc Portosinus. In sinus dorso Rapallū Genua viginti non amplius millib. iacet
 parum ea tempestate munitum oppidum. Classe Fridericus in ea littora delatus ten-
 tato frustra Veneris portu, inde repulsus Rapallum cepit. Diuturna possessio non
 fuit. Genuensium & Heluetiorum accusu receptum est oppidum, atque præsidariis
 male mulctatis, retro se cum ignominia damnoque Neapolitana classis retulit. Sic ma-
 tri res erant. Terra Ferdinandum Calabriæ ducem Gallij & Mediolanenses copiæ
 Obenigno ductore præcipuo obuiam factæ, ne ultra Flaminiam procederet, ac vero
 vt retro flecteret iter, coegerunt. Romam abiit si quid opis in Pontifice esset ad-
 uersus. **50**

tversus imminentem vndique tempestatem. Rex Gallus continuato itinere superatis Alpium Coctiarum iugis Astam tandem peruenit ad quintum Idus Septembris. Ea vrbis Aurelianensis ditione tenebatur. Regem cum cæteris ad id bellum sequuti, certa spe totius Mediolanensis principatus occupandi iniuria vti præ se ferebat, ab Sfortiis occupati vindicaturus, si qua se rebus turbatis occasio daret. noua ex eo tela dissensionum texebatur. In eo exercitu legatus Hispanus profecto magnis oculis visebatur. Multa indigna persona, quam gerebat, pati potro necesse erat, quæ vir prudens alta dissimulatione deuorabat, dum ne officio decesset. Eo tamen Galli ardenti ingenio gens sunt progressi, vt Vienæ discedere è Galilia iuberent. Astæ etiam nullum regii metatores hospitium designarent. Sic necessario ex ea vrbe profectus Genuam abiit Ligurię caput. Tædere iam Ludouicum Sfortiam cæperat consilii suscepti Gallos in Italiam pertrahendi communī incendio ne ipse quoque inuolueretur veritus non sine causa. Cum eo Alfonsus Silua per litteras egit, vt rupto Gallico fædere ad Aragonias partes fædusque transiret. Suadere facile fuit tum mutanti cum spe iniecta regiæ affinitatis Ferdinandi regis filia illius filio maiori iuncta coniugio. Honestissima is conditione illectus viro alioqui animo vastus & immodicus ex eo tempore mutare constituit. Astam tamen se contulit ob Regis Galli aduentum simulata letitia pectorē anxiō: cique pecuniam in stipendum militare continuo nuthorauit ex fædere certe debitam. Eo subsidio 20 Gallus & Ludouico Aurelianensi Astæ relicto ad spem occupandi vniuersum principatum Mediolanensem cui imminebat, cum copiis Ticinum castra promovit. In ea vrbe Ioannem Galleacum ducis Mediolanensis nomen & umbram agentem animam ex diurno morbo tabeque inuisit, officium humanitati debitum & propinquitatē; quippe è duabus sororibus Ludouico Duce Sabaudo genitis etant nati. Rege Placentiam versus digresso dux decessit ad duodecimum kalendas Novembris lento, vti creditum est & multa testabantur signa veneno sensim venis illapso consumptis vitalibus. Quæ fama seu vera seu falsa extitit, in sanum quantam Ludouico patruo inuidiam conciliauit, ad arreptum principatum vitam quoque crudeliter abstulisse cunctis videlicet detestantibus. Ipso die, quo is Princeps defunctus est, Placentiam Rex Gallus peruenit, deducente Ludouico Sfortia honori id datum. Ex ea vrbe cognita ducis morte continuo Mediolanum aduolauit: seque eius verbis ducem dixit solemini ceremonia plausuque gentis in adulationem Principum pronæ. Tametsi defunctus princeps quinquennem filium reliquerat Franciscum nomine in spem aucti principatus suscepsum duas filias, præterea vxorem prægnantem. Diram dominandi cupiditatem, quæ omnia humanitatis & modestiæ iura subuertis nulla famæ memoria, nulla honestatis. Quin eodem die tum ad alios tum ad Alfonsum Neapolitanum Regem litteras dedit; quibus generi principis obitum renunciabat. Se summa procerum & populi voluntate producem salutatum. Non dubitare id ipsi gratum fore häud ignaro qua voluntate & studio eius salutem, atque totius regni incolumentem esset curaturus. Ludibriū ipsa iniuria multo tristius. Sic ludunt homines callidi in aliena calamitate. Placentia Gallus in Hetruriam abiit. Confluebant vndique legati de aduentu in Italiam gratulatum, amicitiam & pacem oratum. Ante alias Veneti suos oratores destinarunt, maiestati debitum officium. Senensis etiam Cardinalis à Pontifice legatus Pisas appulit, sed Regis conueniendi denegata facultate propter auunculi Pontificis memoriam quandam ad Aragonios propensi irrita legatione discessit. Florentini senatus princeps Petrus Medices obuiam Gallo progressus, à quo se auersum ostenderat, eius promerendi placandique præcipiti cupiditate arces quinque firmissimas tradidit in Apenini iugis. Ex fuerunt Seresana, Seresanola, & Petra sancta olim fanum Feroniæ. præterea Pisana & quinta Liburni prope Arni fluminis ostium, qua parte mittit in mare Mediterraneum, Labronæ olim statio; tanta ex ea re indignatione populi Florentini, præsertim cum demandatē potestatis fines esset prætergressus, & maiorum modestiæ oblitus videretur moribus aliis, vt eo & fratribus Ioanne Cardinali & Juliano exilio mulctatis ædes etiam diripuerint, geminas, vestem pretiosam, aurum, argentum, immensas opes multos congregatas per annos: quæ auferri non poterant, publicarint. Pisis Rex aliquot dies substitit: vrbe quondam cum opum amplitudine, tum rei naualis gloria inter cæteros Italiæ populos clarissima: eorumque ciuium precebus libertatem dedit à Florentinorum imperio. Quantas ea indulgentia calamitates afferret, quantas clades, populo velut ex diutina siti nimis audie hauriente liber-

tatem? Sic vota hominum in contrarium vertuntur. Inde digressus Florentiam iniit, quo die Picus Mirandula in ea decessit è vita quatuor & triginta natus annos rarum ingenii atque eruditionis lumen, Phænicis ex eo cognomen consecutus. Actum cum Florentinis ciuibus defædere. Conuenit inter eos vti peracto bello Rex arcæ redderet, neque Mediceos vñquam restitueret in patriam. In stipendum ciues publice centum & viginti florenorū millia numerarent. Estuabat Roma inter metum & spem suspensis omnium animis. Cardinales & proceres studiis discrepabant. Gallicas partes Columnii sequebantur Prosper & Fabricius. Neapolitanas cum familia Virginius Vrsinus homo præpotens & factiosus. Columnii adiuncto Ascanio Sforzia Cardinali Ostiam occupauerant: prohibitisque ex mari subiectionibus, vnde plurimum Roma alitur, non secus ac si hostis pro portis esset angustia annonæ erat. Persuasum vulgo Pontifici decretum esse cum Gallo pacisci, aut si minus id contingenter vrbe deserta migrare alio. Ea noua turbarum populo occasio extitit. Pontifex ad pellendum eum metum sedandumque tumultum in conuentu publico Cardinalibus & nobilitati obtestatur: sibi stare sententiam in ea controuersia, causa æquitatem sectari nulla personarum ratione habita. quod si Gallus in urbem irrumperet, omnibus viribus obſistere: ac vero si res ferrent sanguinem pro officio vitamque profundere. Magnificis promissis parum naouebatur populus, obſtabat metus. alii super alios aduentare Regem iamque affore nunciabant. Pontificiæ ditionis oppida indies à Gallicis copiis occupari. Itaque Pontifex ipse, neque suis neque Neapolitanis viribus parem se fore hosti præualido confidens, ex vrbe dimisso Ferdinando Calabriæ duce, qui in suburbio tendebat cum copiis rebus præſidium, in molem Hadriani firmissimam arcem se recepit. Ne ludibrio sacrosancta maiestas in ea colluuiione effet, prouidebatur. Denique Rex cum omnibus copiis Flumentana porta Romam iniit pridie kalendas Ianuarii ineunte anno M. cccc. xcv. inter ingentes populi plausus, faustasque voces & certantia multitudinis vota, sed & Cardinales quidam eius aduentum haud obscuris lætitiae signis concelebrarunt, sic ad diui Marci deductus est ex lapidibus amphitheatri à Paulo secundo Pontifice constitutum palatum elegantia visitudine & amplitudine. Hæc Romæ. In Hispaniæ vrbe Caraca Petrus Gonsaluu Mendoza Cardinalis obiit tertio Idus Ianuarii vir pari nobilitate & prudenter repulica administranda magna per totam vitam auctoritate. Cupiditatibus non satis impetravit inter obsequia fortunę, contra quam non satis causa est humana imbecillitas. Vacuam eius obitu Toletanam ecclesiam Franciscus Semenus Cisnerius è Franciscano ordine tenuit maiori spiritu vir, quam pro humili fortuna, in qua natus atque educatus est. In omne argumentum sanctimoniarum grauitatisque compitus: atque eo tempore Reginæ Isabellæ à confessionibus. Accessit deinde purpuræ rebus gestis & pro meritis debitus honos. Magnum rex Gallus suo in urbem aduentu terrorem commouerat. Actum defedere inter eum & Pontificem. Annentibus viris primariis sancticitur; vti Valentie Cardinalis regia castra sequeretur obſidis loco legati nomine. Gemes Turcæ frater in eius potestatem traderetur idoneus rebus in Oriente turbandis, quoniam de bello Turcico cogitabant Galli. Præterea arces vrbis veteris Terracine & Spoleti dum bellum maneret. Quo confecto non eas modo restitueret Rex sed etiam Ostiam; ac vero Pontificem præſens veneraretur obsequiumque de more deferret, vti paulo post fecit ad D. Petri. Multum consultit ad fœderis conditiones constituendas purpura per eos dies Brissoneto Episcopo Maclouensi à Pontifice data. Fædere facto Gallus ad quintum kalendas Februarii Roma discessit petiturus Neapolim. Copiarum pars in Præcutinos Aprutiumque missa est ductore præcipuo Fabricio Columna. Ibi omnia prona fuere vrbs Aquila co tractu multaque alia oppida vltro in gallicam ditionem venere. Interea Ferdinandus rex cognitis rebus quæ in Italia gerebantur, Gallum aduersus Neapolitanos principes festinare, ac pro eo studio Pontificis maiestatem contemptui habitam, gallicis conatibus obſistere palam constituit: atque in eam rem Oceania, vbi fine superioris anni se tenebat, Antonium Fonsecam & Ioannem Albionem in Italiam extrusit, qui callo eius verbis obtestarentur ne Pontifici grauis existeret, neue eius ditioni bellum inferret; alioqui, vti in superiori fædere exceptum erat, ecclesiæ in columitatem sibi curæ fore. videret ne præposteris actionibus superum iram, hominum inuidiam commoueret. Impios conatus tristi ſæpe exitu terminari. Simul Triuenti Comitem eius classis ducem designauit, quam ad Illicis littus paratam instructamque habebat. consaluum item Fernandum à Corduba virum strenuum, quatum ducem bre-

1495.

rebus in Orientis turbandis, quoniam de bello Turcico cogitabant Galli. Præterea arces vrbis veteris Terracine & Spoleti dum bellum maneret. Quo confecto non eas modo restitueret Rex sed etiam Ostiam; ac vero Pontificem præſens veneraretur obsequiumque de more deferret, vti paulo post fecit ad D. Petri. Multum consultit ad fœderis conditiones constituendas purpura per eos dies Brissoneto Episcopo Maclouensi à Pontifice data. Fædere facto Gallus ad quintum kalendas Februarii Roma discessit petiturus Neapolim. Copiarum pars in Præcutinos Aprutiumque missa est ductore præcipuo Fabricio Columna. Ibi omnia prona fuere vrbs Aquila co tractu multaque alia oppida vltro in gallicam ditionem venere. Interea Ferdinandus rex cognitis rebus quæ in Italia gerebantur, Gallum aduersus Neapolitanos principes festinare, ac pro eo studio Pontificis maiestatem contemptui habitam, gallicis conatibus obſistere palam constituit: atque in eam rem Oceania, vbi fine superioris anni se tenebat, Antonium Fonsecam & Ioannem Albionem in Italiam extrusit, qui callo eius verbis obtestarentur ne Pontifici grauis existeret, neue eius ditioni bellum inferret; alioqui, vti in superiori fædere exceptum erat, ecclesiæ in columitatem sibi curæ fore. videret ne præposteris actionibus superum iram, hominum inuidiam commoueret. Impios conatus tristi ſæpe exitu terminari. Simul Triuenti Comitem eius classis ducem designauit, quam ad Illicis littus paratam instructamque habebat. consaluum item Fernandum à Corduba virum strenuum, quatum ducem bre-

breui futurum, quingentis equitib. præfecit, quos Neapolitano Regi auxiliares mittere destinabat, non minori Siciliæ cura. Legati quidem Romam peruererunt ipso die quo Gallus ex ea vrbe discessit. Nec mora communicato cum Pontifice consilio festinatoq; itinere Regem cōsecuti, in agro litteras dederunt suæ legationis testes. Monuerunt subinde ne vterius progrederetur, priusquā ecclesiæ Romanæ ac pontifici satisfaceret. Ea legatione eaque denunciatione & audacia turbatus Gallus respondit tamen Velitris, quo eo die perueniendum erat, dicendi quæ vellent fore potestatem. In eo oppido dato procerum senatu coram, pluribus verbis exposuerunt mandata. Eorum summa erat de iniuria Pontifici facta expostulare. Obtestari simul ne arma Neapolitanis finibus inferret, priusquam iudicio vinceret aduersarios, seque iure potiorem esse confirmaret. Vim intempestiue intentare, æquum non videri. Multis vltro citroque verbis consumptis multisque ab vtraque parte iactatis in alteros probris & querimoniis qua veris qua falsis, Gallus tandem responsum dedit vterius esse in ea expeditione progressum, quam ut retractare liceret: bello peracto non recusare de iure cum aduersariis certamen. Verba ea erant rebus vacua: quis enim Gallos crederet nobilissimi regni possessionem iudicium arbitrio permisuros; quis de victoriæ fructu legibus disceptatiuros aliquando? Ergo Antonius Fonseca. Quando inquit, ô Rex æquissimis postulatis obtemperare detrectas, & vim admouere ac metum paras, armis & viribus ferox, Deus innocentia vindex omnis insolentiæ inimicus; huius controuersię iudex esto: eius arbitrio atque patrocinio rem totam permittimus. Rex enim vero noster hac denunciatione sin minus ceteris, suæ certe conscientiæ satisfecit, vt deinde liberata fide suis viribus & copiis in eam partem sedet, quam æquiorem iudicabit. Hæc dixit: simul coram rege & proceribus, qui in conuentu aderant, initi anteä fæderis tabulas lacerauit. Audax facinus imprimit, neque ferenda Gallis contumelia visa est: ne tamen violaretur ius gentium valuit. Romam dimitti placuit. Hæc legatio quamuis re nulla impetrata pro qua erat suscepta vana prorsus non extitit. Pontifex enim confirmato erectoque ex eo ad meliorem spem animo, dignitatis memor decreuit iicti nuper cum Gallis fœderis conditionibus haudquaquam stare. Ipse etiam Valentia Cardinalis proxima nocte minus intentis in eius custodiam Gallis dissimulato habitu Velitris egressus non prius constitit, quam Spoletum ventum est firmam Pontificiæ ditionis in Umbria urbem. Romam consulto vitauit, ne voluntate Pontificis aufugisse videlicet è castris crederetur.

Rex Gallus Neapolim ingreditur. C A P V T VIII.

IPso tempore quo Rex Gallus Romæ morabatur, Alfonsus Neapolitanus defensionis & victoriæ spe penitus abiecta, de eo imperio abdicando, nondum integro anno euoluto à patris obitu, serio cogitabat. Eo consilio Ferdinando filio è castris euocato atque in procerum conuentu hac sententia locutus fertur. Quo in statutes nostræ sint, viri 40 nobiles mecum pariter consideratis. Hostis ferox & validus pro portis. Nostri in fide parum constantes. Haud maiori celeritate Galli irrumpunt, quam prouinciales dditionem faciunt: vrbes & oppida in eorum tradunt potestatem vexillis hostium pasim sublati. Auxilia externa longinqua: & qui opem maxime afferre debuissent, hos nostra calamitas, periculum, & ignominia parum mouent. Hostes amicosve incusare eius est, qui viuere & regnare velit. Plura dicere argumentum ignauia. Meis delictis ira cælestē irritatā fateor: qui deliquit pœnas is dato iustissimas morte, ignominia, omnibus malis. His suppliciis si placantur numina, si expiantur noxæ, satis habeam. Vite fines prescribere non licet: neque vero ex hac veluti custodia migrare Dei iniusu: qui pro voluntate viuendi spatia restringit & laxat. Quod meum est tamen, hanc 50 coronam regiam qua sum indignus, hoc sceptrum pono. peccatorum hoc piaculum esto. Alii diutius hoc imperium tenuerint: nemo libentius reliquerit nemo fortius. Filium tamen pro me (qua spe quibus virtutibus & prudentia:) Regem in posterum iubeo haud iniqua permutatione pro sene & valetudinario, florenti etate iuueniem, corpore firmitate, inuicto animo. Quam cuperem ut eo in statu res nostræ essent, quo orbis terrarum probarem quanti facerem ea, quæ prima ad felicitatem putantur. Sed quando eam animi magnitudinem ostentare non licet: certe non erit minoris prudentiæ cedente necessitatí, cuius inuictæ sunt vires. Hinc posteritas de nostro ingenio statuat. Neque enim semper prudens nauclerus fœda procella inflatis fluctibus obsistit. Sed demissa antenna versaque in obliquū nauis expestat dum ventorum violentia transacta pelagi sequitæ

componatur. Hæc nostra sententia est, certaque voluntas. & quando patriæ charissimæ præsidio eis in periculo non possum, quod instar mortis est, ea taliæ in exilium abire deliberatum habeo. Regni equidem paulo ante florentis atque domus nostræ ruinam non videbo: fortassis etiam hoc quasi sacrificio Deum placabo vindicta ut leuior sit, hominum misericordiam commouebo, ut maiori animo in nostræ causæ patrocinium incurrant. Vobis, qui presentes estis, quique absunt, obsequium erga nouum Regem commendare, superuacaneum fore arbitror: ne ipsi quidem præcipere ut ciues omni comitate & benevolentia complectatur, vestrisque meritis magnis, & perpetuis debitam gratiam rependat. Hæc abdicationis cæremonia in Ouiarce peracta est ad decimum kalendas Februarii translati imperii tabulas dictante Iouiano Pontano. Mox Alfonsis domestica supellestile, quæ erat pretiosissima, in naues imposita in Siciliam concessit statuës Mazare, Ioannæ nouercæ dotalis, amæni & tranquilli secessus vrbe melioribus studiis vite reliquum exigere veste in sacerdotis formam mutata. Litteras ad principes dedit, quibus sui facti rationem explicabat: ac nominatim ad Ferdinandum regem perscripsit imbecilla valetudine compulsum vitam principalem abdicasse, ac vero voti religione se quondam id facturum implicasse, qua conscientiam exoluere æquum erat, ac prorsus necessariam. Sic ille credi voluit. Propius tamen vero est, odium popularium sustinere in eo rerum discrimine non potuisse: filiumque cogitasse, quod apprime gratus ciuibus esset ad bellum defendendum fore commodiorem. Seroq; intellexit principum opes benevolentia suorum quam ferro satellitum esse tutiores. Obiit Alfonsus non toto circumacto anno ex quo regni prourationem deposita domestica procella iam magna ex parte mitigata. Corpus Messanæ ad dextram arç in templo eius urbis primario positum est cum inscriptione subiecta tum eleganti tum acuta:

Alfonsum Libitina diu fugis arma gerentem.

Nunc positis (que nam gloria!) fraude necas.

Nouus rex cum primum regnum arripuit per plateas urbis circumductus gratum populo spectaculu prebuit. Quacunque incedebat pompa, multa vestis pretiosa visebatur, multa odoramenta spirabant, faustæ personabat voces felix diuturnumq; imperium comprecantum. Leui momento populi gratia circumagit. tantumdem intra paucos dies pro hoste fecere. Ferdinandus sane delatum regnum à grato initio auspicari cupiens vincit magno numero è plebe atque nobilitate dedit continuo libertatem. Eius benignitatis expertes tantum fuerunt Marini Martiani filius Joannes Baptista Rosani princeps, Sueßæ Dux, & populi Comes in custodia quamuis diu seruati, ex quo procerum bellum profligatum fuit, quippe Aragoniæ genti ad infaniam infensi. Celebritate peracta ex vrbe Rex ad diu Germani fanum abiit totius prouinciæ claustra occupatum & montium coeuntium fauces in Cassinati agro, qua Gallis transitus erat: vbi Neapolitano copiæ tendebant arcendis Gallis intentæ: quoniam id oppidum ad confines Neapolitanos & pontificiæ ditionis est positum. Verum cognito capta Aquila Gallos in Campaniam deflectere, ne à tergo & à fronte circumuenientur; necessario è Cassinati saltu Capuam se recepere urbem operibus & militari præsidio firmatam. Cum copiis Gallus ad sanctum Germanum applicuit, vim afferre nisi vltro dditionem facerent paratus. Sic ciues defensione desperata portas aperuerunt. Promotis Gallicis inde castris maiori quamuis difficultate Capua in potestatem venit. Triuuleius Mediolanensis patria dux strenuus Neapolitanis desertis ad Gallicas partes, vnde melior spes affulgere videbatur; modica fidei cura traductus præcipiuus dditionis auctor extitit. Abscesserat Ferdinandus rex à Friderico patruo quem rebus præfecerat Neapolim ad tumultum ciuium pacandum turbulentia consilia de ea vrbe dederida agitantum evocatus. Virginius Vrsinus & Petilianus eximii copiarum duces amissa Capua intra Nolam quo se ex fuga receperunt, capti sunt. Earum urbium amissarum fama cum peruersisset omnia repente ad Gallos inclinarunt. ipsa etiam vrbs Neapolis regni caput, nemine obsistere auso ac vero incredibili populi plausu victorem intra portas admisit ad octauum kalendas Martii. alium crederes populū, aliū senatū, tanta leuitate vniuersi circumacti sunt nullo iudicio sed suscepto more quemcumque principem adulandi clamore studioque inani. In eam urbem ingresso Rege Gallo, aut vt alii malunt Capuæ dum morabatur Comes Baiazeti Turcarum imperatoris frater decessit. Nouus rex vix prima dominandi dulcedine delibata, vrbe deserta consilii inops à plerisque defertus ad arcis nouæ præsidii confugit, vbi Ioanna regina cum filia eiusdē nominis erat; Fridericus patruus aliiq; proceres cōuenere haud exiguo numero fidé & officium victoris gratia potiora arbitrati. Quod in ea rerum colluione pro miraculo erat. Ex ea arce in alteram se contulit, ab Ovo dictā, rupi impositā mari

mari omni ex parte circumfluo, coque firmissimam triremibus, quas paratas habebat, in Aenariam insulam traicere, & si res ferrent, in Siciliam discedere destinans breui speras rerum conuerisionem fore, quod rerum humanarum incōstantia & vtriusque gentis ingenia non lingua magis quam moribus discrepantium suadebant. Tametsi res Gallicæ absque vlla offensione prosperum cursum haetenuerit: atque ita ut intra non totos quindecim dies vniuersi regni vrbes & arces, quam late ditionis Neapolitanæ fines patet, victoris fortunam secutæ fuerint. Ipsas etiam Neapolitanas arces Germani duces custodiæ præfести, o homines venales, pretio prodiderunt ad turpia seu honesta iuxta leues. Caietanam arcem vi Galli admota cæperunt, in paucis quamuis firmissimam: inerantq; 10 milites & prouisi antea commeatus. Pauca tantum in Brutiis oppida in fide pristina persistenterunt. Sed quantum id erat? Ea quoque indies carpebantur nulla spe à suo Rego nullis auxiliis. Is se ad Aenariam tenebat, rebus perditis nō præsidium, sed magis acceptæ ignominiaæ deformis tum spectator tum testis, quanto animi cum motu dicere non est necesse. Rhegium denique victoribus cessit exaduersum quamuis Messanæ posita in oculis classis Hispanicæ nulla à suo Rego allata agendi facultate prorsus inutilis in periculo. Ex distantibus locis præcepta sæpe & consilia post res afferuntur. Sic nobilissima prouincia puncto temporis Gallicæ ditionis facta est: vix ut credam adeo celerem & facilem rerum conuerisionem in vlla gente ab omni memoria contigisse.

20 *Fœdus Principum contra Regem Gallum. CAPUT IX.*

Postquam ad Neapolim Gallis ferme omnia cesserunt, cæteri principes tum Itali tum externi reputare secum atque inter ipsos communicare cæperunt, quam graue esset eius gentis imperium futurum, si diu in Italia inueterasset. Ferdinandus Rex Hispanus proximus periculo videbatur Gallis confecto Neapolitano bello de Sicilia, vti fama erat, cogitantibus auctore & impulsore Salernitano è numero Neapolitanorum exulum maxime infenso nomini & genti Aragoniæ. Cupiditas præterea dominandi vltro incitabat cunctis affectibus flagrantior, teturum malum, neque vllis resistens finibus. Ergo Ferdinandus Rex alios principes de iungendis contra Gallum viribus vltro appellare, vt cui 30 pares singuli non erant, communicatis opibus superiores euaderent. In mutua societate certissimum rebus fore præsidium. Eo Laurentium Suarium Figneroam ad Venetos legarat, recensque Ioannem Dezam ad Ludouicum Mediolanensem dimisit alliendum non spe modo regiæ affinitatis, de qua iam actum erat, sed etiam regni totius Galliæ Cisalpinæ. quæ voces ambitiosi hominis auribus gratissimæ accidebant. In id fœdus facile Maximilianum Cæsarem & Anglum accessuros sperabat: quos sibi affinitate deuinire cogitabat: ac in primis Ioannè principē & Ioannā filios permutatis nuptiis Philippo Archiduci & Margaritæ sorori coniuges dare. Quæ coniugia ante agitata, Francisci Rogii opera ad Belgas ideo profecti tandem pacta sunt. In belli sumptus, quod difficile & diuturnum fore prouidebatur, pecunia querenda erat. Eo studio in Aragonia gentis 40 conuentus sunt indicti: quibus Rex Catharinam filiam præficere cogitabat; & cum id non esset impetratum agente veteris moris tenaci. ipse met necessario in eam prouinciam ad conuentum habendum concessit. Tantæ molitiones arcans quamvis consiliis agitatæ, irritæ non fuerunt. Venetiis, quo legati Principum conuenierunt, exente mente Martio inter Pontificem, Cæsarem, Regem Aragonium, Venetos & Mediolanenses armorum societas est constituta, quam sanctissimam dixerunt. Pactionis summa capita erant. Ut viginti quinque annorum spatio communi impensa pro facultate cuiusque sociorum & copia collatis viribus triginta quatuor millia pedites, equites viginti octo millia sub signis omnes haberent. Ingens numerus, opinione atque spe maior Ecclesiæ libertatis tuendæ, qua reipubl. firmamentum continetur, species erat: atque à singulorum finibus iniuriam prohibendi. Re Gallos vniuersa Italia deturbare satagebant par modo votis successus contingenteret. Arcanis hæc tractata conuentibus mirum est in tanta multitudine de foedere discrepantium non erupisse. Omnino Philippus Comineus prudentia & vsu rerum præstans Venetiis pro Gallo Rege legatus eo tempore, nihil eorum quæ agebantur odoratus, fœderis præter opinionem facti causas ex Augustino Barudico Veneto Duce audiens, quasi repente consternata mente rogauit suo ne Regi foret reditus in Galliam facultas! Magna ex hoc tempore rerum immutatio facta est, magna conuersio. Neapolitanos Gallici imperii tædere iam cæperat suæque leuitatis. Frequentibus contumeliis victores morumque insolentia & linguæ procacitate gravissimum odium in animis popularium commouerant: plerique etiam iniuria bonis 50 finibus iniuriam prohibendi.

cuersi finem malis exoptabant proni in vindictam, cum nullam opem à principe expectarent. Dux quoque Mediolanensis recens Nouaria ab Aurelianensi intercepta & ad reliquam ditionem haud obscure aspiranti de imperii summa dubitare cogebatur. Gallo præsertim classe sua Genuam occupare cogitanti, vti idoneis auctoribus fama vulgabat. Ita in periculo ad Venetos confugere habuit necesse & omnibus precibus eorum opem implorare. Contra Gallus tempestate prouisa, quæ eius capiti minabatur, & patriæ desiderio ne reditu prohiberetur, Italia relicta eo continuo proficiisci maturauit. Prius autem quam se in viam daret duces alios per vrbes & prouincias distribuit, ac Obenignum imprimis Magistrum equitum dictum Brutiis præfecit, Lucanis Persinum Alegrii fratrem, Gilbertum autem Mompenserium regia nobilitate designauit: qui cum copiarum parte rebus præcesset Neapoli summa bello paceque decernendi credita potestate. Simul à Pontifice postulauit per legatos, vt sibi more maiorum possessionem parti imperii pontificio decreto & diplomate confirmaret. Ea summa votorum erat. Et quoniam de repetenda Gallia cogitaret, cupere oppido, Roma bona eius venia repetita coram de rebus magnis consilia communicare. Colloquendi Pontifici idoneum tempus non est visum Romanis Gallici nominis odio adeo incensis, vt colloqui sine tumultu non possent. Nea politanum imperium cuiquam addicere nisi causa iudicium prius arbitrio diiudicata æquum non erat. In eam sententiam responsum est datum, Gallo minime gratum non certamen iuris quærenti sed vim. Eo amplius profectionem vrgere institit: Discessit Neapoli ad tertium decimum Kalendas Iunii Romam iniit ipsis Iunii Kalendis. In ea vrbe pontificem non inuenit Perusiam elapsum metu ne itinerum maiestas in tanta rerum colluuiione esset ludibrio. Ex vrbe breui profectus Rex, & Senis aliquandiu moratus vitata Florentia Pisas peruenit. Eam vrbem Florentinis contendentibus vti ad eorum ditionem reuocaret, in eoque fidem ante datam liberaret, contra Pisanis cum lachrymis obtestantibus vt dátum beneficium tueretur, neque nobilissimam ciuitatem patetur ad seruituti proximam conditionem redire, durissima premi tyrannide: in neutram partem sententia pronunciata discessit in Insubres missis tamen prius Fregosiis qui factio- nis opibus Genuæ & totius Liguriæ imperium Mediolanensi detraherent. Qui conatus frustra fuit. Regi ad Tarri ripam progresso occurrit cum copiis Franciscus Mantuanus Marchio à Venetis delectus copiarum dux. Ex Apenini iugis dilapsus amnis præceps inter saxa inæquali alueo delatus patentibus demum campis in Padum euoluit. Recusabat pugnam Gallus non ignarus imminutum suorum militum numerū: ac secum Aurelianensi coniungere cupiebat imprimis, modo ex iis angustiis daretur euadere. Hoc regis votum erat: necessario tamen ventum est ad manus. Ad Tarri fluminis ripam tribus millibus passuum ab vrbe Parma castra collata sunt castris. Venetorum copiæ ad Forum nouum erant ad montium radices situm pagum. Gallus ad vicinę vallis qua montes coeunt fauces restitit. Eo loco prælium est commissum in paucis nobilissimum fama. Instruuntur acies, tollitur clamor, ab omni parte concurritur. Itali prima Gallorum acie profligata, versisque intempestive ad prædam militibus spatium victis dedere se se col ligendi, ac restitutis ordinibus pugnam repetendi ex impetu eoque animorum vigo- re quem aduersarii non tulere dispersi per agros & graues præda. Magnum Rex vita periculum eo die adiit prætorianis ferro peremptis vix aliorum superuentu est seruatus. Victoria quidem parta tritum dierum inducias à victis impetrare tamen non potuit. Sic per occultam tesseram profectione denunciata silentio motis castris ex iis locis euasit. Ne graue damnum acciperet in discessu inflatis repente eius fluminis aquis atque ex ea hoste transitu prohibito factum est. Leuis tatum armaturæ equites ab euntis vestigia sunt subsecuti. Ab iis atque ab incolis inquis ad transitum locis cædes factæ atque magna impedimentorum pars est ablata. In pugna super quatuor Italoru milia ceciderunt. Cum reliquis copiis Mantuanus Clastidium prius, mox Nouariam festinavit. eius vrbis obsidionem, qua Aurelianensis inclusus à Ludouico Sfortia premebatur, vrgere erat destinatum. Rex septimis castris præter Placentiam & Derthonam Astam nemini infestus peruenit. latusq; vitatis periculis vltro instaurabat numini & diuis tutelaribus sacrum.

Ferdinandus Rex Neapolim est ingressus. C A P V T . X .

VIx dum Gallus Neapoli abierat cum fortuna partium mutata & in contrarium versa est. Eæ sunt rerum vices. Hispanica classis Messanæ in portu erat ductore Triuentio. Eo reges pater & filius domo profugi conuenerunt Alfonsus & Ferdinandus, præterea

Ioanna

Ioanna regina vidua Alfonsi nouerca rebus profligatis remedium quæsituri. Gonsaluum
 Fernandum cum equitibus eius fidei concredit & sua peculiari classe aduersæ tœpestas
 tes in Baleari maiori & in Sardinia plures opinione & voluntate dies tenuerant: neque
 ante nonum Kalendas Iunii Messanæ portum tenere potuit. Quo iam tempore Ferdi-
 nandus Rex Rhegium exadiuersum Messanæ impositam freto urbem cum arce aliaque
 finitima in Brutiis redegerat in potestatem: vbi Eberardus Obenignus natione Scotus
 dux strenuus rem Gallicam virtute & prudentia sustentabat. Gonsaluo Rhegium Crotos,
 Amantia aliaque eo tractu oppida sunt continuo tradita pignoris loco dum sumptus in
 bello futuri & facti compensantur. Siciliæ quoque rebus propter vicinitatem præsi-
 dium & securitas ea possessione querebatur. Fridericus cum paucis triremibus ad oram
 Apuliæ missus iunctus Venetæ classi bellum alternante fortuna gerebat. Caieta à Gallis
 porro defecit, sed breui tamen subacta suo malo didicit furentis populi graues impetus
 esse, conatus inanes. De ratione gerendi belli in Brutiis deliberatū. In pari voluntate non
 vna mens cunctis erat, neque sententia eadem. Regi stabant continuo Neapolim ire: quo
 à ciuib[us] coniunctio vocari cœperat etiam ante Galli discessum: vt sunt benigni in calamita-
 te & dolore mortales, maiora viribus pollicebantur. Vbi in urbem veniret, concussum
 ab importuni imperii odio ad iustum & legitimum regem ex vniuersa ditione extem-
 plu futurum. Gonsaluo graue videbatur accepta in Brutiis oppida hostium iniuriæ per-
 mittere absentia sua debilitare spem atque conatum reliquæ ferme prouinciæ se suaque
 omnia in ditionem Hispamicam certatim offerentium. Placuit vti iunctis viribus Seme-
 natiæ obsidione soluerent, qua premebatur à Gallicis copiis. Petruus è Lucanis aduo-
 catus Gallorum vires & animos confirmarat. Obenignus nostrorum consilio cognito
 quæ necessario iter Regi erat ferox processit. Recusabat Gonsaluu certamen. Rex iuuen-
 taferuens eo consilio repudiato pugnare dereuit. Victus tamèn in prælio, quoque pro-
 lapsò in fuga ne viuu in potestatem hostiū veniret, Ioannes Andreæ Altauilæ frater con-
 stanti raraque fide à puer in Regis obsequiis educatus atque in omnia familiaria iura
 asluetus eius periculo perspecto in pedes destitutus suum equum vltro obtulit. Euasit rex
 desultoriæ artis peritia in equum desiliens oblatum. qui dedit pro eo hostium accusu
 cecidit grata superis atque hominibus ob fidem præstantem victimā. Pugnatum est ad
 30 vndeclimum Kalendas Iulii. Fugientibus & male multatis regiis Semenaria propinquæ
 effugium fuit, quibusdam incitamentum ne supremo conatu pugnarent. Syluæ quosdam
 & vicini montes texerunt. Victoriae eius cum primis nobilis ut minor fructus Gallis victo-
 ribus esset ipsorum incuria Regis diligentia effecit. Profectus ex eo oppido in Siciliam
 abiit destinata voluntate Neapolim petendi priusquam acceptæ cladis nuncius accensa
 pro se ciuium studia restinguaret Gonsaluu defendendæ Semenaria spe abiecta, ea de-
 ferta in vicina loca dilapsus breui operæ pretium fecit multis circum oppidis vi aut vo-
 luntate occupatis, neque vero destitit priusquam Brutiorum regionem ferme vniuer-
 sam Gallis detraictam ad ditionem subiunxit. Rex cum sexaginta nauibus, quas in Messa-
 nensi portu inuenit milite vacuas, ac turba tantum nauali instructas, sublatis velis ad Nea-
 politanum littus appulsus per medium hostium classem in eam urbem est inuestitus ipso
 die quo ad Tarrum pugnatum est pridie nonas Iulii. Ciues incredibili gaudio elati cor-
 receptis armis in Gallos impetum dant repente omnia in contrarium versa. Armati per ur-
 bem ciues implacabili odio Gallos infectari, plenæ cædibus viae, cruenta foræ templa que
 refractæ direptæq; ædes, & qui resisteret trucidatus, ac nominatim Salernitanæ & Bisinianæ
 ædes domestica supellectile sunt spoliatae. Mompensiæ motui plebis furentis impar
 in arcem nouam se recepit adiuncto Salernitano. Neapolis exemplum Capua secuta est
 locis vicina, item Salernum & Apuli innumeræque adeo ciuitates pulso Gallico præsidio
 Ferdinandi Regis vexilla præferre, ingeminare nomen. Ad hæc pugnæ ad Tarrum com-
 missæ vulgato nuncio Columnii procères Prosper & Fabricius, eatenus Gallicas partes
 50 secuti se ad Neapolitanas transtulere. Vrsini contra siue ab insita æmulatione eius fami-
 liae siue necessaria re impulsæ ad Gallos transferunt, quippe Pitilianus Comes & Virginius
 Vrsinus eius familiae principes à Gallis capti tenebantur. Arces Neapolitanas, quæ in
 hostium potestate manebant, regii supremo conatu impugnare dies noctesque. In tanctæ
 crucis monasterio, quod arcis iustæ instar munitum. Noueque arci coniunctum erat, in-
 ter milites præsidiarios Maurus quidam Alfonso Daualo Piscariæ Marchioni notus, quip-
 pe in eius familia quondam versatus seruili ingenio & fraude, si pretium operæ sit, adi-
 tum se monstraturum pollicetur. Re constituta, nocte quadam accedit Marchio specu-
 latus locum nihil veritus insidias, venturi plane ignarus, incauti guttur transfigit Mau-
 rus sagitta emissæ. Tanti viri casu vniuersa ciuitas luxit: luxere milites ob spectatâ multis

in rebus virtutem paremque industriam omnium copiarum à Rego ducem designatum. Filius in tenera ætate Ferdinandus relicitus est strenuus & nobilis consequentibus annis dux copiarum futurus verissima patris imago. Occisi locum Prosper Columna ante ad Aragonios traductus ex Regis voluntate obtinuit. Homini præpotenti promerendo id blandimentum est datum. Neapolitanæ arces diuturnæ obſidionis malis nullis ex Gallia subsidiis premebantur exigua ſuſtentandi ſpe. Obenignū de ferenda ope appellare conſtituunt. Neque defuit ille vocantibus. Gallicum vigorem extinxerant Neapolitanæ illecebræ & voluptates vrbis cum primis amoenæ. vulgati præterea morbi plerosque extinxerant. & ſane malorum colluuiione foedum bellum amplius inſigniuit nouum genus morbi in ea expeditione viſi. Corporum libidinoso contactu vis mali ſerpentat maxime nullis idoneis remediis, vt in tabe recenti, vſq; dum excitatis: vnde crebræ in vulgus mortes. Morbum Gallicum dixere Itali, galli Neapolitanum, Afri Hispanicum nulla certa origine mali, opinioneſ vacillarunt. Ex nouo orbe vbi ſæua contagio multum viget in Europam diffusam peritores arbitrantur: atque hoc tempore à militibus Hispanis in Italianam atque Neapolim delatam luem qua caput & barba depilarſi ſolent, facies miserum in modum enatis bubonibus deformari, exedi viſcera atque corrupi ac ſequi tandem interitum. Tenariffe poſtrema è Fortunatis insulis claſſe ad id miſſa domita atque ad Regum Castellæ ditionem ſubiuncta tandem eſt. Insulæ eius Rex nauibus in Hispaniam delatus, inde Venetias transmissus donum iis ciuibis ab insolenti habitu & ſpectaculo non ingratum. Amicitiam nuper constitutam & foedus ea benevolentia ſignificatione aſtringere certabat Hispanus. Alfonſo Luco Tenariffes & Palmæ ſubiugatarum præmium fuit Antelati honos & nomen in Canarias insulas ſeu Fortunatas conſeffum. Sic omnes illæ insulæ in Hispanorum potestate regiaque Castellæ ditione conqueuerere tandem expeditionibus ſæpe repetitis: bellumque id ante mul- tos annos inchoatum hoc tempore finem habuit.

Rex Lusitanus obiit. C A P V T X I.

Non ceſſabat interea Ferdinandus Rex Hispanus Regem Lusitanum & Angli ad commune Principum aliorum foedus aſciscere per legatos, præſidia vindicare conquirere. Strenuum principem & rebus maximis natum. Excusauit Lusitanus amicitiam cum Gallo à multis annis ſtabilem: non videri temere violandam. Et erat Pontifici ſubiratus: a quo impetrare non potuerat vti Georgium ex impari ſed nobili matre filium iure legitimo donaret. Nullo enim respondentē in ſucceſſione regni mutare aliiquid non eſt viſum. Lusitano quidem deliberatum erat eum hæredem ſcribere ex aſſe, ſi minus venia Pontificis certe Maximiliani Cæſaris amitini iure ſucceſſionis illi debito, ſic interpretabantur eius voluntate in Georgium translato. Quod ſane quid erat aliud, quam pulcherrime ſtantem reip. pacem præpoſtera ambitione & cupiditate turbare? nouorum motuum materiam quærere? Ab Anglo non foedris ſocietas petebatur, ſed etiam nouæ affinitatis vinculum Arcturo Angli hæredē & filia Ferdinandi Hispani Regis iunctis connubio. Vtrumque factum, ſed conſequenti tempore Lusitanus aqua intercute laborabat indies grauiore tum valetudine tum vi- tæ periculo. Pellendo morbo ad aquæ calidæ ſcaturigines abiit quæ in Algarbio atque Turdetanis habentur totius Lusitanæ maxime ſalutares. Sæpe remedia in contrarium vertuntur. Morbi vis eo remedio nihil remiſit: quin aucta potius Albore opido decessit ad octauum decimum Kalendas Octobris, magno atque ardentि inge- nio Princeps callidus, facundus, in vindictam tamen præcepſ. Successorem ex parte correſta ſuperiori voluntate teſtamento deſignauit patriulem Emanuelem patrio Ferdinandō natum Pacis Iuliæ Ducem, Georgio filio ſubſtituto ſi eum contingeret fine prole deſcedere. Longinquum id erat & incertum neque ſatis aequitati conſentaneum. Sed Regum voluntates vehementes ſunt. In præſenti ergo militiae magiſterio donari volebat, eius cui à Christo nomen eſt Conimbricæ ducem eſſe. Ab eo cer- te Aueri duces generis ſtemma deriuant nobiliflimi. Inerant haud dubium in de- functi Regis moribus & ingenio bona, inerant mala. animus erectus, excelsus, ma- gna appetens, maiora ſæpe viribus, ſcelerum vindex, ſtudioſorum & fortium homi- num fautor. Multo effuso ciuium ſanguine inuidiam apud ſuos commouit, tam- etiſ pro argumento inſigni ad clypeum. adiecerat pelicanum roſtro lacerantem pe- ctus alitem ut pullos ſuos in vitam proprio ſanguine reuocet. Corpus translati- tio funere in Sylensi æde compositum, Aliubarrotam inde delatum eorum re- gum

gum sepulchris, sed & victoria de Castella olim parta nobile oppidum. Regium Lusitaniæ insigne publico omnium consensu ad Emanuelem, ut opus erat, delatum est Salaciæ eo tempore agentem cum Regina sorore regiaque vexilla eius nomine ingeminato more gentis sublata explicataque sunt. Et si Maximilianus Cæsar id regnum sibi deberi contendebat iure sanguinis in pari propinquitate maiorum natu. Inter eos qui à latere defunctum regem sanguine attingunt non stirpe, ex viro aut femina sint nati, sed in pari propinquitatis gradu sexum atque ætatem in successione esse consideranda. Vtq; Ferdinandus Visei dux, vnde Emanuel est natus, & Eleonora Augusta Maximiliani mater, patruus & amita defuncti regis erant. Porro Lusitani sexum in imperio non discernunt: neque stirpem considerant, sed capita. Verum de hac tota controvërsia alio loco copiosius dictum est. Emanuelis causam gentis studia iuuuerunt, præclaræque corporis & animi dotes, quibus nulli ea ætate principum inferior exitit. Ruscinonensi limiti Henricus erat præfectus Albæ ad Alistem Comes. Is iussu sui Regis in agros Narbonenses cum manu militari irrumpens late terrorem incusit. Idem Petrus Manricus fecit sed per extremam Cantabriam in Aquitaniæ fines inuestitus. Nihil tamen memorabile est gestum. prædæ tantum hominum & pecorum abactæ. Quod præcipuum fuit Gallo qui diu Astæ substituit, iniecta necessitas cum Ludouico Mediolanensi maturandi, ne veris ad Italiam bellum terga audarentur, sed potius ea solutus cura reduxque in Galliam conatus Hispanos & irruptiones prohiberet. Et erat stultum aliena curare, sua negligere.

20 Fœderis leges fuerunt: vt Nouaria Mediolanensi redderetur quinquaginta aureorū milibus numeratis Aurelianensi. Atx Genuæ, quam Galli ceperāt, penes Sequestrum esset Ferrariæ ducem. Gallicis copiis per Irisubres volente duce liberum iter esset, additis etiam de suo ad recuperandum Neapolim auxiliis. His rebus constitutis Gallus præcipiti autumno cum copiis trans Alpes in Galliam rediit. graue Neapolitanus regi exitit Ludovicum Mediolanensem ducem contempto publico Principum fœdere sibi priuatim, quod erat nefas, consuluisse: vnde præsidium rebus expectare debuisset, ab eo nullo propinquitatis respectu, erat enim eius auunculus, rationes Neapolitanas secundo vehementer conturbari. Re ille necessaria excusabat cum hoste pepigisse. Alios principes parum operis præter nomen in eo periculo communicasse, quid factū vituperarent: haud dubium existium, nisi ita fecisset rebus instare. Ergo Neapolitanus Rex aduersus tempestatem ex callia rursus imminentem præsidia vindique comparare, ac Ferdinandum Regem Hispanum sibi amplius deuincere satagebat filia eius in cōnubium expedita. Non abnuebat conditionem Hispanus, sed belli ancipitis exitium expectare malebat ex euentu sumptuoso consilium. More impatiētia Neapolitanus & Ioannæ Reginæ viduæ suauo eius filiam eodem nomine duxit soluta lege propinquitatis à Pontifice, quoniam amita eius erat. In ipsa nuptiarum lætitia, res bellicæ curæ erant. Veneti ad ferendam opem solicitati ægre quidem sed consensere tandem. Mahtuano ductore auxilia decreta equitum peditumque: præterea int̄ præsenti quindecim aureorum millia mutuo in stipendum data. Dūm ea pecunia redditur, sumptusque necessario in bello futuri compensantur, Brundusium,

40 Hydruns, Tranū, Monopolis, Poliganum in Apulis nobiles vrbes & Lautæ pignori datae Venetorum votis saepè expeditæ, quoniam alluuntur mari supero Orientis commercio commodissime vnde genti certissima vestigalia constant. Nouas ad tempestates concitandas hi apparatus pertinebant. Ferdinandus quoque Hispanus haud minori cura bellum repeterem parabat, quod per fines Ruscinonenses nuper erat inchoatum. Ea expeditio proprie ad Aragonios pertinebat. In eius gentis conuentibus, qui superiori anno Triasone sunt cæpti, de publico auxiliares ducenti grauis armaturæ equites, leuis armaturæ trecenti toto triennio decreti sunt, cum eo vt in septem turmas tributis duces Rex è gente quidem designaret. Contra vt aliqua gratia esset, quod antea consueuerant, datum est à Rege vt publica ciuitatum munera & magistratus tribuerentur. Deinde ciuium nominatione è designatis coniectisque in vrnam sorte ducta. Deinde in Dertusanis Catalaunorum conuentibus, qui superioribus mensibus inchoati ad anni Millesimi quadragesimi nonagesimi sexti initium tenuerunt, simile decretum auxiliis iuuandi Regem est factum eo propensiore voluntate, quod Ruscinonenses in quorum finibus primus belli impetus futurus erat, proprie ad Catalaunos pertinent, eorum imperio contributi ditionis pars. simul de coniugiis cum Austriaca familia actum magna contentionem est: tametsi Archiducis animus affinitatem Hispanicam auersari videbatur contumax propter ætatem, parumq; in futurum prospiciens, patrifice obtemperans voluntati votisque.

Galli à finibus Neapolitani regni depellantur.

C A P U T X I I .

BEllum Neapolitanum getebatur sumptuoso partium conatu, ut de regno diductis in
ambos prouincialium studiis & viribus. Galli quamuis imminuti numero firmissimas tamen arces & vrbes retinebant. Caietam obsidebat Neapolitanus Rex: in Brutii & Magna Gracia Hispanorum arma duce Gonsaluo felicem cursum tenebant: vt oppidis & arcibus magno numero ad ditionem subiunctis vix Gallis ea quidem parte superesset, vbi pedem ponerent tutu. Firmatus vsu miles Hispanus nulla discordia corrupus, nulla acie exhaustus, sed belli Maurici domitor saepe meliora ferre. Persius & Obenignus Gallorum præcipui in ea prouincia Duces contempto proprio periculo haud ignari quanto in discriminē arces Neapolitanæ essent, ibi belli & rerum summam verti in ea fortunæ inclinatione consilio inter se communicato decreuere tamen, vt Obenigno relicto, qui Hispanorum conatibus obsisteret, Persius cum copiarum parte Salertium ditionis tum Gallicæ vrbe abiret, si liceret ea ope Neapolitanas arces tueri, sin minus iunctis cum Mompenserio viribus bellum eo tractu instauraret, si qua sedaret occasio Neapolis recuperandæ. quæ prima cura solicitabat. Sic factum. Persius ex itinere multis oppidis ex deditione adiunctis quatuor porro Neapolitanorum millia iussu sui Regis obuia ad Ebulum Picentinorum oppidum non procul Sylari amne ductore Matalonio, acie superauit. Læta ea victoria Gallis in præsens fuit exiguo in futurum usui: territis quidem aduersariis nulla manus numero aut viribus insignis prodire in aciem, obsistereque eorum conatibus audebat. Rex tamen prius quam acceptæ cladis nuncius ad obsecros perueniret, de arcium ditione transegit, nisi intra certum diem idonea peruenirent auxilia. Accessit Persius victor ad Neapolis conspectum, sed cum intra arces nihil moueretur, & Rege extra mœnia tendente penetrare ipse ad obsecros non posset retro flexit iter. Sic arces omni præsidio destitutæ elapsis paulo ante Mompenserio & Salernitano abeuntibusque Salernum, vt pepigerat deditæ sunt. Pecunia Gallis ducibus in stipendum deerat. Ad quam redigendam in Apuliam concedere statuunt portorio è pecoribus: vnde præcipua & maxima vectigalia iis regibus constant. Eo consilio Mompenserius, Persius atque Virginius Vrsinus vites conferunt. præcipui Gallorum duces hi erant, minores multi alii, tum Italici generis tum Gallici. Neapolitanæ copiæ in varias partes distractæ erant. Rex ipse receptis Neapolitanis arcibus de belli summa sollicitus Beneuentum abiit: quam vrbe Pontificia ditionis Fridericus patruus ab ingruentiis vndique Gallis defenderat. Inde cognito Gallorum consilio Fogiam abiit quæ ex Harporum ruinis crevit. Eo etiam Mantuanus cum Venetis auxiliis appulit. Id commode accedit. Sexcenti tamen Germani duce Fabricio ad Regem contendentes, cum eo inuito Nuceriam digressi essent, vbi altera eius nationis manus expectabat, quam deducere secum cogitabant, quo maior gratia esset validius subsidium, forte in hostiles copias incidentes ferme ad unum cæsi sunt: etsi supremo conatu pugnarunt, multosque & ipsi ex hostium equitibus peremere. Tanta ex eo Gallorum superbia vt ad Fogiam mœnia promotis castris Regem ad pugnam prouocare non dubitarent: quam ille eo incommodo & superiori ad Semenariam ignominia cautior castigatusque detrectauit copiis nondum in unum locum contractis. Leuia tantum fure certamina: & ab utraque parte cædes, captiuique neque nullius neque magni nominis. Galli ulterius progressi portorii partem redegerunt, partem Rex. pars alia in ea perturbatione periit à neutrī exacta. In ea colluione non oppida & vrbes modo sed ipsi pastores aruaque, vt hostile solum vastabantur. Gallorum ferociam comprimere cupiebat Rex haud ignarus ea parte vietiis reliqua procluia fore. Gonsaluuus in Brutii vniuersa prouincia ferme in potestatem redacta ipsaque adeo vrbe Consentia capta arcem obsidione graui premebat. In Obenigno parum præsidii erat ad extremum Italie angulum compacto sustentanteque maiori locorum fiducia quam virium. Monuit Gonsaluum Rex vt cæteris prætermisssis in præsenti ad se auctum festinaret: belli capite confecto reliqua secutura. Sibi ad ducendum bellum virium satis esse, ad lacescendum prælio hostem maiores copias optare. Gonsaluuus vera Regē prædicare non ignorabat. In diuersum tamen variæ curæ anxiū trahebant. Omittere incepsum graue erat, sed regi opitulari necessarium. Ergo obtēperandi decreto Ludouicum Aragonium Cardinalem cum parte copiarum in Brutii relinquere statuit, qui bellum se absente sustentaret

ret castris quam infulis aptior. Is Ferdinandi Regis patruelis erat Henrico natus Alfonsi quidem Regis fratre, sed ex impari matre. Agrestes homines magno numero spe prædae, an ut iter impedirent, iniquis ad transitum locis se in armis ostendunt. Nihil terretur Hispani cum Mauris Granatenibus in præruptis locis & arduis pugnare assueti. Impressio ne in vicanos facta ad Muranum oppidum magno eos numero cæciderunt, nisi quos fuga dilapsos vicini saltus seruarunt. Ex captiuis quæstione habita cognitum est nobilium magnani manu ad Laynum seu Laum contractam destinata voluntate Consentaneæ arcis disturbata obsidione tuendæ. Gonsaluuus ne pulcherimæ occasiōne decesset tota nocte itinere continuato, sub auroram in id oppidum irruptione facta nobilium magnani partem peremit, cepit alios, quos mari ad Rēgem misit Principes in eo numero erant Nicastri Comes & Honoratus Sanseuerinus Bisiniani frater. In diuersa parte Galli Cercellum in Samnitibus obsidebant decem millibus Benevento dissitum oppidum. Rex ut eam obsidionem dissiparet Frangettum finitimum accurrit eum copiis, ubi Gallicum præsidium erat. Suorum periculo permotæ Gallorum copiæ opitulatum venere. Serum auxilium fuit oppido iam tunc capto à Rege tum incensio ne præda miles impediretur scilicet hostique opportunus ex eo esset. Constitere duæ acies exaduersum duobus occupatis collibus valle interiecta: quam transcendere neutri sunt ausi. Res Gallicæ inclinare cæperant: animos & corpora peregrinæ voluptates eneruarant. Rex quoque re cum suis communicata deliberatum habebat, nisi suo commodo, ac explorata victoriæ spe cum hoste non configere, neque sua festinatione committere, ut casus aliquis partium fortunam perimitaret. Gonsalui in aduentum certe sustentare visum est quem festinare & prope diem affore fama & idonei testes nunciabant. Neque fecellit spes, breui in castra Regia peruenit, tametsi Mompenserius obuiam progressus, eius iter impedire omni studio conatus erat. Quotempore Rex vestigiis omnibus vrgere Gallorum copias annonæ angustia laborantes, iamque detrectantes pugnam & de Apulia cogitantes. Verum premente Rege conuerso itinere se se intra Atellam incluserunt & cœantu huius belli nobilem cum primis vrbe, & tunc Amalfitani Principis ditioni contributam. Rex quo minus id oppidum occuparent, sua diligentia impedire non potuit, quod proximum erat, circumuallare constituit. Ducebatur obsidio parvi defensorum & impugnantium conatu, neque dispari spe, cum Gonsaluuus diu expectatus in castra tandem regia peruenit ad octauum Kalendas Iulias, qui dies Ioannis Baptiste natali sacer est. Eius aduentus obfessis grauis exitialisque, obsidetibus lætissimus accedit rerum gestarum fiducia utrisque cogitantibus eius virtute forte bello grauissimo finem. Accessit ad lætitiam plausus. Consensu duces & milites venientem Magni ducis titulo & nomine honestarunt factis præclaris consentaneum, quod ab hoc initio suscepit & aliarum nationum eximio fauore confirmatum in morem abiit, ut hoc potius nomine quam nativo cognoscatur. Ac sane alii duces in Italia quamuis per se strenui cum eo comparati multo inferiores tebus omnibus videbantur. Erat enim ingenio magno belli & pacis artibus peræque instructus, præcipua motum suavitatem, colligendæ militaris benevolentiae eximius artifex, in præsenti grande ad victoriam momentum. Opinionem de eius virtutibus suscepit confirmabat ipse industria, satis decorus facundia, omniumque quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Ita cum primum Atellam peruenit situ considerato ipsis Kalendis Iulii cum suorum manu molas frumentarias, unde obfessi alebantur, momento temporis occupauit, valido inde hostium prædio deiecto. Fregit ea res Gallorum spiritus, regiis fiduciam addidit breui opprimi ac profligari aduersarios posse. Ex patuis saepe initiis magnarum rerum exitus pendent. Leuia aliquot prælia fuere pro oppido, casus varii: Salernitanus & Bisinianus in ditione delectus habere destinata voluntate Gallicas partes à casu sustentandi, opem obfessis ferendi. Verum ea diligentia nihil est præstitum: ac contra Mōpenserius, Virginius Vrsinus, & Persius obfisionis malis fatigati se & oppidum dedere decreuerunt. Leges consensu scriptæ, si intra trigesimum diem idonea auxilia non mitterentur ex Gallia, copiæ Gallorum ex vniuersa Italia decederent cum bona venia impeditamenta, equos, arma secum asportandi. Arces & oppida Regi restituerent vniuersa ditione Caieta, Venusia, & Tarento modo retentis, præterea quidquid Obenigni & Montii Ducis armis occupatum esset. Discedentibus Rex mari naues, terraque iter tutum præstaret. Mense Iulio hæ conditiones sunt iurecurando & datis obfidiibus confirmatae: in iis tabulis mirum enim uero videatur Gonsaluo Magni Ducis nomen consensu adscriptum. Dedita vt conuenerat ea vrbe aliisque arcibus Galli profecti, exiguo numero

tamen in patriam peruererunt. morbis & variis casibus consumpta multo maior pars: ipsi etiam Mompenserius ad Vesuum afflictā valetudine, an ex molestia periit. Virginius Vrsinus & Iordanus filius in custodiam dati fœderis in eo fide violata. Sed Alexandri Pontificis iussa vrgebant, cui obſistere Regi tutum non erat pro imperio id mandatis. atque pro Pontificia auctoritate concepti cum iurisurandi religione soluentis. Affuere in hoc bello Ioannes Borgia Cardinalis Amalfitanus Episcopus Pontificis ex ſorore natus, non idem de quo eodem nomine Episcopatu alio eſt commemoratum, ſed tamen pro auunculo Pontifice legatus, tum Dux Gandiae Pontificiae manus quam ſubſidio ei Regi misit, duktor. iis meritis Vrſinorum facta iniuria gratificatum eſt. Gonsalui diſceſſu res Gallicæ in Brutiis & Magna Græcia resurgere, Hispanorum vires debilitari cæperant. Ita die proximo poſt fœderis conditiones ad Atellam firmatas eam prouinciam repetiit: cuius partem multo maximam eius absentia Obenignus ad Gallicam ditionem reuocarat acerrima bellifax, virtutis & prudentiæ ſpectatæ magis quam felicis ob præualentē aduersarium. Eius enim diligentia locis omnibus prementis in commune aliorum Gallorum fœdus conſentire, ac vero relata Italia in Galliam redire eſt compulſus. Quo tempore omnino dimidiato mense Auguſto in Castella vltori Isabellæ Reginæ mater Isabella deceſſit e vita annis poſtremis parum ſui compos. Corpus extemporario funere Areuali ſepultum, vbi extreſam ætatem exegerat, conſequentiibus annis in Burgene Carthusianorum monaſterium translatum eſt: loco vbi vir eius Ioānes eo nomine ſecundus Castellæ rex fuerat compositum. Ad vndecimum Kalendas Septembriſ desunctor neptis Ioanna nomine claſſe ad Lauretanum portum inſtrueta in Belgas abiit ad pactas nuptias cum Philippo Austræ Archiduce. Regina mater filiam vſque ad portum eſt proſecuta, Fridericus Henricus maris Praefectus Belgas vſque. In coniugii eius celebritatem ludorum apparaſum omnemque lætitiae ſignificationem intentos. Ab Alexandro item Pontifice Ferdinandus puellæ pater Catholici cognomenum accepit in poſteros cum regno transfuſum ſtabili poſſeſſione. Honorum titulos Principibus diuidere Pontificibus Romanis datur. Erat in more ut in litteris Apostolicis adſcriberetur, Regi Castellæ illuſtri. Ergo deinde noua indulgentia adſcribi placuit, Regi Hispaniarum catholico, non ſine obrectatione & inuidia Regis Lusitani, quando Ferdinandus imperio vniuersam Hispaniam non obtineret, eius tum non exigua parte penes alios Reges. Contentio ab eo tempore excitata ad noſtram ætatem tenuit. Maiori motu exarſiſte Gallum veriſimile eſt, ſi quod Comineus ait, Pontifici erat destinatum Christianissimi appellationem, qua reges Gallos ante aliquot annos ſimili exemplo in Ludouico vndecimo Pius ſecundus Pont. Max. honestauit, in Ferdinandum tranſferre rerum geſtarum amplitudini gratiam conſentanciam.

Reges Lusitani. C A P V T XIII.

Emanuel Lusitaniæ Rex cum primum regium inſigne deſumpsit. Montem maiorem regni ordines ad generales conuentus euocauit de rebus grauiffimis conſilia communicare volens. Eo Georgius accessit deſuncti Regis filius, ætatis agens annum quartū decimū, Diegho Almeyda deducente Priore Hospitalario, quem sagax pater delegerat, qui pueri imbecillam ætatem regeret confilio, imbueret moribus eo loco dignis. Venientem Rex benigne accepit, quin ad eius amplexum lachrymas fudit in indices benevolentiae, deceſſoritum memoria tum deſiderio expressas. Filii eum loco futurum promiſit chariſſimi, ſe patre dignum præſtaret. Simul legatos dimiſit ad varios Principes, nominatiſt Castellæ Regibus ſuæ inaugurationis gaudium nunciare voluit: Alexandro Pontifici more maiorum ſuo nomine obſequiū debitum deferri. In noui Regis aula principem gratiæ locum obtinebant Dieghus Silua, quo morum institutore & magistro creuerat; tu Ioannes Emanuel Ioanne Guardiæ Epifcopo natus & Iusta Roderica illius amica, quæ Emanuelis Regis nutrix fuit. Dieghum Portalegris Comitem eſſe iuſſit operæ & disciplina præmium, Ioannem regio cubiculo præfecit. Ex viſu familiari parique ætate gratia auēta, adeo ut ceteros aulicos facile rebus omnibus anteiret. In iis conuentibus edictum eſt ut Iudæis omnib. à deſuncto Rege in seruos datis redderetur libertas. Superiorem ſeu-ritatem noua censura mitigare aequum videbatur; miseræ gentis calamitatem ſubleuare. Auxilia in Africam decreta atque militare ſupplementū: vbi Septam freto imminentem Ioannes Rex eo nomine primus eripuerat Mauris. Tingini & Argillam ad extreſum ocaſum atq; ad Oceani littus Alfonsus Emanuelis patruus. Inuecta virtute posteri retineuerant: felicibus ſepe armis ſubmouerant hostes; agris finitimiſ attulerant vaſtitatē. Arcillæ præfectus Ioannes Menesius cupidus nouo Regi ſuam induſtriam probandi multis circa pagis

pāgis consuetū vēctigal pēdere recusantibus, cōmunicato cōsilio cum Tingitano Præfēto atque cum eo iunctis viribus in eos ducens, forte in Barraxam & Almandarinum incurrit strenuos Afrorum magnique nominis duces. Non detrectauit certamen Menesius et si numero vincebatur. Comissa pugna vieti fugatique hostes sunt: virtuti cessit multitudo. Lata ea victoria in præsens fuit, rerum maiorum initium. Interea ad Montem maiorem conuentus celeberrimi, multis quamvis & magnis rebus nondum constitutis necessario sunt dissipati pestis ob luem in ea regione grassari incipientem. Ipse adeo rex dimissis ordinibus raptim ex eo oppido discessit huius anni initio; atque sub ieunii Christiani tempus Setubaliam sese contulit. Quæ profectio non in columitati tantum est data sed officio studioque duas sorores viduas inuisendi Eleonoram Reginam, & Isabellam Brigantino antea nuptam. Eo congressu nihil prius actū quam de Aluaro Brigantini Ducis occisi fratre duciisque filiis, qui in Castella profugi durum exilium tolerabant, patria extorres in patriam, paternasque opes & pristinum dignitatis locum reponendis. Id Ferdinandus Rex Castellæ enixe contendebat: innoxios nihilque mali promeritos eriperet suppicio: sorores tantundem cum lachrymis flagitabant, ardentius Isabella quam cæ calamitates proprius attingebant eodem momento orbata viro filiisque, familiæ vniuersæ miserabili luctu. Ante omnes Beatrix Visei Dux precibus Regem filium fatigabat, eique pro materno iure mandabat, uti sanguine & necessitudine coniunctos subleuaret. Non tibi, inquit, solum, regnum cœlitus datum sed matri, sororibus, & propinquis; omnib. de-

nique qui in te spem emergendi iure collocarunt, partem aliquam imperii communicandam & felicitatis cogitare debes. Fructum ex nostro fundo nostraque ex arbore decerpere quis vetabit? Quæ si nos spes sefellerit animis nostris concepta, quo ibimus? ad cuius opem configiemus? An importuna seueritate committes vnde cunctos nos pigate te ad culmen dignitatis & gloriæ peruenisse? Cum eras priuatus, nostram sortem & miseri- am deplorabamus: nunc ad eam acerbitatem, iniuriam importuna seueritate factam adiungere erit necesse. Quare si vlla tibi æquitatis, si vlla pietatis cura est, si labores eius quæ tè peperit, si amorem quo te sum perpetuo prosecuta memoria retines, matri filiam restituue, sorori filios, auia nepotes, memet denique totam mihi redde, meaq; membra disiecta locis & lacera & disiecta in vnum quasi corpus salutari ista manu compinge. Atque

eum acceptæ potestatis præcipuum fructū cogitato, hoc quasi initio accepti principatus specimen dare cæteris ad bene sperandum hoc quasi salutari signo sublato. Cupiebat Rex iustissimis matris & sororū votis satisfacere. Verū ne repente defuncti Regis censura mutata in leuitatis suspicionem incurret, verebatur: ac simul prouidendum erat ne eorum animos irritaret qui honorū exilib. ablatorum se attactu & longa possessione cōtaminauerant. Vicere tamen omnes difficultates pietatis respectus, matris & propinquorū postulata. Quib. bona & honores exulū sunt ablata, eos aliis pro præsenti copia datis munericib: pacauit. Nullus vt regiam clementiā accusaret, contra laudarēt multi & perpetuo præconio celebrarent, qui nollent etiam factū probantib. Regii cōiugii cura solicitare, & proliis in spē regni suscipienda. Ætas matura erat quippe sex & viginti annorū. Nulla conditio

Castellæ regū affinitate potior erat: neq; id gens Lusitana ignorabat. Ferdinandō & Isabellæ Regib. de eo coniugio appellatis placebat Emanuel generum adoptare: ceterū vt maiorem filiā coniugem darēt, non adducebantur. proxima in Belgas abierat. Catharina etiā Arcturo Anglo pacta erat. Mariam omniū minimam coniugē Lusitano libenter destinabant. Abnuit Lusitanus: neq; aliū Principē sibi præferri in coniugio maioris filiæ ferebat pro gentis ingenio nulli de dignitate concedens. Adamabat præterea Isabellā & forma & indole oblectatus ex quo tēpore fuerat in Lusitania Alfonso Principi nupta. Agebatur de eo coniugio: eaq; ex re Ferdinandus Rex Catholicus occasione captata Lusitanū sollicitabat, vt se ad Principum fœdus contra Galliæ opes & Regē adiungeret. Isabella quoque Princeps inter coniugales leges Mauros & Iudeos Lusitani regni finib. deturbari iubebat

voti periculæ qui perfidā gentē tueretur à Christianis institutis abhorrente, ei vt toro iungeretur adduci nō posse. Cupiebat Emanuel vtriq; postulato satisfacere puelle amore ardēs impatiensq; morę. Verū ne Ferdinandō obtēperaret, amicitiā cū Gallis à multis annis stantē & mutuis officiis cultam excusauit. Hispaniæ finib. ab iniuria tuēdis vires & fœdus libenter offerre: vt se externis bellis implicaret, alienum à suis rationib. putare. Ad Isabellæ gratiam promerendam ægre quidem, sed datum tamen, vt nouo edicto, quod sub huīus anni finem promulgatum est, Mauri & Iudaici omnes iuberetur finibus Lusitanis abscedere seruitutis metu proposito, si qui post designatum tempus restitissent. Solutum anteā pœna noua lege sanciri placuit. Mauri quidem in Africam continuo sine recusatione transmiserunt. Iudaici non eadem facultas extitit: quibus paulo post nouo edicto

filii sunt detraicti quatuordecim annis minores, atque salutaribus aquis per vim adhibiti. Insolens decretum à legibus & institutis Christianis abhorrens maxime. Malo cogas homines Christiana sacra suscipere? libertate cælo data in re omniū grauissima spolies, quos Deus sui arbitrii esse voluit? Graue id piaculum sit: ac ne filios quidem à parentib. eo studio abstrahere liceat. In vtroque tamen gens Lusitana peccauit, pueris enim uero sine voluntate parentum ad baptisma violenter raptis, atque maioribus natu, vt Christo darent nomina, conuiciis & contumelia vexatis. ac nominatim discedendi facultate per fraudem sublata, cuius necessitas erat imposta. Ita plerique seruitutis metu dederunt manus, quidam sincera voluntate, pars multo maxima tempori seruientes animo simulato: cuius rei deinde clara documenta extiterunt. multi ad patriam superstitionem, quam reie-¹⁰ cissee, visi erant, cum ignominia Christiani nominis reuersi. Ergo Iudæi variis modis & indignis sunt in Lusitania vexati. Ab Alexandro Pontifice impertratum eis qui tribus ordinibus militaribus se deinceps in Lusitania adiungerent, perpetuæ castitatis venia, indul-²⁰ ta certe facultate coniugii: quo eatenus erant veteri instituto prohibiti. Eius indulgentiæ grauissimas extitisse causas non dubito tempori accommodatas. Libidinis effrenatæ li- centia, natalium macula inusta proli ex iis militibus genitæ. Cæterum res ea obtrectati- one non caruit, vt omnia noua, aliis moderationem laudantibus, ali maiores cau- tem requirebant & constantiam. Sæpe etiam quæ prudenter excogitata videbantur in perniciem vertuntur. Ea est humani ingenii imbecillitas. Ab hoc certe aditu opima eorum ordinum vestigalia non hominibus militaribus, vt antea, attribui, sed in aulicorum delicias, qui castra nunquam viderunt, conferri cœperunt. quanta peruersione & bonorum gemitu dicere non attinet. Præmiorum spe certa sublata quotusquisque non potius delicatam & amœnam vitam, quam militiæ labores & puluarem complectatur.

Ferdinandus Rex Neapolitanus obiit. CAPVT XIV.

Motus Italæ non quiescebant nondum in malaciam compositi. Anglus cum affinitate Hispanica ad committine fœdus contra Galli conatus adiecit animum: seq; cæteris Principibus adiunxit. Cæsar etiam venturum in Italiam profitebatur Galliæ Cisalpinæ & Hetruriæ cura vbi multa mouebantur. Sic Dux Mediolanensis à Gallico fœdere ³⁰ discedere constituit. Cognita præsertim Delfini tum infantis morte, & Galli Regis eius patris valetudine perpetua, ne res Gallicæ ad Aurelianensem iuratum hostem recideret, haud temere metuebat: atque ex ea re exitium, quoniam is princeps eius rationib. vel ma- xime erat infensus, in Mediolanensi principatu ab antiquo riualis. In Neapolitano regno Apuliæ partem Veneti obtinebant, Gonsaluuis sui Regis nomine Rhegium, Amantiam, aliaque in Brutiis oppida & arces. Andegauensium in potestate non paucæ, neque con- temnendæ arces supererant, neglecta in eo iicti nuper cum Gallis fœderis fide. Ad eas im- pugnandas Rex, Cæsarem patruum furto conceptum Tarentum amandauit. Vrbina- tem, qui eo bello iuuerat, in Pelignis & Samnitibus curare iussit. Atque hic quidem bre- ui omnibus circa oppidis ad ditionem regiam subiunctis cum Prospero Columna Ro- ⁴⁰ mam abiit. Caietæ subiugandæ maior cura solicitabat: quam mari Triuentius & cum eo Venetæ tristemes acriter, sed irrito conatu impugnabant. Terra obsidere parabat Rex o- mnibus copiis, cum id cogitantem dysenteria in villa apud Vesæuum, ac ex eo mors op- pressit Nonis Octobris Neapoli, quo se deferendum curauit. Quid flos ætatis iuuit? quid gaudia & aliæ vitæ iucunditates? quid victoriae de hostibus partæ regnumq; receptum? omnia subuexit importuna mors & saeuia. Vix degustato primi regni fructu estraptus. Miserabile iuxta & insigne exemplum humanæ felicitatis inconstantia. Luxere extin- ctum ciues verissimis lachrymis: vnum virum ducemq; spreta aliorum segnitia laudibus ad cœlum ferre. Accurrit Castellonio, vbi tum agebat, Fridericus patruus cognito regis periculo: atque ipso quo decepsit die Neapoli Rex est proclamatus quippe proximus san- ⁵⁰ guine. Salerni & Bisiniani principes, Meliti & Lauriæ Comites, qui in ea vrbe erant in- fensi maxime Aragonio nomini sibi per conditiones adiunxit, sed fide parum constanti. Intempestiuo quidem eius principis obitu, multorum animi ad nouas spes nouasq; molitiones excitati sunt; ac nominatim Neapoli & Romæ ad Regem Catholicum res Neapo- litanas recidisse quidam prolatis de scripto vetustis iurib. & tabulis confirmabant. Eæ vo- ces Pontifici & aliis Italæ principibus accidebant ingratæ, iis etiam qui vera dici iudica- bant. Sua cuiq; tuendi præcipua cura erat, graue Hispanoru Regis potentiam noui & ma- gnii principatus accessio augeri. Imbecillu Regē vicinū habere potius volebat. Gōsaluus qui aliorū conatib. obsistere vnu poterat, arce Cōsentina impugnāda districtus, ea capta & Obenigno

& Obenigno in Galliam pulso, vniuersaque adeo Brutiorum prouincia breui subdita. Nolam abiit: atque in ea vrbe relicto milite, Neapoli Reginas matrem & filiam inuisit, luctum & mœtorem, quo erant oppressæ, sua præsentia & accommodatis officiis leuatorus. Vrgebat contractis copiis nouus Rex Caietam obsidione, atque omnibus viribus impugnabat: quo tempore Obenignus pedestri itinere Romam petens forte an consilio in ea loca peruenit. Is Regis concessu in vrbe ingressus obfessis auctor extitit deditio-nes per conditiones maturandæ. Defensionis spem nullam superesse Gallia longinqua sio Rege aliis curis districto. Satis molestiarum diuturna obsidione tolerasse. Non videri amplius laborandum. Ita vrbe dedita Galli rostrata naui & duabus onerariis discesserunt in Galliam. Miraculo est habitum è duabus nauibus alteram mari haustram ad littus alte-ram Terracinæ eiectam fregisse. A templorum spoliatoribus dona auro & argento gra-uia & sacrorum instrumenta reliquumq; apparatum nulla religio his cura vehentibus eas poenas scilicet habuerunt locorum præsides tutelaresq; diui. Sic opes male partæ pereūt, perduntque possessores. Cæsar, vti erat pollicitus transscensis Alpibus in Insubres arma-tus irrupit. Mille equites, pedites quinque millia sequebantur nomen magis quam robur exercitus. Præcipua spes in Italicas copiis. Itaque Mediolanensis Dux se cum illo coniunxit. Sabaudus & Monferratus imperii beneficiarii, quamvis Asta euocati venire negle-xerunt, inane sine viribus maiestatis nomen spreuere. Idem fecit Ferrariensis Dux tam-etsi Mutinam & Rheygium Imperatorum beneficium obtinebat. Genuam tueri erat pro-positum aduersus Galli conatus missa classe & ope Rouerei Sancti Petri Cardinalis alio-rumque ciuium eam redigere in potestatem contendentis. Pisanos præterea tegere ani-mus erat aduersus Florentinos omnibus viribus conantes eos ad pristinum ius ditionem-que reuocare oppressa quam à Gallo acceperant libertate. Illi quoniam pares viribus non erant, vt atreptam libertatem retinerent, ad aliorum Principum opes supplices confuge-rant. Ac Venetos nominatim ad vires communicandas solicitarant quiduis perpeti ob-stinantes, ne iugum seruitutis grauissimum atq; intolerandum à Florentinis reponeretur, extremum malorum. Eam prædam Dux Mediolanensis Venetis eripere cupidus ac vero eius urbis possessionem ad suum principatum adiungere, auctor Cæsari extitit vt Pisano-rum patrocinium fusciperet. Quod ille libenter fecit: ac Liburnum vltra Arni fauces po-situm oppidum nobile portu circumsestit præsens. Conatus inanis fuit; obsidione soluta cum ignominia discessit. Pudenda actionum inconstantia agebatur: neq; satis principi-bus fidebat, à quibus erat euocatus. Ita de reditu in Germaniam cogitare cœpit nulla de-coris cura. De ea re Ticini deliberatione suscepit, cui conuentui cum aliis Dux Medio-lanensis interfuit, Bernardinus Caruajalius Cardinalis à Pontifice legatus, vt Principum fœdus promoueret, accommodata oratione persuasit, vti dilata tantisper profectione re-bus Genuensibus opem ferret, quæ in periculum veniebant propter Galli conatus eam vrbe suæ ditionis facere cupientis. Cū ex Hispania est allatum inducias enim uero Re-ges Gallum inter & Hispanum paetas spe haud dubia pacis porro perpetuæ inter se san-ciendiae. Id Italicas rationes vehementer conturbauit: ac Cæsar vt ardentius in disceden-di voluntatem incumberet effecit. Inducia ab Hispano hac occasione sunt cōcessæ. Quo tempore bellum ad Neapolim maiori impetu gerebatur. Hispanis noui ex Gallia terrores ostentati. Irruptionibus quæ per Ruscinonenses identidem siebant irritata ea gens vindicare haud dubium parabat. Delectus militares in Gallia ingentes ac reliqui bellici appa-tatus, imminere Hispanis finibus tempestatem manifeste indicabant. Ea cura Ferdinandus Rex Catholicus eo propius accedens Gerundiæ aliquandiu substitut cum delectis co-piis, quæ ex omni parte ad periculum confluerant gentis in arma promptæ. Verum au-tumno præcipiti cum nihil ex Gallia moueretur, dimissis Rex copiis & plerisque militib, alio atque alio dilapsis in Castellam redire atque Burgos festinare constituit: quo Regi-nam occurtere mandauerat filii principis nuptias cum Margarita sponsa celebratum. Ea profectione cognita Rex Gallus Ruscinonenses idoneo præsidio nudatos atq; opportu-nos iniuriæ cōtracto raptim exercitu, decem & octo millia milites ductore Carolo Albo-nio Sanctanderii regulo produce Borbonio Narbonensi limiti ea parte præfecto in His-paniæ fines irrumpere mandat. Sic ad quintum decimum Kalendas Nouembbris qui di-ies Veneris fuit, Salsulæ in aditu Hispaniæ posita arx iis copiis est circumsestta. Murus erat veteris structuræ, neq; idoneus tormentorum iictib, sustētandis, quæ pestis igneo vomitu & globis ferreis obuia quæq; prosternit. Militum qui erant in præsidio virtus hostilē im-petum diu sustinere nō potuit. Die proximo oppido per vim expugnato, arx etiā ad dedi-cutionis cōditiones redacta est. Aduolauit Hericus Comes ad præsidiū, & cū iis copiis, quas contrahere potuit, ad Ribafaltas constitut quatuor passuum millibus dissitum oppidum.

Seru opitulator arce iam amissa. Quod erat proximum ad nominis existimationem tuerendam, hostem, qui deserta arce quam tueri non sperabat, se ad vicinos montes receperat locorum asperitate magis confusus quam viribus infestus est pugnandi si copia esset, certa voluntate. Constiterunt ferme in conspectu vtraque castra dies aliquot. Ventum ad manus non est: aetum tamen per internuncios de foedere. Sanxere itaque ut ea parte quidem positis armis inducere essent usque ad octauum decimum diem mensis Ianuarii anni proximi Millesimi quadringentesimi nonagesimi septimi. Nihil est in bello tam leue quod maiorum rerum momentum non sit. Itali principes ex iis induciis suspicati Regem Hispanum communis causa & foedere deserto sibi priuatim consulere. Quae suspicio manauit latissime. Cæsaremque iam dudum de feditu cogitantem impulit, Italia deserta nullo tantæ molitionis pretio in Germaniam extemplo ut festinaret præceps & pauidus.

1497

Dux Gaudiæ occisus. CAPUT XV.

Simul Virginius & Iordanus Vrsini ad Neopolim vinclati sunt magna multorum inuidia, & vinculorum suorum auctoritate Alexander Pontifex in eius familię oppida & ditio- nem inuolauit, quam obtinebant amplissimam in agro Romano. Præcipui duces ei bello designati Gaudiæ Dux, Vrbinas, atque Fabricius Columna aliquot initio oppidis captis Bracianum obsidebant situ & ope firmissimam arcem. Carolus Vrsinus & Vitelocius pecunia ex Gallia aduecta, delectibusque militaribus institutis equitum peditumque, obfessis opem ferre decreuerunt. Trecetos grauis armaturæ equites, leuis armaturæ quadrin- gentos, pedites bis mille & quingentos sub signis habebant. Cum his copiis Vasanum Pontificis ditionis oppidum impugnare statuerunt. Validum municipium auferre Pontificis è re famaque videbatur: Certe Pontificios auxilio venturos soluta Braciani obsidio- ne haud inepte cogitarunt: futuramque pugnae copiam ex æquo. Non fecellit coniectura, hostes quamvis minori numero Vrsinis obuiam procedunt pugnandi destinata voluntate. In victore exercitu amissi eius oppidi ignominiam hærere graue existimantes atque intolerandum. Ventum ad manus ad nonum Kalendas Februarii. Motu loco initio Vrsi- norum acies in vicino colle constituerunt loci munitione magis quam armis fretæ. Fa- bricitus Columna cum copiarum parte æquiorib. tramitis circuire collem, hostesque 30 adoriri à tergo parabat: cum illi Pontificiorum paucitate qui in acie perstabant, confide- rata in eos præcipites feruntur eo impetu, quem illi imminuti numero nihilque minus expectantes non tulerunt. Cæsi omnes versique in fugam. Gaudiæ Dux vulnere in facie accepto euasit, Vrbinas captus est. Nobilis victoria ad famam, vsu salutaris fuit. Oppida quæ erant ablata ad victores ferme redierunt. Ipse quoque Alexander Pontifex maioris mali metu & re necessaria magis quam sincera voluntate Vrsinos recepit in gratiā. Gon- saluuus quamvis bello Neapolitano nondum confecto Romam cum militari manu pro- fectus Pontifici adiutor, eius concordię constituendæ præcipius auctor extitit: eoque merito Vrsinorum familiam viris armisque præualidam Regi suo conciliauit. Quibus re- bus constitutis Pontificis hortatu eiusque in gratiam Ostiam abiit, quæ vrbs Gallico 40 que dum præsidio tenebatur. Menaute Guerri Præfecto, tanta ex eo molestia vrbis Ro- mæ, vt non secus ac si hostis pro portis esset & circu mœnia, annonæ angustia laborarent. Magnæ difficultates opponebantur, ardua arcis mœnia, munitiones adiectæ validum præ- fidium, in multis dies comparatus cōmeatus. Virtuti cessere difficultates. intra octauum diem ab Hispanis admotis scalis capta per vim: & Præfecto tamen se tandem dederint vi- ta multaque blandimenta in fidem accepto data sunt. Multum ad eam vrbe capiēdam Garsiæ Lassi pro Rege catholico legati apud Pontificem industria virtus que contulit, at- que ea prudentia qua nemini sua ætate concessisse visus est. Gonsaluuus cupiebat ea expe- ditione confecta in regnum Neapolitanum redire arces impugnatum, quæ à Cardinali Sancti Petri Juliano Ruuereo Gallicis partibus addictissimo ad fines eius prouinciae ob- tinebantur. Adit Pontificem, discedendi facultatem petit, sermone longius produc- to Reges Ferdinandum & Isabellam in eius ære esse Pontifex ait, neque in officio responde- re tamen, vt erat opus, & collata beneficia postulabant. Ingenium eorum nemini æque ac sibi esse notum. Credo equidem, Gonsaluuus subdit, tibi esse notos quorum in ditione es natus. Quod vero addis nulla eorum in te officia extare: nimis oblitus es eorū Re- gum ope & auctoritate stare tibi pontificatum, in tanta quamvis licentia actionum aulæq; vniuersitatem morum perueritate. Ergo quæ collapsa sunt, seueriori censura in pristinum sta- tum restitutas moneo priusquam meus Rex religione prohibeat ei fauere qui suis mo- ribus vniuersum orbem Christianum foedare, prauoque vita exemplo multis exitio esse videatur.

videatur. Adiecit alia quæ ira dedit: recensuitque sigillatim beneficia collata à suis Regibus multa & magna. Pontifex victus conscientia scilicet & audacia hominis militaris pertinacius, cui loquendi fiduciam misera temporum & morum conditio dabat, mutire non est ultra ausus. Malorum etiam colluuiies, qua ex eo fonte orbis Christianus premebatur, Castellæ & Lusitanæ reges impulit repetitis legationibus Gonsalui exēplo tantundem à Pontifice ut postularent. Verum frustra omnis opera sumebattir frænanda impotentis ingenii prauitate, ita formatis auribus ut acerba quæ vtilia, & nihil nisi iucundum & nocuum acciperent. Quin paulo post in Cardinalium cætu ubi de regno Neapolitano Friderico confirmando actum est, Beneuentum Pontificiæ ditionis yrbem Gandiæ duci, ut 10 traderetur, serio agitauit. Præterea destinatum habebat iis Regibus tributi, quod annuatim ecclesiæ Romanæ pendere iure fundi consueuerant, gratiam facere, mutare principatu, quem Gandiæ Duci dari volebat in ditione centum aureorū millia valore exæquatem. Restitit coram Garsias Lassus effræni cupiditati augendi suos: ac disertis verbis denunciauit suo id Regi curæ fore si secus esset decretum: neque passurum ut Beneuentum in cuiusquam gratiani ecclesiæ detraheretur quocumque tandem prætextu, rationeue. Parum ea diligentia fuisset profectum, nisi quem neque ratio à furore neque pudor à prauitate continere poterat, eius rationes conturbasset Ducis Gandiæ repentina sœuaque mors. Id qua ratione contigerit explicandum est. Nocte quadam ad octauum decimum Kalendas Iulias ex hortis, ubi cænati erant, dux & duo Cardinales Valentinus & Borgia 20 se dormum referebant. Diuertit de via dux cum vnico à pedibus famulo: quem etiam a se dimisit arma quæsitū. Fecit ille ut erat imperatum: verum in redditu herum non inuenit: neque vero die proximo omnino intelligi potuit ubi esset. Mula tantum qua vehebatur ad Flaminiam portam Vrbis est inuenta indicium aduersi alicuius casus. Maiori diligen- tia & inquisitione cognitum è nauiculario est de media nocte è cymba in qua pernoctabat, vidisse hominem è mula qua portabatur ab alio in clunibus insidente & duobus ab utroque latere ad extreum pontem ubi ventum esset, in subiectum flumen præcipitem, datum. Rogasse qui in mula sedebat, an mergeretur: ac duobus affirmantibus, discessisse omnes. Loco à nauiculario designato vrinantes ad imum usque flumen quæsitum diligenter corpus inuenere nouem fœdatum vulneribus cum vestibus ac reliquo omni or- 30 natu. Autor cædis qui esset, explorati non potuit. Multi suspicionibus exagitati. Quidam ab Ursinis occisum putarunt, iram in patrem conceptam in filium expromentibus scilicet. Alii Ascanium Sfortiam Cardinalem sigillare haud minori odio incensum in Borgias. Cæsaris Valentini Cardinalis fraus suspecta erat aliis, & paulatim in plures cœpit manare suspicio. Quæ fama præualuit, quasi inuidia stimulatus, quod in Gaudiæ principatu minor ætate frater ipsi esset antea prælatus, dolorem ea cæde vindicasset. Verum quis statuere possit: quis vulgi linguam & pronunciandi temeritatem frænare: odium in Pontificem conceptum efficiebat, ut proclui in deterius persuasione populos sinistra interpretatione cuncta acciperet. Nempe infensem semel principem alienæ sæpe culpæ grauant. Ex Duce filius item Ioannes nomine relictus est paterni principatus hæres diu superstes 40 atque ex duobus coniugiis numerosæ deinde prolis pater.

Ioannis Principis Hispanie nuptiae. CAPUT XVI.

Quæ classe Ioanna princeps in Belgas nauigauit, Margarita Archiducis soror ex aliquanto interuallo in Hispaniam vœta est, ad Ioannis Principis nuptias permutacione alterna inter fratres sororesque pacta. Mense Martio ad Santanderii portum appulit. Rex sacer & sponsus obuiam sunt progressi. Ad Reinosam in manus conuenere: nuptiae Burgis initio mensis Aprilis celebratae apparatu & lætitia post hominum memoriam singulari. Nuptialia sacra Toletanus antistes peregit, auspices adhibiti Fridericus maris Præfectus & mater Maria Velasca. ut in aula Margaritæ, ministeria mutarentur Rex nō permisit: ac dedit potius ut suo arbitratu retineret eos aulicos, qui gratissimi ob communem originem, linguam, moresque essent. De pace inter Regem Catholicum & Gallum per conditiones constituenda agebatur. Ferdinando Stradæ in Galliam pro legato ire iusso rei perficiendæ imprimis demandata cura. Pacis sanciæ facultas nondum erat, neque tempus opportunum. Lugduni huius anni initio induciæ generales sunt pactæ cum Hispanis quidem ducto principio à quinto Martii die, cum aliis autem fœderatis principib. si vti vellent, septimum Kalendas Maii. Earum finis esset Kalendis Nouembribus sine discrimine. ea enim uero causa Gonsaluo exitit discessus ab urbe Roma maturandi, ne ob pactas à suo Rege inducias cogeretur arma ponere prius quam arcæ quæ à Cardi-

nali Sancti Petri in regno Neapolitanō tenebantur, in potestatem venirent. Quod præstare tamen non potuit militari seditione intempestive excitata. Pactis induciis agebatur inter duos Reges nihilominus de pace, ne ad arma redire esset necesse. Fridericum Regem Neapolitanum Galli præpter paternos natales vitiosos iniuria id regnum occupare priores accusarunt. Eo excluso ius regnandi ad Gallum necessario, aut Hispanum pertinere. Præstare positis armis illud inter se per conditiones partiti. Non displicebat ea conditio Ferdinando, neque dubitabat totam cōtrouersiam Cæsaris arbitrio permettere. Recusabat Gallus ius suum minime dubium, vt ipse videbatur, ad iudicium examen vocare. Ferdinando tamen si regnum id sibi cederet, æquam compensationem offerre aut in pecunia, aut alia quapiam ratione: vñque eo vt Vasconum regnum se daturum polliceretur: 1. quorum reges habere Ferdinandus suspectos cooperat, Labretis & Fuxensibus, vñ natūra cogebat, ad Gallos nimium propensis. Ad Medinam Campestrē quo Galli legati venerant, de re tanta disceptatio erat instituta. Studio ii prouecti sui Regis nomine Brutios & magnam Græciam in extrema Italia pacis premium promittebant; ea tamen exceptione, vt si reliquo regno subdito victor Gallus eam etiam prouinciam suæ ditionis facere vellet, Vasconum regno mutare liceret: additis tamen triginta aureorum millibus annuis exæquarentur cum eius prouinciæ, minora Vasconum regni vestigalia. Gallicis pollicitis ita mouebatur Ferdinandus, vt belli potius odio mallet Friderico regnum confirmari tantum pecunię daturo Gallis quantum delecti arbitri pro factis in superiori bello sum pribus iudicassent, annuo quinetiam tributo adiecto, quod in omne tempus penderetur. 2. Quo fœdus esset stabile, Ferdinandus Dux Calabriæ Friderici filius natu maior Borbonii Ducis filiam ex Regis Galli sorore natam duceret, dotis nomine veniam & pacem in eam fegiam illaturam. Honestæ conditio. Sic Gallici legati sunt dimissi. Et quoniam induciarum tempore decursu metus suberat reddituros ad arma Gallos Rex Catholicus nihil de sua comparatione remittere à multo vñ cautus attentusq; Vascones imprimis frænare erat propositum, vnde bellici terrores vel maxime ostentabantur. Ita ab iis Regibus atques in suam potestatem contradi fidei pignora volebat, certe arcium præfectos nouo in eius verba sacramento fidem astringere. Ad hæc Bernardinum Velascum equitum in Castellæ magistrum limiti ea parte præfecit, ne se Vascones possent commouere. Non minor de Ruscinonensibus cura erat, ne per eos fines Galli in Hispaniam irrumperent duce destitutos. Quoniam in populari tumultu inter milites & ciues forte Perpiniani concitato Henricus Comes ad sedandas iras egressus lapide ex solario temere iacto iactus perierat. Ergo in eius locum Fridericus Albanus Dux Gallorum conatus ea parte reprimendi curram suscepit. Classis etiam Hispanica ad ea littora accurrere iussa est. ductor Enecus Manricus. Atque hi bellici apparatus in Hispania erant neque nulli neque maximi. In Italia Fridericus Rex de suis rebus sollicitus delectus habere auxiliaque vndique conquerere. Duce in Mediolanensem imprimis in partes attrahere satagens geminis nuptiis oblatis eius, quoniam Hippolyta vxor superiori anno decesserat, cum Carlota sua ex priori vxore, sorore Sabaudi Ducis, filia. Maximiliano Ducis maiori filio Isabellam Aragoniam coniugem destinabat, sibi item ex Isabella natam Principis Altamuræ filia superstite coniuge. Honestæ conditiones neque repudiandæ prorsus præcipiti vtriusque familiæ casu caruerunt effectu. Simul à Romano Pontifice vt sibi regni eius possessionem suo diplomate confirmaret enixe contendebat, aduersus imminentes tempestates non leue stabilimentum. Id vt assequantur Borgiis se multa largiturum pollicitus. Ita exorato Pontifice non multo post Valentinus Cardinalis missus Neapolim iurato in pontificis verba quasi beneficiario coronam capiti imposuit. Affuit toti cæremoniæ Archiepiscopus Consentinus. Populus non secus ac si pacata prouincia esset prompta adulacione gratia haud diurna, eius diei lætitiam ludis, conuiuiis, & exquisito apparatu, ac sumptu celebrauit. Rex etiam se in eos munificum exhibuit, quorum præclara opera extiterat. Itaque peractis sacris voce præconis Prosperum Columnam Traiecti Ducem Fundanum Comitem esse iussit, Fabricium Columnam Talliacozzi ducem, Gargani Magnum Gonfalum. Piscarii Marchionis extinti fratrem Enecum Daualum Vasti Marchionem deuiniciauit. Plura alia multis è nobilitate largitus est. his debita dimittere, aliis dare immunitates nulla in posterum cura regnum lacerare. Omnium voluntates ea beneficentia promereri erat propositum, qua popularium animi maxime capiuntur. Munificentiam celebrabat vulgus, quidam etiam pecuniis mercabantur. Sapientes irrita iudicabant, quæ neque dari neque accipi poterant incolumi imperii maiestate. Antonelus Sanseuerinus Salerni Princeps celebritati non interfuit. vocata quamvis per editum

Etum vniuersa nobilitate venire renuit. Nouorum motuum ea fundamenta erant: præsertim ad eam noxam munitis arcibus denuo atque armis & comeatu comparato. quæ noua culpa erat, alienata voluntatis argumentum haud dubium.

Lusitani in Indiam penetrant. CAPUT XVII.

VNO tempore Europæ quidem prouinciaæ ac præsertim Italia præsenti malorum pondere, maiori itipendentium metu fatiscebat, extrema autem ad Solis occasum Lusitania diuturnæ pacis bonis omnibus & felicitate florebat domi; foris conspicua impenrati finis ad remotissimas gentes proferre, Euangeliq; lucem ad postremos orbis terrarum fines accendere, ad ipsosq; adeo Indos penetrare cogitabat. Consiliū ausu temerariū visum, euentu salutare extitit ingentemq; deinde gloriam genti peperit patresq; opes. Henricus Eduardi Regis frater ingenti spiritu vir primus oratione in eam cogitationem incubuit nouas orbis regiones inuestigandi: annuens sariisq; classib. Australēm cœli plagam ex plorare iussis ad extima Africæ littora, quæ inflatis immensum Oceani fluctib. quatitur, nouas insulas, gentes incognitas inuenit. Præclaros eius cortatus abrupit mors: quæ incident in salutis humanae aetatum millesimum quadragesimum sexagesimum aetatis septimum & sexagesimum. Clarissimum Principem immortali gloria, tum ob alias virtutes & castitatis cultum nullo per totam vitam fœmineo contactu fœdatæ, tū præsertim propter eam nauigationem ingenti ausu tentatam. Per se parum (etenim non multum processit) magni momenti locum obtinuit tempore consequenti. Destitit Alfonsus Rex Eduardi filius incepito non voluntate certaq; sententia, sed motu temporū impeditus & continuis calamitatib. aliis super alias ad vitæ exitum exercitus. Eius filius Ioannes eo nomine secundus, ardentis ingenio princeps eo repetito conatu dimissis idetidem classib. Africæ & Æthiopæ littora longe lateq; aperuit ultra medium cœli plagam antiquis incognitam inaccessamq;. Neq; cessavit in opere priusquam immēsa Africæ littora in promontorium desinere cognitum est flexu terrarum in Orientem factō, cui à cōtinuis maris tempestatibus Procelloso nomen fecere nautæ: Rex ipse omnis causa Bonæ spei nuncupauit, & quoniam eo circumflexo sperabat ad Asiam & Indiam Orientalis oras posse nauigando penetrari, inconcessam laudem vlli antea mortalium; Orientisq; opes immētas & copias in Lusitaniam auertere. Sic promontorio, id est nomen loquentium vsu confirmatum. De iis regionib. certiora allatuos terra prius Petrum Couillaniū & Alfonsum Paiuam Asie atq; Africæ penitentes recessus exploratum misit, vt competenti loco explicatū est. Couillanius quidem Asie littorib. emensis Cairum Ægypti vrbē primariam rediit. Inde Pauiæ obitu cognito, quæ initio mors oppressit magnis s̄epe aduersa conatibus, in intimam Æthiopiam, qua late Presto Ioannis imperium patet, penetrare porro instituit. Ab eo principe reditu in patriam prohibitus ad suum Regem tamen visa explorataq; de scripto concepta explicataq; sigillatim cunctorum ratione misit: nullaq; deinde dandi litteras facultate pro mortuo habitus est: donec consequenti tempore, quid illi acciderit Lusitani aduentu suo in Indiam cognouere. Interea post Ioannis Regis fata Emanuel rerum cura suscepcta continuo animum ad eam maturandam expeditionem retulit. De re tamen tanta in consilio prius deliberatione suscepta, variæ, vt fit, dictæ sententiae. Pars longinquā adeo nauigationē auersari. Ingētia pericula, exigua cōmoda, parum spei. Si gloriā si vtilitatē sequeretur, ex Africano cōmercio & Æthiopico mari satis magnos fructus suppetere. Quid maiora viribus captarent? quid præcipiti temeritate in certum exitium ruerent? Præstare gentem Lusitanæ campis desertisq; latissimis colendis exercere, quam maioris lucri spe otio & desidia prouinciales corrumpi, mores patrios inuerti. Quod deinde malum emendari non posset. Alii procedendum in opere contendebant. Neq; enim eatenus esse cur incepiti pœniteret: vt aucta ex eo commercio vestigalia regia arguento erant. Magnis conatib. aditus primos arduos semper à generosis animis vinci, iisdem difficultatib. ignavos homines obrui. Si cauti nimium esse velimus, quis ingentia facinora vñquam aggredietur? Nihil gratis mortalibus natura dat. Timidos fortuna seu Deus destituit, fortibus adest. Modum quibusdam placebat nauigationi præscribere. Africæ littora explorari vniuersæ, neq; ultra procedere. Honestum & commodum certis finibus includi: cupiditati nisi frænos iniicias, immensum efferi: neq; cessare nisi in præceps dato eo, qui obtemperandum duxerit. Lusitanæ viribus & copiis si extensas immensum Africæ regiones apertirent, fore satis. Suo se quemq; metiri pede esse verum. Inter variantes sententias, in qua plus dignitatis erat, ea vicit in concilio; & secundum eam Rex incepto progrediendi destinata voluntate, quatuor naues instrui omnib. rebus mādat. iis Vasco Gama præficitur

magnorum spirituum vir, eoque vel maxime idoneus ad nouum iter nouamque navigationem tentandam, qualem ab illa memoria aggredi nemo ausus fuerat. Socii adiuncti Paulus Gama frater & Nicolai Cœlius, aliique viri præstantes, ad hæc centum & sexaginta pars nautæ pars milites. Exigua manus, ingens incœptum. Regium vexillum sacra precatione lustratum de more in Diuæ virginis templo ab Henrico olim Principe primo totius nauigationis auctore in littore Olisiponensi extructo: quibus deinde vestigiis, auctis Indico commercio vœtigalibus Emanuel Rex nobile monasterium Bethleem dictum Hieronymiano ordini constituit. Ex eo loco consensis nauibus soluerunt ad septimum idus Iulii, inter multorum qui abeuntes ad littus prosequabantur lachrymas & lamenta, ut non felicem nauigationem precari, sed funus efferre viderentur, quos nunquam visuros certo sibi persuadebant. Illi tamen læta fronte, anxiis animis explicatis velis Fortunatas insulas petiuerunt: inde Viridis promontorii insulas: quas antiqui Hesperidas dixerunt. Eas insulas præteruecti, atque quæ in eo numero est præcipua & à diuo Iacobo nomen habet relictæ, directis ad ortum proris sinu vastissimo enauigando multis procellis obnoxio tres menses consumperunt, priusquam terram è Charchesiis intueri omnino possent. Cœlum vndique tantum & mare. Donec ultra medium cœli plagam decem gradibus visa terra ad amœni fluminis ostium applicuere naues multis opacum arborib. aquandi necessitate, & ut se à iactatione maris reficerent. Gens erat colore fusco, capillo criso & brevi, nudis corporibus, tiguria è paleis & ramalib., piscibus sole duratis, pomis, & herbis quas sponte terra fundit, vitam tolerant, nullo in mutuos usus ne cum finitimis quidem commercio. Cum iis per nutus, quoniam lingua prorsus erat ignota, inito commercio, vilibus scrutis regionis fructus & pecora mutarunt, commeatum reliquæ nauigationi. Sinu sanctæ Helenæ flumini diui Iacobi indita ex eo tempore nomina. Repetita nauigatione Bonæ spei promontorium superare conantes, continuaq; fœuissimis tempestibus iactati identidem de salute desperabant. Prorsus ut socii duce circumfisterent obtestarenturq; ne præcipiti temeritate rueret in exitiu, quid eū maris sequitia, quid cū cœlo luctaretur? quid negatā omnib. viā temerario conatu tentaret? De reditu cogitaret potius, eam salutis vnam spem esse scilicet reliquā, tenuem quamuis & exiguae. Inuicto Gama postulabat animo, neque sociorū lachrymis & obtestatione mouebatur. Contra horari fortibus attimis inanes ponerent metus. Adesse finem omnibus votis expeditū, iam nihil gloriæ deesse, nihil obstare virtuti, labore non maximo incognita nisi immortalibus esse visuros. Salutaria moneti metus obstruxerat aures. In necem eius conspirant, unius capite aliorum omnium salute in redimere cogitantes. Indicata à Paulo fratre coniuratio ne naucleros in vincla ferrumque dat: ipse nauis quia vehebatur gubernandæ curam arrepto clavo suscipit. Summa contentione ad extremum promontorium tandem luctando cum fluctibus peruenit. Frequentes & amœni agri visabantur, sylæ præcipua viriditate, proceris & opacis arboribus vestita littora. Eo promontorio circumducto ad duodecim. Kalendas Decembris, quo tempore solis ad Austrum inclinantis vicinitate maxi- mi æstus in iis regionibus vigent emensisque porro quinquaginta circiter leuis sinus occurrit, cui à sancto Blasio nomen est factum. In medio sinu insula iacet spatiis angusta vitulis marinis referta. Ad eam insulam applicuerunt naues aquandi necessitate. Incolæ ea parte similes iis erant qui aduersa littora Africæ late tenent, fusco colore, nudo corpore, genitalibus modo in ligneam vaginam conditis. Elephantos terra alit, & boues quib. pro iumentis vtuntur sarcinariis. Aues visuntur implimes anserum magnitudine alis membranaceis vespertilionum in modum. iis non ad volatum vtuntur, sed ad cursus velocitatem incitandam. Ex iis locis profecti lenta quamuis nauigatione propter maris rapidi & reciprocantis fluctus aduersos, ad regionem tandem peruenirent, quam incolæ quidem Zanguebarem dixerunt, nostri à Christi natali nominarunt à die quo eo applicuerunt, indita sinu appellatione fluuium, qui ea parte in mare mitit Regum dixerunt, quoniam quo die Magorum ad Christum aduentus memoria anniversaria celebratur egressi aquatū è nauibus in littus sunt. Maris æstus nihil remittebat, neque aduersæ & fœdæ tempestates. Ergo vitata terra in altum progressi, Zofala non visa tunc, quod præcipuum in iis littoribus oppidum occurrit, venis auri imprimis nobile, ultra illud prouecti gentem considerarunt, minus quam priores coloratæ, cultu aliquanto elegantiorem, quantu ex gestibus & signis licebat coniicere, maiori humanitate & moribus cultioribus. Æneas armillas in brachiis gestabant: viri insuper pugiones staneis capulis. Lingua erat prorsus ignota, nisi quod inter alios quidam Arabice nostris secundam salutem renūciauit: nō procul versari in cōmercio naues Lusitanis haud absimiles tum formam magnitudine. in iis homines colore candido negociari. Ea denunciatio gratissima accidit,

accidit; quod quiuis ex suo sensu æstimare potest. Indiam enim ex iis notis à barbaris ignaris designari intellectum est. Itaque in vota precesque conuersi Deo gratias immortales egerunt concinente hymnum, vt tantis muneribus cumulum, tantis laboribus felicem exitum adderet cum lachrymis postularunt. Simul ex eo flumini vicino Bonorum signorum indidere nomen tantæ lætitiae posteris monumentum. ad hæc columnam in litore crexerunt Raphaelis archangeli indita appellatione, quod ad eum terrarum & maris tractum nomen ex eo deriuauit: atque è decem hominibus, quos capitalia in Lusitania promeritos morteque in exilium mutata secum adduxerant ea causa, duos ibi reliquerunt, qui gentis linguam addiscerent, & totius regionis ingenium, mores & naturam explorarent. lætitiam ex ea spe conceptam maximam haud dubium, multorum aduersa valetudo obscurauit. Ginguis intumescentibus multi absumpti sunt. Grauitatem cœli quidam accusabant; alii falsamenta, quibus tandiū sustentabant vitam. Insalubrium ciborum insolentes succi, itineris labor, animi ægritudo, nouumque cœlum mōbos vulgarunt. Mensem integrum iis in locis traxere moram non minori periculo quam molestia. Inde Mosambicum itum est vrbem in insula exigua positum è quatuor continentí proximis quinto decimo vltra æquatorē gradu, vigesimo à Bonæ spei promotorio commercio nobilem propter confluentes vndique magno numero ex iis regionibus mercatores. Incolæ religione Mahumetani erant colore subnigro, bombycinas vestes distinguente auro, tegumenta capitum è linteo in spiram complicato præcipua magnitudine.

Ex humeris pendebant acinaces, læuia gestabant scuta. In eo habitu consensis myoparibus ad visendas nostras naues venerunt. Accepti benigne atque habiti. Ex iis sciscitando cognitum est vrbem eam Abrahe mi Regis Quiloæ ditione teneri vrbis in iis littori bus nobilis vteriusque positæ. Rebus ab eo gerendis præfectum Prætorem, quem Arabice Xequem vocant, & alioqui proprio nomine tunc Zacoeya nūticupabatur. In eius Prætoris gratiam datis muneribus insinuati nostri impetrarunt duos naucleros maris peritos, qui nauium cursum in Indiam dirigerent ne in vada aut scopulos incidenterent. Atq; initio quidem incolæ nostros Sarracenos occiduos persuasi eos humanitatē acceperunt: ea vero initæ amicitiæ causā. deinde cognito Christianæ religionis esse cultores benignitatem odio mutarunt: ipsi quinetiani nauigationis duces natatu fugientes naues in alto destitutas deseruerunt. Tormentis Lusitani in vrbem directis versantes in littore quosdam peremere magno reliquorum omnium terrore: quorum ad oculos & aures ea fulgura & tonitrua insolita prorsus accidebant. Prætor imprimis ad imas preces descendens placare iram quacumque ratione cupiebat. Ergo condonata noxa nauclerum accepisse itineris ducem satis habuerunt haud minori perfidia quam priores. Omnia eos Quiloæ Regi in potestatem tradere satagens gentem Christianam ea loca tenere prædicabat, ex iis quos Abissinos vocant. Si ad eam vrbem appellerent hospitiū ius commeatusq; omne genus fore facultatem. Blandis verbis & pollicitis deceptos & periculo proximos diuinum numen eripuit. Inflato repente mari cum portum tenere non potuere. Alioqui in apertum discriminem venissent, vrbe præualida, Rege que ob ea quæ ad Mosambicum gesta audierat vehementer infenso atque in vindictam prono. Non destitit tamen Sarracenus nauclerus nostris continuata perfidia dolos nectere. Ergo suasit uti Mombazam pererent vrbem rupi impositam mari circumfluo ferme omni ex parte, portuque ex eo comodissimo insignem. Ex ea vrbe multi nostros studio visendi processere obuiam: cū quibus arcano conceptam perfidiam perfidus communicauit haud dissimili hominibus ingenio. Vis numinis quanta esset eo etiam loco apparuit in Lusitanos benigni hostibus infensi. Vascus Gama in ipso portus aditu, ne in proxima breuia incideret, repente demitti vela, ancoras iaci præcepit. Ibi nauclerus ex repentina nautarum discursu & ex conscientia perfidiam detectam veritus se in mare deiecit proxima terra. Idem eius exemplo fecerunt quidam eius vrbis ciues qui è nauibus nondum abierant. Naues tres tantummodo erant: nam quarta commeatis destinata, iis consumptis & propter nautarum paucitatem iam dudum fuerat incensa. Gratias nostri egere superis, quod manifesto eos periculo eripuisse: præterea nauclerum nauigationis ducem commodiorem breui nacti sunt. Sublati inde velis continuato itinere gemina Sarracenorum nauigia ceperunt, atque in iis captiuos omnino tredecim, nam alii in mare omnes prosiluerunt. Ab iis cognitum Melindem vrbem haud procul abesse ferme æquatori subiectam. Regem insigni humanitate esse, beneficium atque in aduenas hospitalem. Ea denunciatione animati nostri eo contendere decreuerunt. Vera esse quæ à captiuis audierant, deprehēdunt. Regi, eorum aduentus gratus extitit: & quoniam senio ipse prohibebatur naues inuisere, filium pro se vicarium misit: cum quo omni comitatis & benignitatis genere à nostris certatum

est. Secundum salutem & munera vtrinque data gratissimos sermones miscuere. Dedit is princeps nauclerum nostris. Gama contra tredecim, quos paulo ante ceperat, Sarracenos donauit gratissimum ei principi donum. Sic comparato commeatu nauibusque refectis, Lusitani discesserunt fide data in reditu eodem se venturos benignitatis regiae memores, & vt facultas esset oratorem in Lusitaniam mittendi per causam Emanuelis Regis amicitiam expetendi. Lenta nauigatio eatenus fuerat. Christi in vitam reducis memoria sacri solemnesq; dies transacti. Melinde tamen soluentes secundis prouecti flatib. vno & viginti diebus in Indiam laborum metam diu optatam peruerent septingentis ferme leucis inde dissitam. Ad tertium decimum Kalendas lunias terra ab speculatoribus visa paulo post duobus à Calecutio millibus iactis ancoris cōstitere. Caret ea vrbs quamuis totius Orientis celeberrima portu, & tempus erat minime tutum, quippe iis in regionibus hyems vel maxime sœuire cæperat, magnum naturæ miraculum, in quo mens humana considerando fatiscat. Malabar is regionem, ubi Calecutum est, erecti in nubes perpetua iuga montis interfecant, in promontorium desinentis quod Cori dixit antiquitas, nunc Comorinū vocatur. Ab vtraque parte pari altitudine cœli cardo surgit, media cœli plaga pari ab vtrisque distantia, & citra montes tamen mense Maio continuis imbris hyems iacipit marique fluētus intumescunt, ultra montes æstatis ardorib. torrentur campi & oppida, pelagus in malaciam componitur. Rem plane mirabilem, atque sine exemplo. Rationem eius discriminis reddere, diuinæ sapientiæ pelagus scrurari mente, explicare oratione num quis possit? Acutissima ingenia hac discutienda quæstione cœcutiant plane atq; hallucinentur. mentis oculis velum sœpe natura prætendit, ne possit recondita & arcana eius mortalitas assequi.

Quid Vasco Gama Calecutii gesserit. CAPUT XVIII.

Riusquam quid à Vasco Gama Calecutii sit gestum explicamus, operæ pretiū erit, ea-
rum Asiae prouinciarum amplitudinem compendio designatā ob oculos ponere. In-
dia omnis ab occasu Arachosia & Gedrosia, & Paropomissadaru finibus terminatur,
ad ortū extremos Sinas attingit, ad Septentriones Imao monte, qui est pars Caucasi clau-
ditur. Ab Austro Indico mari alluitur Oceanī parte. In duas vniuersa diuiditur, partes,
quæ citra, quæq; est ultra Gangem. tametsi nostri Indiae nomine angustius usurpato ap-
pellant Indiam regiones modo Indo & Gange fluminib. comprehēfas, nam & indigenæ
eum terrarum tractum Indestam vulgo vocant, & quæ ultra Gāgem vastis terrarū spatiis
extenduntur, alia nomina habent. Inter hæc duo flumina montes eriguntur perpetuis iu-
gis tendentes ad Oceanum, desinuntq; ad Austrum Comorino promontorio constituto.
Ad ea littora multæ gentes fusæ sunt. Præcipue inter alias, Cambaia ab ostio Indi flumi-
nis latissima prouincia, mox Malabares. In medio inter has gentes spatio exigua insula ia-
cet, mare à fronte tergum & latera fluuius claudit in gemina diductus brachia. In ea no-
bilissima vrbs Goa regni Decani pars nūc Lusitani in iis regionib. sedes imperii. Malaba-
res gens ineptis deorum superstitionib. miserrime seruiens in quatuor genera hominum 40
tributi sunt. nobiles quos Caymales vocant; Sacerdotes, qui & Brachmanæ sunt, præci-
pua auctoritate homines: milites Nayres diētos; postremo plebem ex agricolis & opifici-
bus constantē. Mercatores ferme sunt externi. Fusco colore omnes, vmbilico tenus nudi
incedunt, cætera usque ad tibias bombycina aut gossipina veste contegunt, acinaces ex
humero pendent spectaculum nostris insolens. Ritus & mores gentis insolentiores plane
sunt & feri. Ex uno cætera coniice. Fœminæ multis pro libidine viris nubūt. Ita patres te-
stamento filios quippe incertos hæredes non instituunt sed fororum liberos. Multos in
Reges diuisa gens erat. Regi Calecutii tanquam domino parebant cæteri, ex eo Zamo-
rinum vocabant hoc est imperatorem. Opes & à maioribus relictas habebat, & ipse lōga
imperii possessione ingentes cumulauerat. Lauta imprimis ciuitas & ampla Calecutium 50
est, mercatorum ex locis omnibus confluentium frequentia & mercatu aromatum præ
cæteris celeberrimum Orientis emporium. In media regione ad mare posita. Latissima
spatiis quoniam domus inter se coniunctæ non sunt. Sed late spatiabitibus syluis & virida-
riis diuisa. Regia tantum & deorum templæ è lapide extruuntur: priuatorum ædes è ma-
teria palmarum foliis & rama libis coniectæ: neq; plurib. sub' atæ tabulatis sed humiles.
Sumptuosius ædificare nobilib. iuxta ac plebi est vetitum. Is et at Calecutii rerum status,
ii gentis ritus & mores: quo tempore Vasco Gama ad eas regiones applicuit. Accurrunt
continuo multæ cymbæ ad naues studio visendi gentem insolenti vultu, hibitu cultuque
corporis. Gama è damnatis vnum in terram eiecit, mirabile spectaculum genti. Itaque ex
omni

Omni parte magno numero circumstant: neq; satiantur aspectu. Aderant inter alios duo mercatores Mauri Tuneti nati. iis ex habitu cognito Hispanum eum hominem esse, alter eorum nomine Monzayda Hispanice rogat, ex qua Hispania regione esset? Respondet ille è Lusitania. Tunc Maurus domū deducetum aduentus causam & totius nauigationis ordinem rogat: edoctusq; omnia ad naues ducem salutatus accedit. Acceptus benigne exponit, quo tempore Ioānes Lusitanus Rex Tunetū mittere solitus erat, qui arma telaq; compararent, se fidelem & assiduam operam in negotio præstisset. Ad hęc de regione vniuersa quæ scire opus erat, cuncta sigillatim exposuit. Diuinitus datum interpretem diceres. Postremo opem & industriam, si vti vellet, vltro obtulit. Die proximo Gama duos nuncios cum Monzayda in urbem misit, qui regi venisse se in eas oras renunciarent, nisi eius venia in terram nolle descēdere. Impetrata facultate sui ad eum Regis litteras perlaturum, & mandata quæ coram cōmunicanda de reb. magnis deq; iungenda amicitia acceperat. Agebat tunc Rex Pandarane oppido duob. ab urbe millib. paſſuum. Eo in oppido Gamæ nunciis facta conueniendi potestate dicendi quæ vellent, respondit nauiu ad ea littora appulsum gratum accidisse. Ad se Dux Lusitanus porro veniret: colloquiū fore gratissimum. Missurū qui ad se deduceret. Interim ex loco vbi in ancoris stabat, propter hibernum anni tempus procellis obnoxium ad Pandaranis commodiorem stationē appelleret naues. Sic factum. Post aliquot dies venit urbis Prætor (Catualem ipsi dicunt) vt Gamam in Regiam deduceret. Ille fratre suo pro se in nauib. vicario relicto cum manda-

20 tis, quando Regis colloquium detrectare non licebat supremo quamuis salutis discrimine, si quid aduersi contingere, reb. aliis neglectis in Lusitanā sublatis velis rediret quam primum Emanueli Regi totius expeditionis rationem nunciatum: & nihilominus ad omnes casus nauium scaphæ ad littus sibi præsto essent. His datis præceptis ex omni copia duodecim sibi socios adiunxit splendenti omnes cultu formaq; & corporum habitu præceteris præstantes. Nullus ea tempestate inter Indos equorum aliorumve iumentorum usus facultasve erat. Ita Gamam designati ad id baiūli ad regiam usque portarunt humeris sellaque sublatum. Accedentem honoris causa obuiam facti nonnulli Caymales excepterunt; & cum iis Brachmanorum antistes more gentis linteatus. Is hospitem manu apprehensum per multas cænationes induxit, quarum in uno quoq; ostio decem milites custodiae adhibiti scilicet excubabant. Ventum tandem ad conlaue spatiosum eteromallo viridi & bombycino stratum. parietes aulæa vestiebant ſericum distinguente auro visendo contextu. Gradus in theatri formam dispositi circum conlaue surgebant, procerib. destitutæ sedes. Rex in strato ornatissimo decumbebat goſſipina ueste indutus candoris eximii atreis distincta roſis. In capite pileus aureus tiaræ similitudine, brachia & crura de more gentis nuda ornabant armillæ aureæ annuliq; manuum & pedū digitis inserti iunctis gemmis aliisq; pari splendoré pretiosis lapillis. Color erat subniger, corpus procerum, habitu & gestibus dignitatem regiam & maiestatem haud dubie representans. Gama secundum salutem sedere vna cum sociis iussus facta dicendi potestate in hūc modum locutus fertur. Emanuel Lusitanæ Rex inclytus magnusq; princeps in studiū incitatus noua inauditaq; inuestigandi, cum principib. longinquis amicitiam foedusq; iungendi, qui præceteris fama ab animi magnitudine & potentia celebrantur, ac nominatim cōmotus iis quæ de huius regni nobilitate tuaq; præstanti virtute toto orbe terrarum prædicantur; ex ultimis cœli oris ad Solis occasum, nos misit eius te nomine salutatum tuamq; amicitiam expetitum. Nihil ad voluntates conciliandas morum similitudine pariq; animorum præstantia potentius est in Regib. maxime, quorum maiestas proxime ad diuinam conditionem accedit; & quo ipsi maiores sunt, eo plures amicitia & benevolentia complecti eorum arbitror. Sit ergo pretium primos in expetenda tua amicitia extitisse. in amore respondere à quibus fueris prouocatus generosi animi est. Quam coniunctionem, si utilitas spectatur fore utrisque commodissimam arbitror commercio duarum gentium tantis maris & terrarum spatiis dissitarum. Erit certe honorificū per omnes terras vulgari fama ex postremis cœli plagis venisse ius commercii vobiscum pacemq; rogatum. Secundum hęc verba litteras quas afferebat, obtulit Lusitanice Arabiceq; conscriptas, cū munierib. quæ ex præsenti copia parauerat, neq; nullius pretii neq; magni, sed sua nouitate spectanda. Lætus ea legatione Rex barbarus paucis: fratribus sui Emanuelis Regis voluntatem gratam extitisse ait: placere commercium foedusq; inter vtramq; gentem stare. Deinde multa tum de tota nauigatione tum de Lusitanæ reb. sciscitatus ducem & socios hospitio splendido accipi mandat. His rebus, vt fit, continuo fama & populari rumore vulgatis Sarraceni iNSTITORES, quorum erat in urbe magnus numerus, veriti non sine causa ne à Lusitanis quæstus spes maximi interciperetur, & ab insito odio in Christianorum nationem

vniuersam, re inter se communicata Regem & aulicos adeunt, mendaciis & fictionibus inuidiam Lusitanis conflare. Piratas eos esse, immanesque latrones humani generis hostes. Iis Calecutum admissis nouas sibi sedes necessario alia domicilia quærenda. Videbent an paucis prædonibus & toto cœlo disiunctis hominibus, deberent veteres amicos certissimis compendiis rem Malabaricam augere solitos posthabere nulla præfertim sua noxa. Malabares ingenio mobili sunt, parumque in fide data constantes, leui momento in varias partes versantur. Sarracenorum verbis & fraude decepti, Lusitanis inferre necem parant. Indicatis à Monzayda insidiis, occultis Gama itineribus ægre quamuis se se ad naues refert. Molitur aetatum ancoras. progressus in altum Indo cuidam litteras ad Regem perferendas dat expostulationum plenas aduersus Catualem imprimis: quem in benevolentia significatione hospitii iura violasse accusabat per summam perfidiam. Præterea Lusitanos quosdam & merces quæ præ festinatione in terra manserant, ad se mitti postulabat. Purgare se ad eas querimonias Zamorinus. culpam veteri Regum instituto in ministros conferre. datus nosæ pœnas. Verbis pulchris quia facta non respôdebant, Gama ad vim conuersus nauim, quæ prima se obtulit, facto in eam impetu cepit, atque in ea sex homines primarios cum famulis aliquanto numero. Eos ut liberaret Rex Lusitanus & merces ad Gamā misit, tum ad Emanuelis Regis litteras breue responsum. Cum eo responso Lusitani in patriam redire constituunt aditæ Indiæ confectæque nauigationis longissimæ lætitiam nunciaturi. Malabares restituti non sunt, idonei vtique quos in Lusitaniam deferent gentis specimen & primitias, instituta certe prouincia, insolentes mores & ritus cæteraque omnia ex iis cognoscere fore promptum manus Emanueli Regi Lusitaniæque vniuersæ oculis spectaculum ipsa nouitate gratum.

Vascus Gama redit in Lusitaniam. CAPVT XIX.

Priusquam Lusitani sublatis velis ex hostili regione discederent, Monzayda se in naues recepit, veritus ne fraudi esset cum externa & inimica gente commercium: nam capiti eius insidias quoque parari certū erat. Ea hospitii & initæ cum Lusitanis amicitiae merces. Et est omnis malitia suspicax. Præ festinatione bona in ea vrbe reliquit in Lusitaniam nauigare constituens: vbi sacro deinde fonte ablutus Christiani hominis officium reliqua vita constanter impletuit. Vindicare iniurias Zamorinus non potuit classe propter anni tempus in terram subducta: id vero ad audendum Lusitanis animos fecit. Sexaginta modo myoparones, quos instruere armatis potuit, in naues nostras inuecti coorta saeva tempestate disiecti sunt: nostris è contrario, qui lente nauigabant ea ventorum via data facultas est celerius se subducēdi à Calecutii cōspectu. Ad insulas paruas delati quæ ea vasti maris parte occurrunt, octo biremes piratæ nomine Timoia inuentas forte inuadunt, atque vna earum capta cæteras in fugam agunt. Anchediuam inde prouecti sunt sexaginta leucis inde dissitam insulam continentem vicinam. In ea insula dum armamenta componunt, multi ex vicino littore visendi studio ad naues traiiciunt. Inter cæteros qui dam Gamam Italicas verbis & more cum salutasset, secundum salutem Goam vrbum propinquam esse nunciauit. Zabaium eius vrbis dominum, cum quo ipse usum haberet, eius amicitiam percupere. Roganti Gamæ unde domo esset? ex Italia respondit. Qui in eas regiones venisset tam procul à patria? nauigantem in Græciam in piratarum manus incidisse. Sic variis mutatis dominis ei Sarraceno principi in seruitutem datum. Ex vultu Gama, & quoniam responsa non satis consentiebant, dolum & fraudem suspicatus illum quæstionis subiecit. Expressa tormentis veritas. Iudæum religione, natione Sarimatam esse, atq; à Zabaio principe speculatorum missum. Mox recognita cum classe impugnatum esse venturum. Ea denunciatione Gama discessum ex iis locis quanta potuit festinatione maturauit. Iudæus in Lusitaniam porro abductus, & salutaribus aquis expiatus Gasparis nomine sumpto, vt erat acuto ingenio magnique usus, fidelem & diligentem operam Emanueli Regi in magnis rebus exhibuit. Lenta nauigatio erat, incommodum anni tempus. Obtinendo tamen tempestatibus & mari Africæ promontorium quod primum redeuntibus occurrit & Guardafui vocatur, ægre quamuis superarunt. Hinc Magadaxo, quæ proxima vrbs est, quoniam ciues Sarraceni erant deuitata, ac tormentis modo è nauibus diuerberata, aliquotque nauibus in portu iaculando demersis, ulteriusque octo Sarracenorum nauigiis, in quæ forte inciderunt, fugatis, Melindem, vti erant in discessu polliciti, incolumes appulerunt. Ab eo Rege benignè accepti recreatis ex maris iactatione corporibus comparatoque commeatu, legatum secum abduxerunt in Lusitaniam ab eo principe per causam foederis amicitiaæque cum

Etum Lusitano Rege sanciendæ. Nauis cui Paulus Gama præerat, præ aliis situ confecta quassataque erat, nautæ præterea deerant & armamenta; eam incendere visum est Paulo Gama in Prætoriam transuerso. Iter prosecuti Zansibarem appulerunt insulam cum cætera amœnitate præcipuam, tum atboribus aromata omnium generum ferentibus salutarem à littore Africæ sex tantum leucis disiunctam. Melindem, & Quiloam inter Mombaza vicina. Ulta ea loca Mosambicū delati erecta ibi columna ex iis quas secum deferebant, insigni tum ad Sancti Blasii littus aquatum lignatumque egressi. Bonæ spei promontorium ad sextum Kalendas Maias transmisere. Hesperidas demum & vasto circuitu Tertias insulas appulsum: vbi Paulus Gama decessit laboribus fractus & morbo, quo multis diebus fuerat confictatus. Ex iis insulis soluentes Olisiponem tenuerunt mente Septembri biennio iam exacto ex quo primum in Indiam discesserant: Gratissimus eorum aduentus tum Regi extitit, tum ciuitati vniuersæ. Egressos in terram circumfusa vndique tutba quasi à morte reuocatos; de rebus Indicis ac de tota itineris ratione sine fine perquitere, nobiles conatus, felicem exitum laudibus ad cæluim ferre, pericula & tempestates, quas erant passi libenter audire: neque satiate oculos aspectu earum rerum quas ad ostentationem mercium & copiarum Indicarum secum quasi specimen attulerant. Neque minori miraculo erant homines ex iis regionibus vecti ab insolenti vultu, lingua & corporum cultu. Gamam sociosque quasi delapsos è cælo heroes maiores conditione mortali intueri, venerarique: Tametsi è quatuor nauibus duæ tantum supererant, è sociis tertia pars paulo amplius. Quæ clades & pericula nihil mouerunt gentem in arma & labores promptam, quominus plerique priorum exemplo suam operam certatim & industriam ad progrediendum ulterius in coepita nauigatione deferrent. Honoris spes blandebatur; leuiores ut viderentur difficultates lucri cupiditas efficiebat, qua nihil est acrius.

Nauigatio qua hodie in Orientalem Indianam itur.

C A P V T X X .

AD hunc modum Vascus Gama iter in Indiam aperuit nauigatione cōfecta omnium quæ à condito orbe celebratæ sunt, absque controuersia nobilissima, siue longitudinem speces, vastumque mare ad utrumque cœli axem porrectum, siue difficultates & pericula, eo maiora, quod via proorsus ignota, neque exploratis eætatis alterhantis amplissimi maris agitationibus hallucinari initio atque offendere saepe necesse fuit. Dies & usus & maior rerum cognitio, eam nauigationem multo faciliorem effecit, atque ita ut quo ad tempus, quo inchoari conuenit, & quibus cœli & maris regionibus progredendum sit multa fuerint obseruata immutataque, quæ hoc loco si attingerem operam præmium me facturum existimabam; quo lector, si quis in hæc inciderit, tantæ rei leuem certe cognitionem accipiat. Verum antequam id explico, vastissima ea littora describenda stylo sunt, atque ob oculos ponendæ regiones tum numero multæ, tum amplitudine mirabiles. Freti Gaditani fauibus transmissis ad laeuam Africæ littora latissime excurrunt magno leucarum numero Atlantici maris sauis verberata fluctibus citra & ultra medianam cœli regionem. Ac primum Atlas mons nobilissimus perpetuis, ac in cœlum erectis iugis magnam Africæ partem dirimit in mare Oceanum è tribus primum promontoriū Ampelusium mittens. Deinde occurrit quod Lusitani promontorium Non dixere, quippe persuasi, qui præcipiti temeritate illud traiiceret, eum haudquam ad suos redire amplius. Succedit Boiadoris promontorium viginti octo graduum altitudine insula Palmæ obiectum è Fortunatarum numero. Atque hæc duo posteriora promontoria Atlantis montis extremæ quoque sunt partes. Sequitur in eodem littore Album promontorium vnius & viginti graduum altitudine, atque prope illud exigua insula Argina dicta, vnde & totus is sinus nomen accepit: nam Argini sinus dicitur. Inde ad Viride promontorium proceditur, vicinasque insulas decem numero, quarum præcipua à D. Iacobo appellacionem habet, vniuersas antiqui vocarunt Hesperides fabulosis poetatum carminibus inclytas. Non desunt tamen qui eo nomine comprehendendi etiam contendant omnes insulas ad solis occasum recenti memoria ab Hispanis inuentas. Distat promontorium Viride secundum gradibus à media cœli & orbis plaga, citra illud Sanaga fluvius in mare mitit, ultra alter amnis decurrit quem à latitudine Magnum fluum dixerit. Suspicio est (pro certo ponere neutrum licet) vnius fluminis duo ea brachia esse. Addunt Nilgir fluum esse ab antiquis celebratum, quod cum Nilo communes habeat scaturientes. Sane iisdem temporibus augmentur exundantque atque in iis quod in Nilo, Crocodilli & equi marini visuntur ad originis indicium & naturæ haud

absimilis. Traiecto Magni fluminis ostio, quod vnde decim graduum altitudine iacet, octauo gradu Serraleona surgit immensum, sic dicta quod propter sublimitatem tonitruis perire patet, & fulguribus perpetuo coruscet. Et quoniam incolæ propter locoru perperum æstum noctu ad opus accésis facibus egredientes faciūt, (quod alio loco dictum est) campi & colles ardere utique flammis videantur. Hunc montem à Ptolemæo Currum deorum dictum putant, quinque quamvis graduum per errorem altitudine ab eo designata, quod mirum non est. Äquatori subiecta. D. Thomæ insula non procul à continentis tenuitudo diues sacchari prouentu, quantum cœli grauitate foeda & infamis. Sexto ultra eam insulam gradu aurifodina ad continétis littus occurrit, vnde aurum eruitur purissimum. Mina hoc est sectura ex eo ab Hispanis vocata. D. Iacobi flumen post hæc in mare deuolutum, & sancte Helenæ sinus late extenditur: quo Vasco Gama vti dictum est, naues apud litum aquandi necessitate. Sunt alia peculiaria flumina, variaque promontoria, vt in tanto interuallo terrarum maris & littorum est necesse nos nobilia tantum attigimus. Bonæ spei promontorium, quod extenuata in metæ formam Africæ littora extreum faciunt ultra æquatorem triginta quinque gradibus porrigitur. Quo circumducto aduersa litora excurrunt latissime, promontoriis multis & fluminibus distincta. Inter quæ sancti Blasii, Nauitatis, & Bonorum signorum fluuii præ cæteris maxime nobiles sunt, quo usque Zofalam perueniatur venis auri præcipuum in iis littoribus oppidum. Zofalam quidam Tharsis esse disputant urbem diuinis litteris celebratam: quo Salomon Rex per mare rubrum classes mittere solitus erat aurum aliasque nativitas copias asportatum Hierosolymam. Ipsi etiam indigenæ libris suis & monumentis ære prisco atque saxis antiquis expressum id esse confirmant. Alii malunt esse Prassium promontorium, quod Ptolemæus ultra medium cœli quindecim gradibus designat modo. Zofala supra viginti gradus Australem cœli cardinem à terra surgentem videt. Ultra Zofalam ad dextram D. Laurentii latissima insula iacet, quam indigenæ Madagascaram dixerunt. Ad lauam Mozamhique nobile Africæ ulterioris emporium propter portus commoditatem altitudine graduum quindecim Australium. Eo transuerto portu paribus ferme interuallis Quiloa & Mombassa Zanzibare insula coniuncta, tum Melinde ad ipsam mediæ cœli regionem occurunt. Tuta nauibus ad Mombazam statio est: Melindis littora importuosa plane & aspera. Magadaxum quinto inde gradu ad septentrionem pertinet, decimo postremum Africæ promontorium ad sinus Arabici fauces, quod Guardafu hodie nautarum vulgus vocat, Ptolemæus Aromata dixit. Propriqua Socotra quam à Christianis habitatam insulam inueniente sterilem tamen omnis vitæ cultioris & amoenæ commoditatis indigam locorum natura immitia quoque efferauit ingenia. Hanc à Ptolemæo Dioscoridis insulam vocari quidam putant. Succedunt haud magno interuallo sinus Arabici fauces, intra quas ad Africæ littus Ercosus portus pañditur regni quidem Barnagassi pars imperio tam latissimo Presto Ioannis contributi. Exterius in Arabia ora Ademum sita est munitissima vrbs iis faucibus imminens. Sinum Arabicum inter & Persicum Arabia felix posita est, atque in medio eius dorso qua parte Oceani vndis alluitur promontorium. Siagram, quod Escfalla tum dixerunt, seu Fartaque in atque in extremo litora qua parte sinus Persici fauces sunt promontorium Corodatum, quod vulgo Rosalgate nominatur. Intra sinus Persici fauces Ormutia insula (cuius nominis in nauigatione Nearchi apud Arrianum mentionem inuenio) visitur spaciis angusta, macro solo, cæterum commercio eo confluentium mercatorum copiosa cum primis & beata. Sexto & vigesimo gradu ab æquinoctiali circulo dissita quidem est: parique altitudine ulterioris ad ostium Indi fluminis Dium insula arxque succedit celebri fama ob ea quæ à Lusitanis fortissima edita sunt facinora eam arcem defendendo primum contra Sulthanos Aegypti, deinde etiam contra Turcarum vires & conatus. Dio transueta & Bazaino non procul dissita Lusitanorum arce, Ciaulum & Dabulum occurunt & ipsæ Cambaiæ vrbes portubus insignes exiguo inter se interuallo. Inde littora multum ad Australem plagam excurrunt, vlique ad promontorium Comorinum seu Cori pertinentia. In iis littoribus ad occasum Goa vrbs nobilissima posita est ad sextum decimum gradum ab æquatore, ad duodecimum Calecutum, quas inter Cananor vrbs iacet & ad promontorium Cocinum Coulanumque Malabarum ciuitates, commercio omnes aromatum piperis quoque prouentu fama celebrata & insignes. Malabarum è regione Maldiviaris insulæ sunt, sic dictæ à nomine eius quæ inter cæteras principatū tenet. Mille amplius numerantur exiguæ spatiis saepè ita inter se coniunctæ vt vix eæ angustiæ euripique nauigatiibus sint peruiri. Præcipius prouentus è palmis nuces ferentibus, quas Cocos vocamus, mirabili arboris conmoditate, quæ genti vieti necessarium cultumq;, in naues & armamenta materiam funes & vela una suppeditat.

suppeditat. Ad ortum Comorino promontorio Zeilanum insula adiacet angusto freto à continenti dirempta, Cinamomi prouentu vna maxime celebrata & diues. Succedunt Narsinguæ & Pegu regna vastissima: iisque interiectum Bengalæ regnum, vnde sinus amplissimus nomen habet ad urbem Malacam pertinens & ipsam nobilissimam: cui Somatra insula vicina est æquinoctiali subiecta. Eruditorum plerique Somatram à Ptolemao Tapobranam vocari contendunt, Malacam Auream Chersonesum: neque desunt qui persuadeant Malacam in diuinis libris Ophir dici: quo Salomon Rex classes mittere erat solitus auro argentoque vehendo magnagloria pari compendio: quin Peguenses haud dissiti se ab iis Iudeis progenitos ferunt: quos Salomon ad aurum Ophir effodierat in eas regiones dimiserat. Quod si minus hodie iis locis ea metalla erituntur, siebat olim, quod ipsum Aureæ Chersonesi nomen indicat. In itu & reditu Salomonis naues triennium ponebant, quod certe de Tharsis nauigatione explicant diuinis libri. Magnetis vsu nondum ad nauigandi eximiati commoditatem inuento legabant littora: neque se alto permettere nauigantes audebant. Ea vero longæ moræ tardæque nauigationis causa extitit. Malacæ ad ortum dextramque ex intervallo obiectæ sunt Moluecæ insulæ Caryophilli prouentu maxime celebres, quod vna omnium ferunt alioqui ita steriles ut cuncta pene ad victimum & cultum aliunde petant: Sic bona sua diuina prouidentia dispensat, præcipuæ quinque numero sunt. Arbor Caryophilli trunko & foliis lauri speciem reddit flore imprimis odorato. Is duratus fructus est mensis maxime expetitus. Ad læuam septentrionesque Malaca in Sinas itur gentem late fusam copiis opibusque præualidam. In aditu eius prouinciæ Macanum insula est Lusitanorum mercatorum hospitium, quoniam in continentem penetrare gentis instituto nulli aduenæ datur. Distant ab ea insula Iaponi gens extrema, quo Lusitanorum arma peruerterunt, trecentis circiter leucis septentriones versus. diuisi Iaponi sunt in tres maiores insulas pluribus aliis minoribus circumfusis interfluo euripo disiunctas, ortum præter septentrionesque à trigesimo altitudinis gradu usque ad quadragesimum porrecti. Summa longitudo leucarum bis centum, latitudine, qua se maxime pandunt, octoginta leucas non excedunt ab ortu Nouæ Hispaniæ obiecti, a septentrione Scythas, ab occasu Sinas aspiciunt. Tributi in multa regna pluribus regibus seruiunt, litterarum alioqui ingenio capaci bello dediti gloriæ siqua gens audiissimi. Indicæ nauigationis ratio hoc pacto nostro tempore instituitur. Olisipone mense Martio nauigatur soluunt certe Aprili ineunte. Insulam Maderam primum petunt centum quinquaginta leucis satis lato ab Hispania mari periculo soque disiunctam, deinde Canarias trecentis leucis nihilominus remotas Olisipone. Ad promontorium Album ex iis insulis proceditur atque insulas Hesperides. Recta vterius progreedi continua ab Austro flatibus prohibiti relictis Africæ littoribus magno circuitu parique nisu occasum inter & Austrum directis proris in Brasiliæ sape conspectum partem haud dubium noui orbis procedunt. In iis littoribus diui Augustini promontorium imprimis celebre decimo ultra æquatorem gradu positum est. Id promontorium quæ nauis ventorum violentia aut propter anni tempus superare non sinitur, felicta nauigatione, quoniam frustra conatus omnis esset, vnde soluerat necessario reuertitur. Quibus superare id promontorium cœlo contingit, ii nouo circuitu proris Austrum inter & solis ortum directis Bonæ spei promontorium transmittere contendunt, ad quadragesimum gradum ad Austrum declinantes ad vitandas procellas, quæ ad extremam Africæ cuspidem excitantur perpetuo fœnus, immanes aquarum moles illis reciproco toto littore franguntur. Transuerso eo promontorio Zofalami aut Mozambicum tenent. Quibus locis, nisi nauigatio sit prospera hyemare coguntur. Alioqui enauigato eo mari atque æquatore denuo transmissio haud multis diebus Goam laborum & nauigationis vniuersæ metam peruenit. Graues plerunque casus in ea nauigatione interueniunt, Malaciæ longissima tædia, reflantes venti, fœnus & frequentes procellæ, ex nausea cibi fastidium, ex immodica æstus & frigoris vicissitudine, vitiato cibo & potu, sentinæ tèrremoto halitu varia morborum genera, Lethargi, abscessus, tumores, oris vlcera, affectæ tabo gingivæ. Quinque menses si in tota nauigatione ponantur felicissimam putant, saepius anno amplius consumitur. Goa Malacam ad aliasque regiones magis Orientales statim nauigatur temporibus. Hispaniam repetituri mensis Decembribus finem expectant. ventorum vices continua ab ortu flatibus ac dudum explorata nauigandi ratio idoneum maxime id tempus esse docuerunt. Mensibus Martio aut Aprili

Bonæ spei promontorium transmittitur. Ad sanctæ Helenæ in reditu insulam appellant
iis locis, non deuiam, quam in vastissimo mari tanquam diuersorum diuina prouidentia
disposuit, reficiendis nauigantibus fessisq; recreandis corporib; arborum fructibus, ve-
natu, pescatu, quibus bonis abundat, nullo quamvis cultore propter locorum angustias &
quoniam procul à continenti disiuncta est. Per Tertias tandem insulas magno circuitu
propter ventorum vicissitudines confecta nauigatione longissima, vnde
descenderant, Olisiponem appellunt plurimum mensibus
Augusto & Septembri.

Libri vigesimi sexti Finis.

10

IO. MARIANÆ HISPANI, E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBUS HISPANIÆ, LIBER XXVII.

Ioannis Hispaniae Principis obitus. CAPYT I.



Es Hispanorum uno tempore in Italia quidem prosperum cursum tenebant, in Hispania autem, ut est fere conditio mortalium inter dulcia & dubia variabant. Gemina Ferdinandi Regis filiarum coniugia sunt pacta. Catharinæ profecto cum Arcturo Vualiæ principe Hérici septimi Regis Angli filio maiori. Isabellæ autem principis connubium cum Emanuele Lusitano Rege post multas & graues difficultates & moras non stipulatum modo sed & tandem coniunctum est. Nouis affinitatibus tantos Principes habere deuinctoris & ad Austriacos adiungere magnum, gloriosumq; Regi Hispano, rebus intus forisque præcipuum ab alterna ope præsidum. Catharinæ sponsalia in Anglia assumptæ in cœlum Virginis memoria sacro die in palatio Vuodenstochio data sunt Ioanne Puebla quo agéte con-
nubiales conditiones constituerant, pro sponsa absenti vicario ritu & more inter Princi-
pes solenni. Affuerunt cæremoniæ Rex & Regina, splendidusque procerum cætus. Ad Lusitanum connubium paciscendum missus in Castellam est Ioannes Emanuel magna apud eum Regem gratia quippe ipsius collactaneus. Eius aduentu atque opera sancitum tandem, vti Ferdinandus & Isabella Reges filiam deducerent ad Lusitanæ fines. Eo ve-
niaret Emanuel Rex pridie Kalendas Octobris ad ineundum coniugium. Regum conuen-
tui nuptiarumque celebritati primum Ceclaminum oppidum designare placuit: deinde propter regionis sterilitatem annonæ angustiam nullo circa florēti lautoque oppido, vn-
de pararetur commeatus tantæ multitudini, Valentia Alcantarae delecta. Vbi triduū Re-
ges moratos vniuersamq; nuptialem lætitiam conturbauit nuncius de Ioannis Principis
grauii valetudine intempestive scilicet allatus. Tertio die postquam Salmanticam cum v-
xore venerat in febrim incidisse: qua diebus tredecim est extinctus. Accurrit Valentia ci-
tato itinere Rex pater, Salmanticamq; peruenit, ægrotō agente animam sed integris sen-
sibus. Ita agnito patre obiit tamen ad quartum Nonas Octobris. magno atque miserabiliter
non parentum modo sed & totius gentis luctu. Quantas spes, quanta gaudia dies unus
abstulit Hispaniæ? Ferebat vterum vxor exiguum mœroris concepti solamen & impro-
uisæ calamitatis præsertim immaturo partu intra paucos dies. Extincti corpus Abulæ tu-
mulo est compositum in Dominicanó celeberrimo cœnobio, Diui Thomæ nomine in
ea vrbe constituto patris Regis impensa. Tristis nuncius Valentiam peruenit nuptiarum
lætitia

lætitia nondum peracta, quæ post discessum porro Ferdinando Regis celebratæ sunt. Rogauit socrum Emanuel Rex mœrore tantisper dissimulato atque vultu ad lætitiam composito, monitisque aulicis vt tantumdem facerent, ne quid ad nouam nuptiam iam Lusitanę Reginam manaret. Erat difficile in tanto luſtu publico priuatoque dissimulare diu. Ita quamprimum in Lusitaniam abducta Ebore tandem fratis obitu nuntiatio ingentem animo moleſtiam accepit eo intempestive sublato quem diligebat vnice. Hispaniam vniuersam tanto Principe orbata, in qua acquiescebat spe, dolebat scilicet impense. Parentes singulari constantia patientiaque eam plagam tulerunt: in quo excelsi atque inuicti animi præbuerunt argumenta non minus illustria, quam victoriis multis & clarissimis eatenus & in posterum partis ex quanto motum animi tenere, quam hostes subiugare est præstantius. Et est natura fixum, vt caduca pereant, fragilia quæ sunt facta conterantur: æquissimum vt Deo nostrarum rerum, aut suarum verius arbitrium mortali conditione homines permittamus. Neapolitanę res haud satis tranquillæ erant. Salernitanus nunquam satis fidus cum cæteris eius secte proceribus non quiescebat: ac necessabat quidem suæ ditionis oppida & arces diligenter munire. Alienatæ voluntatis primum argumentum extitit abfuisse Neapoli quo die Fridericus Rex solenni cæremonia de manu Pontificii legati coronam & regni insulas suscepit. Et erant per edictū proceres ad solennitatem euocati nequa esset excusatio, ipseque Salernitanus antea affuerat quo primum is tempore ciuium consensu Rex fuit renunciatus. Nunc ob factos superiori tempore sumptus pecunia inopiam excusabat: neque sine idoneo cultu & comitatu venire par fuisse. Verior interpretatio ea specie tegi infensum animum rerum nouarum studium. Accurrit quidem die postero Bisinianus sui facti rationem redditurus. Ad Salernitanum quin etiam sanandum & ad Regem perducendum pro ea gratia & auctoritate qua valebat maxime quippe secundum eum factionis princeps Regi operam obtulit. Nihil tamen ea diligentia profectum, an ludibrium erat & composita inter duos prævaricatio & fabula. Vim parari & arma placuit, vt metu cederet, cuius perfidia & contumacia vinci benignitate non poterat. Collectis copiis à Rege intra Dianum circumfessus est præcipuam arcem è multis quas firmissimas ditione is obtinebat. Gonsaluuſ reditum in Hispaniam adornabat, quasi bello Neapolitano peracto moræ idonea cauſa non esset amplioris. Eo maturando discessu in Brutios iuerat, atque in Siciliam. Inde rebus constitutis hoc tempore neapolim reducem per causam nouum Regem & Reginas salutandi priusquam se in iter daret, rogarunt enixe vt correptis denuo armis Diani obsidioni interesset, multis impeditæ difficultatibus, multis intus defensoribus, infidis Regi provincialibus. Ea de eius virtute opinio suscepta erat, vt victoriam & felicitatem secum ferre crederetur. Annuit ille Principum feminarum votis & precibus. Collectis Hispanis quingentis parique Germanorum numero abs Rege dato proprius muro succedens eo loco statione delecta, non sine suo periculo obſessos dies noctesque fatigatos ad dedicationem compulit his legibus. Salernitanus, quiue eum comitari vellent, regni finibus abscedunto. Iis omnibus incolumitas esto facultasque sua cuique efferendi. Salernitani principatus arces omnes Regi traduntor commeatus & tormenta bellica ac reliquum bellicum apparatus idoneo pretio compensaturo. Sic ad quintum kalendas Ianuarii instantे salutis anno M.cccc.xcviii. Salernitanus legitima dedentium arces verba nuncupauit. Eius Senogaliam Piceni vrbe Ioannis Rouerei Praefecti in ditione Gallicis partibus addicti deducendi cura Amalfitano Principi demandata est, è necessariis Concię & Lauriæ Comites eum in exilium sunt securi. Capacius graui extate impeditus catiiorque annis & vsu Regis fidei se suaque permittere satius duxit venia parata. Huius anni autumno à Ioanne Assidonie Duce classis in Africam missa & Melillam occupatum Almeriæ obiectum oppidum à Mauris quibusdam de cauſis defertum. Facti in ea expeditione sumptus compensati sunt, eo oppido Regis beneficio Duci & successoribus perpetuo iure contradito. Gerbis item seu Meningis insulæ regulus (Xequem incolæ vocant) quo nostrorum viribus eum principatum tueretur à Regis Tunetani imperio detratum in fidem Ioannis nucæ Proregis Siculi & clientelam concessit incolumi religione maiorum & arrepta libertate, Regis adeo Catholici factus stipendiarius. Cum præſidio ergo Hispanico Margaritus dux curare ibi iussus est insulæ imperium à Maurorum iniuria tuendo & aduersus eius Regis arma. Hoc initium magna rerum moles annis sequentibus est subsecuta.

Regibus Galliae & Hispaniae fædere Vinciendis conatus adhiberi ante ceptus erat, neque usque dum intermittebatur. De conditionibus disceptatum: qua causa honestissima legatio ex Gallia ad Regem Catholicum venit tunc temporis Compluti morantem. Legationis princeps Clarius regulus dato senatu accommodatam temporis orationem habuit. Eius summa erat: ut iunctis inter se viribus Gallus Hispanusq; bellum Italiæ inferrent. E Neapolitano regno Brutii & Magna Græcia Hispano cederent, ea tamen lege ut eam prouinciam cum Vasconum regno mutadi facultas Gallo relinqueretur, adiectis annuis triginta millibus auri ad exequandum ablati principatus cum dato scilicet vestigalia. E reliquis urbibus Mediolanum & cenuam cum contributa vtrique ditione obtineret Gallus: cetera ex quo inter se partirentur bona fide. Hæc ille. Et de Neapolitano quidem regno quod proponebatur Hispano non dispicebat: alias tamen urbes inuadere non inducebat in animum præsertim Cæsare inconsulto: cuius in iure res Italiæ patrocinioque erant. Responsum ergo legaturum se in galliam viros idoneos qui de conditionibus agerent & concordia, qua nihil esset antiquius. Agebantur hæc. Simul Regi Catholicæ mores gentis collapsos acriori censura astringere curæ erat: ac præcipue monasteria quorum perturbatione temporum vita laxior & seueris iudicibus parum probata, ab eoque Claustralium vulgo vocabantur, ad seueriorem disciplinam & veteris moris normam reuocare satagebat. Grauissimus est morbus qui à viris sacratis tanquam à capite in cætera membra defluit. Eo maior ad id hominū genus curandum diligentia adhibetur opus est. Paruere Regiæ voluntati præsertim æquissimæ adiutæque Pontificis decreto Castellæ monachi continuo & facile Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ: Franciscani deinde egre quamvis cum reliquis consensere. Preclarum enim uero facinus dignam Rege Catholicæ curam. Compluti, vt constitutum erat, deleeti qui in galliam irerunt Ferdinandus Strada & duo socii eo appulerunt; quo tempore Ruscinonenses inuadere gallicis destinatum erat, Perpinianumq; occupare positis iuxta castris. Verū eos metus & conatus galli mors interceptit Amboë extinti ad septimū Idus Aprilis. Pila ludentes è superiori pergula prospectante repentina atq; lethalis vis apoplexis oppressit annos natū septem & viginti. Nulla ex eo prole relicta res gallicæ in Ducem Aurelianensem iure sanguinis per viros ducto stemmate reciderunt, Ludouicū duodecimum dictum inter galliæ reges. Anna Borbonii ducis vxor defuncti soror natu maior regnū sibi quippe propinquiori deberi disputabat. Parū proficiebat tamen intempestiuæ disceptatione populo & proceribus legi Salicæ nimium addictis regni hæreditatem in fœminas transferri vetanti. Non destitit tamen neq; se in causa deseruit; vt regno excluderetur, contendebat nihilominus quæ regibus aduertitia hæreditate obuenierant, ea certe sibi deberi. Profecto prouinciam Phocæensem atq; Andegauos recenti memoria ad reliquos principatus adiuncta, quo enim iure quale detraherent. Ne id quidem impetratum, iure an iniuria disputare non est necesse. Regis Catholicæ legati Blesis, vbi nouus rex erat, eo salutato gaudioq; functi ob nouum regnum in ea urbe atq; Aureliaæ de iungendo fædere summa contentione adibita, præter verba, gratam fore concordiam, retulere nihil aliud. Erat ei Principi deliberatum eomitatem & benignitatem cunctos se adeuentes complecti, nihil denegare cuiquam, dum regnū, quod nouitate nutabat, vt omnes principatus, tempore confirmaret. Simul prouidebatur ne diuortio, quod cū vxore adornabat aliquis impedimentum asserret, coniugiumve disturbaret quod inire cū Regina vidua parabat profectio in Britanniam adornanti nobili principatu dotali: Ea summa votorum erat & destinata voluntas. Neq; se fællit spes. Diuortii gemina causa afferebatur. A Rege socero de sacro fonte suscepit, neq; venia Pontificis sacre ex eo propinquitatis legem sublatam. Deinde non sponte sed terroribus propositis priorem vxorē duxisse. Sic veteri coiugio dirempto Britanna coniux in regium torum est ascita. Vnde duæ tantū filiæ sunt natæ. Maior Claudiæ nomine Francisco Valesio nupsit socieri successori; minor Denata duci Ferrariensi nupta, viro defuncto diu superuixit in Gallia Caluinianæ sectæ patrocinio suscepit maiori fama quæ laude. Carolo Rege superstitio, vt Cæsar Borgia ad exitiū Italiæ natus veste mutata reliqua purpura nouas spes sequeretur castris quam sacræ purpure aptior agebatur. Nouum damnatumque exemplum, & ad turbandâ Italiæ ac vero totius orbis pacem comparatum. Eç molitiones haud ingratæ ei Regi accidebant quippe iuueni. Quin ad promerendum Pontificem idoneum principatum in Gallia ei daturum pollicebatur. De Auenione etiam in eius gratiam pontificiæ ditioni subtrahenda est agitatum vincente pudorem tetra cupiditate. Carlotam etiam coniugem offerebat Friderici Regis ex priori

vxore

vxore filiam, consobrinam suam & tunc in Gallia morantem. Verum pater virginis consultus postulati fæditate offensus adduci non potuit ut coniugio male coherenti Aragonium sanguinem & stemma generis fugillaret præsertim Tarëti Principatu dotali, quod expetebant, vnde haud obscure ad regnum Neapolitanum occupandum gradum facerent. Mediolanensis Dux eiusque frater Ascanius Cardinalis coniugio monebant, ne in eo articulo discrimineq; rerum suarū Pontificem sibi infensum redderet repulsa. dignitatis speciem non esse tanti, vt propterea Gallos iterum induceret in Italiā in eius certam perniciem. Qui terrores vani non extiterent. Regi Catholico hos conatus non probabant, et si ad aucupandam eius gratiam Pompeonensem Valentintumque episcopatus ex 10 eius voluntate quibus nominaret daturum Pontificē pollicebantur Cæsarī Borgie abdicationē. Pompeonensem ecclesiam Innocentius octauus regendam commiserat. Valentinam pater in eundem transtulerat Pontifex factus. Offendebatur orbis Christianus iis molitionibus, eaq; fæditate recenti memoria Aleriæ Cardinali meminerat facultatem ab Innocentio Pontifice denegatam purpura eiurata monachum indueridi. Num eo honore abdicato Cardinali & Diacono turpe non videbat continentiae lege soluto uxoris porro ducendæ facere potestatem. Enim uero Romæ ea morū turpitudo vigebat (an Romæ tantum & non etiam intra Pontificis regiam?) ut cuicunque perueritati locus esse videretur. Piis viris occasio data palā Pontificia instituta, mores & tempora accusandi. In eo numero Hieronymus Sauaranola patria Ferraria ex Dominicanō ordine celebris concionator, qui Florentiæ rebus gerendis multum annis superioribus auctoritate potuerat, quod è suggestu magna dicēdi libertate s̄pē in Pontificem esset inuestitus, eius iussu cum duobus sociis in foro eius urbis publice fuit combustus die Palmarum Dominicō, nempe postridie obitus Regis Galli iure an iniuria ne tunc quidem cognosci penitus potuit. Multi ad hanc diem extinctum in martyrum numero habent. Ab aliis temeritatis accusatur, quorum sententia magis placet. Neq; Florentiæ tantum mores Pontificis accusati sunt: sed coram Garsias Lassius Vega pro Rege Catholico Romæ legatus eum libera voce increpuit ex sui Regis litteris obtestatus nisi mutaret, si homines cessarent, grauia cælitus imminere piacula propter graue offenditum totius orbis Christiani, quā late Romanæ prauitatis fama manarat. Verum quid iuuat sanare velle, quem diuinia 20 vltio in præcēps agit, luceque subtracta suarum cupiditatum carnificinæ tradit? Commotus ea increpatione Pontifex vehementer in verba contumeliosa minasq; prorupit nullo porro maiori fructu. Pectus in peius induravit usque eo ut paulo post Cæsar Borgia in conuentu Patrum publice excusans Diaconum se non sponte neque libera voluntate factum, petierit continentiae legis ex eo sibi fierigratiam, atque purpuram & sacerdotia abdicandi esse potestatē. Multi ē Patrum numero non expectandū existimabant, dum homo impotens factos honores abdicaret, quod honorificū ipsi erat, sed iudicio potius spoliandū, siue quod malis rationibus eos honores ac præsertim purpurā eslet cōsecutus, siue propter morum prauitatem & libidinis licentiā vix etiam in profano homine tolerabilē, ut legatus Hispanus dicere etat solitus. Nemo tamen mutire est ausus: ea erat Pontificis impotentia & temporum conditio misera prorsus & profligata. Itaque collegium ea postulata rata habuit contra fas, contra auspicia, cōtra omnia equitatis iura: Nouus Galliæ rex Valentiā in Allobrogibus dedit Ducis nomine: quæ vrbis Auenioni vicina & aliquando Pontificiē ditionis ad Regum Galliæ ius ab annis superioribus trāsierat. Eo principatu protocatus & spe facta promissi cum Carlota coniugii veste mutata, morū prauitate haud deposita in Galliam maturauit flagitiorū omnium vitiorumq; princeps. Magni honores adueniæ habiti, coniugii tamen concepta animo spes euanuit regia virgine eam fæditatem constanter attersanti. Tanta ex eo indignatione Ducis, ut de Gallia deserenda cogitaret. Leniuit irati animū rex Carlota Fuxensi Labreti filia sorore Regis Vasconum coniuge data, haud iniqua permutatione neq; nobilitate minori. Adiecta ampla dos, atq; 40 ex ærario regio annua vectigalia. Tanti fuit impotentem hominem eo tempore promerri: quippe industria quamuis flagitious inerat, & ut virtutibus boni, sic ille econtrario vitiis valebat. Ex eo coniugio filia nata est, quę annis consequentibus extincto patre in aunculi regis potestate patrocinioq; māsit. Ipso anno præcipiti æstate Gōsaluus Magnus dux instructa classe Nepoli soluit in Hispaniā. Ingens gentis decus & gloria proptera animi magnitudinem, industriam, bellicas artes, victoriasque nobilissimas, Neapelitani regni felicitatem fundatam pulsis Gallis, res cæteras ex sententia compositas.

Isabella Lusitanæ Reginæ obitus. CAPVT III.

Defuncto Ioanne Castelle Principe, ut dictum est, magna eius parentes de stabilienda successione solicitude inuaserat haud ignaros nisi h̄eres certus sit, procellam in re-

publica concitari Regum morte esse propemodum necesse : Margaritæ vterus morabatur quorsum ea spes euaderet. Dolor curaq; ingeminata fœtu fæmineo immaturo Cōpluti excusso, vbi Reges hyemarunt. Continuo ergo Emanuele Regē monuerunt ad Castellæ sceptræ hæreditatēq; vxoris iure vocari : rumperent porro moras, quod felix faustumque esset venirent in Castellam. In eorum verba populos ordinesq; more maiorum sacramentum dicturos post parentum fata non alios Reges fore. id præcipuum successionis inter Hispanos stabilimentum. Simul in Belgas miserunt, qui Philippū generum & vxorem monerent, vti inani Principum Castellæ appellatione, quam nescio quid sequi an quodam veluti præfigio usurparant, deinde abstinerent. Gentis instituto cum titulum Regum maioribus filii hæredibus porro dari, neq; communicari cum aliis. Ergo Lusitani Reges ea denunciatione Pacem Augustam petuere Castellę vrbem ad vtriusq; regni fines. Præsto affuerunt Medinae Assidonie Albœque duces aliique proceres qui eos exciperent deducerentq; ad parētes destinati. Christi cruciatu memoria sacros dies ad Guadalupeum Virginis fanū morati Toletum tandem peruererunt ad sextum kalendas Maias, vbi eos Reges Catholici expectabant. Tertio post die, qui dies Dominicus fuit, vti erat constitutum solemni ritu & more iureiurando confirmata Regibus Lusitanis Castellæ regni hæritas : moxque Castellę Principes dicti sunt. Aragoniis non eadem voluntas erat, neq; par tranquillitatis studium. Henricus Segorbii dux Regis Catholici patruelis gentis instituto & legibus fæminas ab Aragoniis sceptris arceri disputabat. Sibi proinde & Alfonso filio, regiæ hæreditatis ius post Ferdinandum relinqu, genus à Ferdinandō Rege auo per viros continuato stemmate deducentibus, Henrico patre vno è Ferdinandi filiis. Ut sanarent gentis voluntates, vincerent pue eas difficultates & moras Castellæ & Lusitaniæ Reges Cæsaraugustā abierunt. In ea vrbe ad octauum decimum kal. Iulias in conuentu gentis referente Rege Catholico de ea cōtrouersia varię sunt dictę sententiæ. Plerique nouum induci in Aragoniam exemplum confirmabant, exhorrebantq; nulli vñquam fæminę quasi hæredi futurę dicto sacramento, multorum etiam Regum legę à successione eum sexum exclusum penitus & amotum. Quod si id antiquatū, aut contraria lege abrogatum contenderent, postremo Ioannis postremi Aragonii Regis testamento starent filias & neptes sancientis ad sceptrā tū demū vocandas, si filius Ferdinandus Rex sine filiis sineq; nepotibus decederet masculis ex filio filiae natis. Eius rei nondum venisse tempus, neq; futuros euentus esse exploratos : q; intempestiue diuinarent? quid festinatione præpropera futuri spem rescinderent, recens instituta mutarent, ac Emanuel Regem Aragoniæ principem dici non ferebant exemplo calamitatum castigati, quę recenti memoria in Vasconibus extitere, quod Ioannem Aragonium Blancæ coniugio eius regni hæredis, Vasconum principem præpostera facilitate iussissent. Alii contra tendere ac fæminis concessum disputare ius regni: neque Aragoniis legibus in successione regni sexum distingui. Cuius rei Petronillæ exemplum proferebatur idoneum Ramiri Regis filiæ cognomento Monachi. Deinde Alfonsi ex ea nati testamentum, qui matris, quę secus sanxerat, in eo voluntate repudiata, lege in omne tempus lata regnū obtinendi fæminis facultatem sanxit, ius dedit. Gōsaluus Garsia à sancta Maria nobilis ea tempestate in Aragonia iureconsultus disputationem erudite in eam sententiam de scripto cōceptā Regi Catholico in manus dedit. Tempori seruire adulariq; voluisse interpretabantur multi: adeo nihil motū ex antiquo probabile est inter Aragonios præsertim gētis instituta mordicus tueri solitos iuralibertatis. Tempus altercationib. trahi Isabellæ Reginæ molestum accidebat Castellę gentis obsequio assuetę : atq; adeo vt die quodā dicere nō dubitari. Satius fore armis eam genteī maloq; subigere, quam prouincialium cōuentuum insolentiam, gentisq; vniuersę irreuerentiam tolerare. Aderat forte sermoni Alfonsus Fonseca. Is Reginę oratione offensus libera voce. Non arbitror, inquit Aragonios peccare tuendo libertatē & priuilegia quę à maioribus acceperunt, qui pollicitis cauti sacramentoq; , in fide semel suscepta sunt apprime constantes, Regumq; suorum obsequios imprimis dediti. Hactenus nulli Regum filię regni hæreditate publico consensu decreta, vituperandi non sunt si nouum exemplum inducere detrectant veriti ab eo principio ne ius imminuatur patrię libertatis. Controuersia finem habuit Isabellæ Principis obitu ad decimum kal. Septembribus subsecuto die Louis in ea vrbe ex partu extinctæ vix hora decursa ex quo filium pepererat, cui Michaeli nomen fuit, vita breuis, gaudio luctus maior. Toletanus Archiepiscopus regē iter prosecutus labenti animę pacem & veniā precatus accommodata etiam prudenti q; oratione rerum humanarum contemptum, & cælestis felicitatis morienti spe in ingleſit. Rex Lusitanus vxore lectissima repente spoliatus continuo in patriam rediit. Defunctæ corpus translatio funere in diui Francisci sepultum, deinde

deinde Toletum delatum in cænobio virginum composuerūt quod Isabellæ nomine pater constituerat auiæ maternæ cibis in monasterium conformatis. Iustis persolutis Aragonii sine mora regiæ voluntati obsecuti sunt, recētis calamitatis misericordia animos ad obsequium flexerat, & difficultates prius propositas magna ex parte sublatas videbant. Ita ad decimum kal. Octobris infanti sacramentum est dictū, ea modo exceptione, si Ferdinandus Rex mascula prole careret: alioqui iusurandum ex eo irritum & inane fore pronunciarunt. Eo temperamento libertati gentis consultum, cuius cura maxime soliciabat. Ocaniæ idem paulo post Castellæ princeps hæresq; solenni ritu pronunciatus est. Verum priusquam Rex Cæsaraugusta discederet Alfonsum Siluam Calatravæ Clavigerum in Galliam legauit, qui nouo Regi de suscepto regno gaudium nunciaret, & aliis legatis iunctus de concordiæ legibus disceptaret, statueretq;. Magna ii contentione adhibita rem ex voto confecerunt. Philippus quoq; Belga priuatim patre & socero inconsultis cum Gallo æquis conditionibus pepigit. Multum his constituendis fæderibus Georgius Amboësa Rhotomagensis Archiepiscopus iuuit pro ea gratia & auctoritate, qua apud suum principem valebat maxime omnium arcanorum non particeps modo, sed penne moderator & arbiter. Accessit mense Septembri purpura Pontificis dono crescenti gratiæ & sed & propriis virtutibus datus honos. Rex quoq; Gallus iuncta cum vicinis principibus amicitia oppido cupiebat in Italiam transire Mediolanensem principatū sed & Neapolitanum regnum armis occupatus iure, vt existimabat sua, iniuria ab aliis occupata. Cæsaraugusta item Enecus Corduba Comitis Egabri frater & Philippus Pontius iureconsultus Romam amandati sunt, vt sui Regis verbis Pontifici denuntiarent Beneuentum ne ecclesiæ Romanæ imperio detraheret, curiæ Romanæ vitia acriori censura castigaret, domesticam licentiam frenaret quæ maxima erat cum magna verè pietatis labore. Idem socii hortatu Lusitanus fecit. In patriam reuersus Rodericum Castriu & Henricum Coutinum Romam legauit cum mandatis monendi Pontificem tantundemque obtestandi consilio prius cum socii legatis communicato. Fecerunt illi diligenter quod erat mandatum. Pontificem quæ erant iussi hortati, eo prouecti sunt, die quadam vt remotis arbitris obtestatione in tabulas referret Garsias ipse Lassus notarii Apostolici munere fungens. Tulit a gerrime Pontifex audax facinus: secundum minas eos ausus impune non fore, suppicio vindicaturum, subiecit tamē Beneuentum Pontificio imperio detractam non esse, ne velle quidem, tametsi Patrum collegium cōsenserat vt Gaudiæ Duci daretur iure fundi penes ecclesiam Romanā retento. De curiæ & palatiis castigādis quod præscriberent, multum sibi Reges in eo sumere dixit, aliaq; subiecit stomacho plena, quæ furor dabat. Intra paucos tamē dies, iusatu, vt interpretabantur Pontificis, filii Gotifredus & Lucretia cum coniugibus Rege Neapolitano natis ē palatio Romaq; discesserunt. Horum vero atq; Cæsaris Borgiæ morum licentia, & fædæ libidines magnam inuidiæ partē Pontifici conciliarant, offensis ea dissimulatione ciuitate atq; adeo orbe Christiano vniuerso. Odiū quidē in Garsiā Lassum conceptū altius in Pontificis pectus descendit, q; vt sedari possit. Itaq; Roma discedere necesse habuit. Subsecuti sunt Lusitani legati initio anni M.cccc.xcix. pala offensi parū ea diligētia fuisse profectū, contra in peius cuncta ruerū. Romana vitia omnē medicinam respuere. Alii Gastelle legati restiterunt in ea vrbe dum Laurentius Suarius Figueroa Venetiis, vbi oratorem agebat vir exacta prudentia Romam veniret in locum Garsiæ Lassi fratris legati ordinarii munere imposito.

Ludonicus Mediolanensis dux eo principatu spoliatur. CAPUT IIII.

1499.

In iuctum regis Catholici animū curæ non obruunt multæ quāuis & graues, p̄sidet in speculis, indeq; late p̄spicit in omnes partes. Res Italicae proximē periculo Rege Gallo vetera eadēq; minime dubia, vt ipsi videbatur, iūra armis repetenti quoniā certare legib. & causa longum erat. Satis ex se inflammato ad maturandā expeditionē subdebāt faces. Pontifex arcano Friderici regis ylciscendi præcipiti cupiditate, à quo se Iesum putabat filię nuptiis denegatis. Præterea augendi suos spes ostendebatur ac præsertim ducē Valentiniū ambitio lo virum ingenio prauoq; Veneti apertius Duci Mediolanensi irati erat pro Pisaniis prius socii, deinde hostē fædere cuī Florentinis facto. Pacta ergo cū eo Rege amicitia & societate mille ducentos equites obtulerūt sex millia Heluetios Germanosve contra ducē Mediolanensem ea tamen lege vt pretium opere, impensē cōpensatio, Cremona & Geradada essent ei principati detracē & ad Venetā ditionem subiunctæ post victoriā. Dux cognitō periculo rerum suarum, parum opis in Christianis Principib. forē, quos infenos alios alia causa suspicabatur extremum malorum Turcis suasit, vt instructa classē Venetorum ditionem inuaderent; si bello p̄ptio implicarentur, aduersus Gallum vires aliunde nō defuturas. Magna piis omnib. solicitude iniecta: plus inuidiæ ex eo Duci

quam virium accessit. Antonellus Salernitanus in Vrbini Duci ditione propinquus & necessarii decessit Roberto filio successore nō tā nominis & fortunaru q̄ odii in Aragonios perpetui, q̄ illi odiū male tandem fuit. Cetara Auguste Gonsaluo Gatsie iureconsulto celebratim interrogata atrox iniuriā mense Julio. Facinoris auctor cognosci nō potuit certo. Multi suspicionibus subiecti prē cæteris Ebuli Vicecomes magnis argumentis vindicta nulla. Vasconum Reges q̄dam a Rege Catholicō extorquere veteris ditionis oppida ipso tempore moliebantur. Ludouicus undecimus Gallie Rex quo tempore ad Baionā in Tarbellis cum Henrico quarto Castellę Rege est collocutus tum alia p̄stitit, tū in controvèrsia q̄ ipsum inter & Vascones erat, consensu partiū arbiter factus, sententia pronunciata sanxit, vt dū sumptus cōpensarentur q̄ Carolo Vianæ principe tuendo à Ioanne Castellæ Rege ipsoq; Henrico facti erant, seq; cā pecuniam soluturū, Carolus obstrinxerat, Stella yrbs eū cōtributis oppidis Henrico cederet. Yrbs quidē nunquā est tradita, alia tantū oppida: & ea ipsa à Vasconibus, vti sese offerebat occasio, erant recepta pleraq; & ad veterē ditionem imperiumq; subiuncta. Castellæ tunc præsidii Arcus modo, Guardia & Vincentii fanum tenebantur. Hæc enim uero oppida restitui Vascones postulabāt, vitiosam Galli sententiā extitisse accusantes, prēterea affirmantes Regē Catholicū superiorib. annis pollicitū se ea oppida redditurū. Si minus æquitate postulati moueretur, certe regiā fidē ea restituzione libertaret. Ne res ab altercatione ad arma deduceretur & vim erat piculū, turbidamq; cōciret è Gallia temp̄atē. Verū Italicæ expeditionis apparatu districtus gallus aliena curare q̄ posset? & vtiq; numerosus exercitus superatis Alpiū iugis Astā peruerit yrbe à Philippo Vicecomite Mediolanensi Duce datā olim Carolō Aurelianensi eius Regis patri, ea lege vt contra Venetos sociaret arma, opē ferret, bello eū sub vita finē fatigantes. Pr̄cipui callicatum Duxes Stuardus Obenignus & Ioannes Iacobus Triuultius Asta mēse Augusto motis castris omnia opītione faciliota inuenere. Alexandria, Ticinum, Placentia breui ad ditionē subiunctæ. accessere minora oppida magno numero. Veneti quoq; haud minori felicitate Cremonā, Geradā, Laudē & quidquid Mediolanensis principatus eo trāctu erat vītricibus armis præsidiiisq; occuparūt. Tantis vno tempore cladib. Mediolanenses ciues conteriti correptis repēte armis magnisq; clamoribus Ludouico abdicato per yrbis plateas gallica signa sustulerunt. Ad tumultum popularem sedandum Dux neque virium neque animi satis habens, neque iubendi vetandive potens non tam princeps iam quam belli causa ad arcem necessario cum confugisset rebus despefatis Ascanium Cardinalē & sui scrinii Præfectum cum filiis thesaurisq; in germaniā p̄misiit: eodem ipse paulo post postridie kalen Septembri de nocte ne appellatis quidē militibus est subsecutus. Exilii atq; itineris socii Atestinus Cardinalis & Galeacius Sanseuerinus eius gener & copiarum dux pr̄cipiūs. Sic imperiū malis artibus quæsitum non fuit stabile; ambitionem, inhumanitatem, cupiditatemq; superi vindicarunt. Ipse principatu deturbatus, amissis amicis, quoru plerosq; p̄ posteris actionib. alienarat, vagus incertusq; agebatur, non magis virium inops quam consilii. Princeps alioqui eximie sagax, neq; illi res villa, neq; quisquam hominum satis placebat. Tertio post mense in partē victoriae genuit concessit vltro ne tentata quidem defensione. Restiterat gallus Lugduni quorsum res euaderent expectans. Inde nobilissimæ victoriæ fructum percepturus & vt parti principatus rationes cōponeret, in Italiam maturauit. Mediolanum inuenti triumphi persimili pompa populus obuiā portis est fusus magna significacione lætitiae fausta omnia, vitam longāvam, felicitatē perpetuam cōprecari tantundē facturus pro aduersario si vicisset, quę mobilitas plebis est. Dux Valentinus Regis iter prosecutus Flaminia vrbibus ad veterem ditionem Pontificiam retrocandis trecentos grauis arahature equites regis stipendiis dari impetravit Iutio Alegrio duce, prēterea quatuor millia Heluetios impensa Pontificis & auspiciis militaturos. Decreta etiam gallica auxilia Florentinis aduersus Pisanos libertatem tuentes. Mediolanensi bello confecto ex sententia, continuo gallus ad Neapolitatum regnum anūnū adiecit, sua sponte currente Potitifex subditis stimulis certaq; victoriæ spē concitatbat. Placuit tamen reficere copias priusquam in eam expeditiōnem se daret, eq; in galliam redire. genuit Philippum Rauastainum, Mediolano Ioannem Iacobum Triuultium spētata virtute fideq; viros præfecit alterum germanici generis Italicī alterum. Franciscum Ioannis caleacii Mediolanensi principatu à patruo spoliati filium, ne quid turbarum ea occasione existeret, secum in galliam abduxit: vbi in sacerdotis morem detotius atinis sequentibus ex equi casu inter venandum in Heduis periit, nulla neq; vita neq; mortis laude. Italiz motus Regē Catholicū sollicitū habebant, ne velut ex continentibus tectis diffusa flama inuoltui & ipsum necesse esset. Itaq; Friderici Regis nomine honestissimas conditiones gallo offerre, ad pacem hortari. Recusabat ille

ille partem, vniuersas regni florentis opes spe vasta & cupiditate complexus. Ad eas ergo conditiones recursum, quæ à Gallis dudum propositæ fuerant ab Hispano repudiatae. Fridericum propter parentis natales iniustum Regem esse Gallus & Hispanus certiori iure iunctis viribus Neapolitanum regnum expugnatum inter se per conditiones partirentur. In eius fœderis maturandi curam intentus agebat tunc Rex Catholicus Granatæ quo Ioanna soror Neapolitana Regina ex Italia in Hispaniam redux appulit. Margarita simul princeps ex ea urbe profecta in patriam abiit, deducente Alfonso Fonseca Cōpostellano præside ad callix fines, qua itet erat. Simul ex aulae asseclis quidam cuius nomen non proditur, in Galliam amandatur iussus cum Michaelo Ioanne Gralla apud Regem Gallum legato consiliis communicatis suo ipsorum nomine ad eam pacis conditionem recurrere, si forte eadem mens Gallo esset, quæ antea, an Victoria ferocior esset factus. Fecit ille quod erat mandatum. Rhotomagensi Cardinali, ex cuius arbitrio cuncta belli & pacis consilia prodibant et molitiones haudquaquam displicebant: ne Clatio quidem regulo proximum auctoritatis & gratiae locum in ea aula occupanti. Accedebat utilitas huic quidem facta Crotonis obtainendæ Magnæ Græciæ matitimiæ vrbis: eius se Marchionem dicebat. Iis adiutoribus fædus breui coitrum dubitabat nemo. Fridericus Rex aduersus ex Gallia imminentem tempestatem, an harum etiam molitionum non ignarus, si armis peteretur, aduocaturum Turcarum classem in Italiam minari. Tentauit etiam Pontificem placare Theani principatu & Suessa, quæ vrbes in Gaudiæ dueis ditione fuerant. Valentino ultro oblati ingenti pecunia adiecta, præterea Alfonso Aragonio fratri filio, cui nupserat Lucretia Borgia, Salerni & Sanseuerini principatum pollicitus, largus in periculo, & nimius quæ retractaret parta pace. Ea est timoris natura. Honestissimas Pontificis conditiones Valentini litteræ disturbarunt ex Gallia, vbi tunc erat, renunciantis eius concordiæ intempestiua mentione Gallorum animos vehementer esse turbatos: proinde eo commercio prorsus absisterent. Huius anni fine in Belgis Cleonora est nata Archiducis filia maior annis sequentibus Regina prius Lusitaniae, deinde Gallæ priori coniugio quam posteriori felicior, in utraque fortuna salua probitatis fama.

Montani ad Granatam Mauri rebellant. CAPUT V.

Quo tempore Rex & Regina Granatarum abierunt, Archiepiscopis Toletanis Compluti hæsit schola in eō oppido cōstituenda intentis ad exemplar Parisiensis in gallia modicis tunc initis deinde præclarum literarum domiciliū. Collegii præcipui & maximis, cui à Diuino Illefonso est nomine, fundamenta primum sunt iacta pridie Idus Martii. Architectus Petrus gumiel in ea arte apprime versatus & nobilis, formacei initio parietes frontem è candido lapide pulcherrimam tempus aditinxit. Notium granatæ regnū stabilendi Regibus cura erat. Si Mauri, quorum magna multitudo supererat, Christiana sancta suscepserent, fore consultum videbatur ne à ceteris ciuibus in religionis placitis discrepatent. Quippe in religionis dissidio concordia animotum inter ciues constare non potest. Eucatō in eam rē Toletano præsule & quid facto opus esset monito, Reges Hispalim discesserunt. Archiepiscopi Toletanus & granatensis communicato consilio parique ardore in opus ingressi vitæ probitate similes & promouendæ religionis studio incensi ex æquo ad Mauros sanatidos diligentē nauare operā statuunt. Mauros quosdā Elches vulgo dictos, qui Christi sacra, quæ prius susceperant, eiutarāt, inquisitorū permisſu, quorū ea cura erat, malo cogere visum est: ae præsertim teneros filios per vim autulos sanctis fontibus eluēdos adhibere. Id vero turbatum initium extitit. Etsi gentis sacerdotes præterea, quos Alfaquinos dicunt, multa Præsulum benignitate, donisq; vieti è promiscua Maurorū multitudine plerosq; ut se Christo adiungeret, auctoritate & exemplo effecere. Intelligebant artes, offendebantq; Maurorū vulgus. Ergo promoti animis & in rabiem acti Albaicini Mauri, q; magno numero erant, correptis armis, q; abscondita tenebant, plateas transuersis trabib, vicosq; muniere. Toletanū quoq; intra edes suas p nocte obsederū perimere destinantes. Ingēs ea nocte trepidatio, & ciuitatis permixtio patidē tumultuantisq;. Cū luce Tendillie Comes, quippe belli dux arcisq; Alhambrę Præfectus, militib; in vrbē etiōcatis neutri vti nocerent inter se auctoritate & mitis effecit. Missæ ad Reges litteræ periculū tenuiſiatū. In quo accidit exigua quidē sed memoria digna res. Litteras Toletanus ad Reges A Ethiopi p̄ferendas dedit, viginti leucas pedibus conficere die uno solito nihilominus. Iti quod peccatum fuisse grauissime euentus docuit. Ad primū enim aut alterū diuersoriū tahtū vini miser haurit (& est ea gēs in ebrietatē effusa) vt emota niēte diē integrū in dormire crapiū opus habuerit. Fama aliiq; sup alios de re tāta rāmores nūtiiq; vti necesse erat Hispalim

præcurrerant. Mirabantur reges nihil à Toletano literarū venire. Reginā negligentie pudebat, plerosq; sermones in eius nomen crumpere, qui ea auctore in sublimem dignitatis locum consenderat. Rex quoq; ad superiorē molestiam, quoniam eū in honorē Alfonso Aragonio filio suo destinarat antea, & tunc nouo tēdio concepto haud obscuris verbōrum aculeis Reginā perstringens, En, inquit, tuum Antistitē præclarum scilicet & magnum. Appulit tandem AEthiops: Toletanusq; ex ea mora pudore suffusus Frāciscum Ruiciū ex eodem ordine socium suum misit: qui factum excusaret, & totius rei ordinem Regibus explicaret, calumniamque detergeret, quę multi eius imprudentia accusabant Mauros fuisse concitatos in furorem. Præterea accusare quā mutare facilius est. Sed Granatae tamen & Toleti anniversarii sacrī ad quintum decimum kal Jan. eitis diei memoria renouatur omnibus annis, quo tria Maurorum millia sacro fonte abluta fuerunt. Ad quęstiones habendas puniendasq; quorū noxa in eo tumultu grauior extitisset, missus cū potestate iudex, voce p̄conis veniā edixit tamen omnibus, qui Christiana sacra syncrea mente susciperet. Suppicio de quibusdā sumpto, aliis in vincula traditis, tū hi, tum eorum exemplo ceteri Mauri, qui Albaicinum incolebant, se Christi religionem velle profeti renunciarunt supplices in timore animo peruvicaces atque insaniam repetituri, huius facultas esset, tantundem fecerunt alii qui per Granatam reliquam sparsis domiciliis habitabant, quippe in villis suburbanis vitam terrae cultu tolerabant, omnes ad quinq̄aginta millia capitum. Tempora simūl superstitione Maurica fēda, ex ritu Christiano sacrificata sunt. Simulatio, haud potest esse diuturna: neque metus officii magister satis idoneus. Montani ad Granatam Mauri locorum natura freti simulantes an vero persuasi reliquos per vim nostros fuisse factos, tumultus passim cōcitare cōspiratio, ne inter se facta consilio cōmunicato. Initium rebellandi Huegiaris incolæ fecerunt in mutatione magis quam viribus confisi: quippe locis aspermis est oppidū. Accurrunt magna celeritate Tehdilliae Comes & Magnus Gonsaluu, forte eo tēpore agens Granatae, ne pri, mā negligendo serperet malū. Capto per vim oppido in plerosq; rebellēs ferro est sauitū. Cæteros vicina mōtium iuga syluęq; texere. Eodem impetu alia circum Maurorū oppida capta: neq; sisti tamen malū potuit fatali defēctione quasi pestis lue per late patentes mōtes diffusa grassanteq;. Atq; ita vt non modo sua tueri parati essent, sed de finitimis prēdās agere, vastare agros, carpere quoq; oppida, cædes facere. Marxenam imprimis obseverūt quod oppidum in Promagistri Castellē ditione erat. Aduersus hos conatus Petrus Fagiar, qui Almeriæ cum exigua manu militari tunc erat, Alhamillam vicinum Maxenam op̄pidum de Mauris cum arce cepit: eoq; terrore Marxenæ obsidio soluta est, hostes dissipati. Salutis anno Milles. quingentesimo auspicante hæc gerebantur. Ipso tempore Regina Hispali reliq̄a rex Granatam rediit in vnam comprimendi eos motus curam intenſus, metu ne ex Africa quæ vicina est, & vnde auxilia rebelles petere decreuerant, graui aliquo bello implicaretur Hispania vix è superioribus cladibus recreata: ipseq; intellecti belli mole impeditus cogeretur ab Italiz cogitatione cessare: quod eius rationes vehementer conturbaret. Itaq; Bētica ciuitatibus & nobilitate vniuersa ad arma signa, euocatis, numerosum exercitum magis quam validum conflauit. Cum iis copiis ipsi met kalendis Martii Granata profectus Langaronem versus contendit locis prēruptis situm oppidum. Obstinati Mauri animis nihil voluntate facturi videbantur. Vi admota captum direptumq; est oppidum. Lerini Comes aliique proceres copiis in plures diductis manus ac per eos montes dissipati multas ea parte arcēs & oppida pari felicitate expugnarunt. Sæua ac deformis eo tractu vniuerso rerū facies. Victa malis ferocia Mauri rebelles se dedere decreuerunt. Imprudenti impetu cępta; initii validā, mora languescunt. Data omnibus venia modo pacatis ea lege vt intra dies quatuor Castellū ferreum, Adram, Bugnolumq; restituerent, q̄ oppida motū initio de nostris ceperant, & quamuis infirma ante iniuriaq; opportuna diligenter ipsi ad omnes casus vimq; arcendam munierant. Arma telaq; omne gēnus trāderent. Præterea quinquaginta millia auri duabus pensionibus. Obsidesq; fidei, ita facturos in Magni Duci potestate triginta quatuor è præcipuis Mauris. Motib. ad hūc modum cōpositis rex Granatæ substitit ea gente ad Christum adiungenda abluenda salutarib. aquis districtus. Ea diligentia paulo post montani Mauri, quiq; Almeriæ, Bastæ, & Guidixi habitabant aliisq; locis nostra sacra populariter suscepere. Missi ad eos cōfirmandos, sanandos ceteros pii in omnes partes concionatores sunt adiuncti militari præsidio. Dignitatis specie ne violarentur impune agebatur, si qui male cogitarent. Et est gēs Maurica mobilis ingenio, fluxa fide. Quod prudenter ad salutem comparatum videbatur in contrarium vertit, sic humana consilia ſepe deluduntur. improvidas hominum mentes. Vulgatum rursus fama ex eo apparatu vim & metum Mauris nouo

ñō conatu intentari. Incole Belefichi & Nixatii, quæ oppida iugis montium asperrimis
 sita sunt, arma hyeme proxima corripuerūt patriæ superstitionis libertatem supremo co-
 natu, tueri destinantes. Horum exemplum pleraq; eo tractu oppida montana sunt secuta:
 signumq; sublatum, quo confluenter cæteri Mauri. Quia spe quibus viribus: cæcus animi
 impetus miseram gentem in furorē agebat patriæ superstitionis amore qua nihil est po-
 tentius. A Rege qui vsq; dum Granatæ morabatur bello dux designatus regiæ aulicorū
 cohorti Præfectus cōtinuo collectas copias Belefichum admouit: In pugnatum oppidum
 omnibus virib. & machinis. Obsessis tamen strenue tuentibus à mœnib. repulsi sunt no-
 stri non sine multorum strage. Inter quos viri genere factisve clari cecidere. Ducebatur
 10 obsidio tamen. Mauri sola desperatione sustentabant, pro nostris causa erat, & parta sèpe
 victoria. Obsessi tādem siti victi positis armis, iisq; & reliquo apparatu bellico victori tra-
 ditis oppidum arcemq; dediderunt vnā incolumitatē pacti. Bona & libertatē arbitrio vi-
 ctoris permisere de regia clementia confisi: Eo terrore Nixarii incolæ iisdem conditioni-
 bus venere in potestatē, ea tantū exceptione, vt libertatē publice redimēdi viginti quinq;
 aureorū millib. facultas esset. Festinatæ deditiōnis id præmiū fuit. Ad Regē præterea pla-
 candum Mauri supra decem millia Seronis Tiiolæ aliorumq; eo tractu pagorum incolæ
 sacris fontibus sunt admoti. Magnus numerus, ad pacandā gentem reiq; summam emo-
 lumenti parū. Nam eodē tempore in Arundē & Villalongæ cōfragosis montib. Maurici
 tumultus publice sunt concitati. Cōmotus, vt par erat, noua rebellione Rex voce quidem
 20 præconis edictoq; denunciari mandauit omnib. Mauris qui in iis montibus, vbi motus e-
 rāt, habitarant, vt in Castellā discederent. parando discessū dies non amplius decē dati, cū
 eo tamen arcano concessit, si qui nostrā religionē susciperent, iis manendi in patria suaq;
 cuiq; retinendi venia esset. Deinde Vreniæ Comiti & Alfonso Aquilario Magni ducis
 fratri maiori, præterea Ioanni Siluæ Cifontano Comiti tunc Hispalēsi Prætori belli cura
 est demandata. Mauros indigenas eo terrore proposito facile animos ad sanitatē reuocā-
 tes Gandules gens Africana quæ auxilio rebellib. venerat, ab ea mēte deducere conabā-
 tur. quibus in temeritate & in contumacia spes, nihil præcipuū in Hispania. Saniores tamē
 Arundam positis armis vltro magnoq; numero venerunt Christianæ religionis amorē si-
 mulantes. Maior pars in incæpto perstittit: & qui immunita loca tenebāt in montē Rubrū
 30 præcipua asperitate se suos suaq; contulerunt loci ardui natura confisi magis q̄ vera vir-
 tute. Iisdē vestigiis regiæ copiæ prosecutæ prope Monardam ad radices eius montis po-
 fuerunt castra. Mauri ad móris latus in armis se ostentare ascensu prohibere hostes para-
 bant. Cōmoti eo spectaculo pauci è piorū numero cupiditate prædæ ducū iniussu subla-
 to raptim vexillo transmissioq; torrēte, qui ea parte decurrebat præceps inter saxa niti per
 ardua cæperunt. Secuti suut alii ne primis desertis in periculo ignominia aliqua cladesq;
 acciperetur. Vrgebant de superiori loco Mauri, nostrosq; ascensu magnavirtute prohibe-
 bant. Si premebantur turpe nō ducebant loco cedere, seq; in altiora iuga recipere quę ex
 interuallo exæquata munitaq; quasi propugnacula habebant. Instantib. nostris ad plani-
 ciē latam peruentū tandem est summumq; fastigium montis vbi Maurorum vxores filiiq;
 40 erant atq; impedimenta, incitamentū vtrisq; vt supremo conatu alii tuerentur, alii cona-
 rētur prædam rapere. Nostros cupiditas arcebat, aduersarios desperatio, si victi essent, in
 rabiē agebat. Cessit tamē virtuti sine viribus furor. Mauri qua parte nostri impressionē fe-
 cerunt, terga verterunt. Institere in primo agmine Alfonsus Aquilarius & Vreniæ Comes
 cū duob. filiis. Ne victoria integra esset, praua cupiditas obstitit importunūq; inter ipsos
 certamē hoste neglecto spolia consecandi. Maior pars quasi victoria parta ad prædam
 versi sunt turbatis ordinib. militaris disciplinæ nulla cura. Multis horis in ascensu pugnaq;
 consumptis nox superueniens viatos texit locorum peritos, nostris temeritas exitio fuit.
 Ductor Maurorum Feruis Benastepar collectis ex fuga suorum reliquiis vir strenuus &
 sagax, hostium perturbatione ratus rei bene gerendæ opportunitatē oblatam, circumfu-
 os milites pro tempore hac sententia oratione acuit. Quo milites ruitis, quæ causa fugi-
 50 endi, Bona, vxores & filios quo loco relinquitis? Nisi vestré vos manus texerint & ar-
 ma, quis nam malis medeatur, quis erit præsidio? An quo vos fugietis, eodem rabidi ho-
 stes non poterunt penetrare? Furor est in pedibus spem ponere, quorum dextræ ferro
 sunt armatæ. Quę ignaos terrent, & timidis videntur ardua, virtuti peruvia sunt. Hostium
 perturbationem considerate (forte sulphurei pulueris cado incenso late diffusa flamma
 dispalatos prædantesque monstrauit.) Ergo pensato agmine in hostes dissipatos irruite
 vestris spoliis graues impeditosque. Præcedam ipse, ferroque secturis iter pandam. Vo-
 bis nisi exemplum milites dedero, verbis meis ne amplius fidem adiungatis. Ducis ver-
 bis inflāmati Mauri pugnā magnis animis repetunt. Non audacia sed temeritas videba-
 tur viatores nouo conatu laceſſere. Ignaos tamē necessitas acuit, & desperatio, q̄ sèpe spei

causa extitit. Dux Maurus forte an consilio in Alfonsum Aquilarium delatus, qui usque dum cum paucis pugnam sustentabat, ut erat thorace propter astutum diloricato, eius peretus graui vulnere sauciauit. Ingeminarunt alii iactus eo vulnerum numero, ut deformatum corpus in hostis potestate relictum vix postea dignosci à domesticis potuerit. Perierunt cum eo plures ducentis, atque in eo numero Franciscus Ramirus Madriti cuius dux magnus virtute fama pari toto bello Granateni parta. Petrus Corduba Alfonsi Aquilarii filius periculo ægre eruptus ad Vrenium euasit cum globo militum hostis successu ferocientis impetum comprimere paratum. Cifontanus paulo inferius in mortis latere cum Hispalensi vexillo resistens multis ex fuga ad eius praesidium se recipientibus saluti fuit, sive agminis & fugientium armis hostium vim usque ad auroram sustentauit. Cum luce Mauri fracti metu an pugnando defatigati montis fastigium conuersis signis repetierunt. Sic Alfonsus perii genere & factis inter Hispanos nobilissimus heros. Hostes eripuererunt vitam: de eius laudibus nunquam bona posteritas conticeset quandiu Hispanicæ res stabunt. Arundæ Rex tunc erat commotus, ut par erat ea clade, Gentis perfidiam vlcisci correptis armis destinabat. Placuit tamen Anagari ducem Daydinum impugnare oppidum non satis validum, neque satis munitum. Vrenio & Cifontano mandatum vti infaustos montes nouo conatu superandi, qua parte ante ascenderant, specie præberent. Hostes nouo terrore proposito desperata victoria de compositione vltro appellare constituerunt, veniam positis armis fore non desperantes. Datum abs Rege ut in Africâ discedere volentibus libera facultas esset nauibus etiam ad Astapæ portum ad traiiciendum integræ fide paratis, per capita tantum denos aureos singuli traiecturi penderent libertatis pretium: qui patria carere nollent Christo ii sincere nomina darent. Firmato iis conditionibus federe multi in Africam abidere: multo plures restiterunt in Hispania insimulatæ Christianæ religionis specie nihilo abeuntibus saniores ingenio perueiaci. Sic diurni motus qui Hispaniam solicitam habebant, & mala quæ ex iis impendere grauissima videbantur, faciliorem opinionem exitum habuere. Verum Alfonsi Aquilarii mors in proximum annum incidit. Ad superiora rationemq; temporum reuertamur.

Res Mediolanenses. C A P V T VI.

Montani Mauri ad Granatam tumultuantur, simul à Rege Catholico instructa classe Gonsaluus destinabatur Venetis auxilium aduersus Turcas eorum ditionem inuidentes armis, imminentes reliquæ Italæ spei occupadæ accitu, ut ferebat fama tum Mediolanensis Ducis tū Regis Neapolitani sua vt tueretur à iuratis aduersariis inclinatis rebus grande momentum, sic illi putabant. De Sicilia quoque cura erat, cui illa procella quippe è vicino minabatur maxime. Simul à Valentino Pôtificis nomine, Gallicis armis bello ad Flaminiam illato de variis tyrannis eo tractu vrbes & oppida capiebantur, nullo relichto innoxio qui resisteret. Ita forum Cornelii occupauit, atq; Forliuum, cuius vrbis Comitem principem feminam cepit. In Pisauri regulū ardenter ira: cui antea soror Lucretia nupta fuerat. Grauissimū est odiū, quod inter propinquos & necessarios excitatur. Prouiso ille periculo vrbe, ut tempus dabat munita fuga euaserat, quam vrbem obsidere Valentinus instituit. Magnorum motuū sœuæ tempestatis hæc initia erant: Magnum Italæ malum parabatur: Ac præsertim Ludouicus Sfortia ad principatum recuperandū ab Imperatore & Germanis Principibus aliis auxilia patrociniumq; implorare non desistebat. Ea diligentia Heluetiorum & Grisonum conflato idoneo exercitu Ascanium Cardinalē fratrem Ianuario mense præmisit in Insubres: vbi faciliora omnia opinione sunt inuenta, priorē inuidiā misericordia mitigarat. Erga eiectū & exulē successerat humanitas. Arces & vrbes certatim venienti se dedere, festinatione fidem studiumque approbare cupientes. Ipsa etiam vrbis Comum & oppida lacui Lario adiacentia vltro portas aperuere. Ad eam famam Mediolanenses ciues arreptis pro Ludouico armis Triulcium in arcem se compingere compulerunt. Vnde die tertio cum equitatu Ticinum versus discessit. Ipso die Ascanius Cardinalis quasi victoria de hostibus parta triumphi simili pompa vrbem iniuit. Subsecutus est Ludouicus frater, arce quamuis Gallico præsidio detenta. Ticinum, Laus, Dertona, Placentia ad vetus imperium aliarum vrbi exemplo sponte redierunt: aliae pulsis Gallicis præsidiis se dedere duci fatagebant. Clandestinis hæc agitata consiliis alto silentio premebantur, dum votis opportuna se daret occasio. Gallici exercitus robur Nouariam ex condicto confluxit, si auctis viribus possent ducis conatibus obsistere, prodire in aciem. Gallicæ etiam copiæ, quæ in Flaminia curabant eodem conuenere cōmeatu petito. Quæ causa extitit Duci Valentino id bellū inter-

Intermittendi Pisauro quamuis nondum expugnata, Romā repetendi, quo fratres porro redierant cum Pontifice redintegrata gratia videlicet. Romæ Valentinus apparatu, incessu, excubiis, vindicandis hominibus vim Principis complexus, nomen impetii Pontifici modo relinquere vsque eo obnoxio ut nihil magna rei nisi eo arbitrio gereretur. Rerum conditio miserabilis fædaque. Gandaui, vbi Ioanna Princeps agebat, Carolus Archiduci natu maior filius est natus felici sorte ipso Matthiæ Apostoli memoria sacro die: cui amplissima imperia, immensa copiae victoriae de hostibus multæ & præclaræ cœlo destinatae erant. Octauio ab ortu die Margarita amita in eam urbem appulsa infantem de sacro fonte suscepit una cum Margarita altera posteriori Caroli Audacis coniuge usque dum superstite. Duce Lucemburgium vocari infantem placuit veteri more mutato: nam ante Duce Burgundiæ maiores filii Carolesii Comites vocari moris erat. Impleuit ea res Hispaniam noua lætitia. ipsa Isabella Regina die natali nunciato, subdit ex diuinis litteris: Cecidit sors super Mathiam. vaticinium vanum non extitit, neque coniectura falsa. Enim uero de incolumitate Michaelis Principis ob eius imbecillitatem exigua spes erat: ac paulo post Granatæ obiit. Eius plane obitu Philippus Archidux & vxor Castellæ & Aragoniæ Principes dici cœpere, haud dubio hereditatis iure indicioq; E Lusitania post Vasco Gamæ redditum classe tredecim nauium Petrus Aluarus Capralis Indiam iussus repetere, profectus, Olisipone ad octauum Idus Martii ex itinere Brasiliæ primus mortalium inuenit, tametsi eam laudem alii ad Americum Vespuçiu Florentinum natione ablegat, litem dirimere non est tanti. Inde magno flexu Calecutium delatus, atq; in ea urbe benigne primum acceptus, deinde quæ est gentis perfidia & leuitas, violatus iniuria, necessario ad vim & manus venit. Hæc in India. In Lusitania Iacobi Visei ducis filius ex impari matre ab Emanuele Rege patruo Magister equitum in Lusitania constitutus hoc tempore, annis consequentibus filia vnica relicta decepit: quæ Villeregalis Comiti uxor data est postmodum. Bellum in Insubribus ducebatur meliori sorte ducis Mediolanensis multa denuo carpentis oppida & ad reliqua aspirantis. Alexandria ultro in eius potestatem concessit. Nouariam eo admotis copiis ex deditio cepit, arcem in Gallica fide perstantem impugnabat. Haud diurna felicitas fuit. Cum aduersariis, qui non procul ea urbe tendebant, iusto prælio decernere parans vnaq; victoria molesto bello finē imponere, copias foras urbem produxit sane sedecim millia qua Germanos qua Heluetios. Instruta acie datoq; pugna signo Heluetii contra morē gentis contraq; spem detrectarunt contra Gallos & qui ex sua natione ab illis stabant, ferro dimicare suorum in iuslu magistratum. Ea species est proditioni quæsta. Dux necessario se in urbem copiasq; retulit ab ea mente Heluetios si posset deducturus. Fefellit eum spes, & est omnis incauta securitas. Ingenti pecunia venditum prodiderunt Gallis infensis importunisq; hostibus. Delatus mox in Galliam atq; in arctam custodiam datus vita & vinculoru eundem finē habuit egregius alioqui Princeps, nisi à scelere principatum esset auspicatus: quod super ea calamitate vindicarunt. Ascanius Cardinalis fratris miseria grauiq; casu nunciato continuo arcis Mediolanensis, quam impugnabat obsidione soluta, Placentiam versus discessit, quingenti equites sequebantur ad reparandā domus ruinam exigua manus, spei tamen aliquantū euadendi, metus amplior. A Carolo Ursino Venetorum, qui eo tractu militabait, duce ex itinere viætis fusisq; ceteris Cardinalis ipse captus, atq; in Galliā quoq; mislus est gratū Gallo Regi munus ruinæ fraternæ socius. Eius iussu Biturigū in urbe aliquandiu detetus ex aliquanto interuallo libertatē obtinuit. Is honor purpuræ sacra habitus est & Rhotomagensis Cardinalis gratiæ: cuius ad arbitriū cunctæ in Gallia res vertebarunt. Ducus filii Maximilianus Franciscusq; ne sequa domus suæ ruina vna opprimerentur, in Cæsaris curia relieti à patre, diu apud germanos morati sunt inopes, exules, sine labore familiari vagi. Post viætoriā Mediolanensis principatus haud egre quidē Gallo cef sit vniuersus. Ciuitates eæ, quæ Duci adueniēti sine mora deditio fecerant, ingenti singulæ in stipendiū pecunia sunt mulctatae. Sic Italia suis copis & virib. in sua viscera vertebat arma, suo quin etiā sanguine vincebatur. Venerat in Italiā Rhotomagensis Cardinalis bello antea à Gallo dux cum aliis destinatus. Parta viætia Mediolani agebat, terū Italicas bello paceq; arbiter habebatur. Eo promerendo datū expertenti à Pontifice est, ut totius gallie vna excepta Britannia, legatus esset annuo & semestri spatio tunc: quod deinde tempus est additionibus sepe amplificatum, ac proprium redditum dum vitæ mansit. De Vasconum regibus multa Rex Catholicus suspicari accipiendis delationibus pronus in eos principes maxime. Amicitia cum Gallo multis officiis culta, magnèque cum ea gente necessitudines vereri cogebant, ne monstri aliquid Hispaniæ parerent. Ita annis superioribus preter sacramentum ab arcium Præfectis in

verba Regis Catholici vniuersa ditione factum, Sanguessam & Vianam quasi fidei pignora penes sequestrum esse constitutum fuerat designato quinque annorum spatio. Eo decurso tempore Vascones ea oppida repetebant; neque restituebat Hispanus aliam ex alia moræ causam obtendens. Ut controvexas componeret Rex Vasconum Hispanum adiit mense Aprili, ubi reges Catholici morabantur. Ea diligentia Magdalenaque filia vñica fidei pignore in Castellam amandata, ut in aula Reginę cresceret, litibus tunc quidem finis est impositus; eaque oppida restituta, de quibus erat disceptatio. Contra Lerini Comiti in Castella exuli à Vascone venia data, ademptique principatus pars multo maior redditæ est. Equitum adeo magisterium restitutum non sine inuidia Alfonsi Peraltae sancti Stephani Comitis, cui graue erat honorem antea delatum nullo suo merito in gratiam inquieti & factiosi hominis detrahi. Vnde noui motus & molestiae metuebant extitereque.

Gonsaluu Magnus dux in Italiam redit. C A P. VII.

Secularem annum more majorum Pontifex clausit, venia peccatorum inuitati innueri mortales ex omnibus prouinciis Romam confluxerunt finitimi & longinqui pietatis studiis certantes plenam maiestate & numine vrber inuisere, religionis arcem, veritatis magistrum. Morum licentia vigebat inter viros sacratos ut si qua in parte orbis maxime. Eam turpitudinem vindicare Deus visus est euentu mirabili Pontifice castigato ceteris territis exemplo. Apostolorum Petri & Pauli sacro die hora quarta post meridiem violentus turbo exitit imbris & grandinis, qualem non meminerant. Ventorum vehementi procella tubus vaporarius euersus supra cænationem cui à Pontificibus est nomen, ubi forte Pontifex tunc agebat familiari sermone tempus fallens. Supra eam cænationem Valentini domicilium erat. Procedentis tubi pondus tabulatum primum traxit, atque è tribus Florentinis ciuibus, qui expectabant dum à Valentino debita pecunia summa redderetur, secundo tabulato confracto duos ad pedes Pontificis exanimatos & occisos proiecit, tertium quoque spirantem, sed graui vulnere saucium. Multi cum lateres tum tabule ne Pontificis caput comminuerent superstantis vmbellæ tegmine factum est. Eadem inuoluto capite ne puluere suffocaretur, valuit. Accurrunt aulici. exanimatum Pontificem inter rudera repertum capite & manu grauiter sauciatis, expiranti similem nec satis compotem mentis in strato componunt. Capuæ Cardinalis, & quidam aliis, qui soli cum Pontifice erant sub fenestrarum absidibus & recessibus vitam seruarunt. Multi apud populum coniectandi superstitioni ad insaniam deditum, Romæ præsternim rumores sunt sparsi. Variæ significationes & prodigia captata lingua procaci. Septuagesimum annum inpleuerat Pontifex. tractata vulnera recrudecere videbantur. Vulgi sermonibus multi successores in Pontificatu senatus principes designabantur. Valentinus ipse auxilia Gallica conquerere, alia præsidia ab aliis, ad eum constituendum Pontificem, quem priuatis quisque rationibus opportunum maxime iudicabat, nulla reip. cura. Verum eas omnes molitiones restituta breui Pontificis valetudo frænauit. Ipsi tempore Gonsaluus instructa idonea classe nauium supra triginta adiunctisque aliquot tremibus, biremis, Malacæ è portu soluit. Vehebantur ea classe pedites quatuor millia, equites grauis armaturæ trecenti. Viri inter ceteros nobilitate factisque præstantes. In eo numero Dieghus Lopus Mendoza Hispaniæ Cardinali natus, Alfonsus Silua Calatravæ Clauiger. Lenta nauigatio fuit. Secundo prouecti flatu ad Balearem maiorem atque Sardiniam appulsi impeditique multis malaciis, tandem Messanæ in Sicilia portum tenuerunt ad quintum decimum kalendas Augusti. Eo Hispani milites per Italiam dispersi atque ex bellis superiorib. relieti magno viri animo pugnandi scientia præstantes confluxere, naues quoque aliæ conuenere seque adiunxere ad Hispanicam classem. A Turcis mariterraque vrbs in Peloponneso præclara Methone obsidione premebatur. Veneti, quorum in ditione erat, Gonsaluum, ut se cum eorum classe coniungeret, conuictio solicabant. Cupiebat is obsequi iustissimis postulatis. Magnis tamen impeditus difficultatibus non ante quintum kalendas Octobris vrbe iam à Turcis capta soluit Messana, serum rebus perditis auxilium. Inter alias moræ caussas illa præcipua. Gerbis regulus noua militū subfida postulabat mitti, insulanos frænare cupiens noua ope, Margariti ducis & militum, qui sub eo erant, licentia, rapinis & iniuriis exacerbatos, ac in ipsum Africa vniuersa commota quasi rebus nostris faueret, Maurus nomine tenus esset. Mauro satisfacere integrum non erat alio properantibus. Spe depulsus Margaritum & suos arte in potestatem redactos deinde dimisit liberos arce tamen & vniuersa insula prohibitos. Hispanica classis

classis Corcyram maris Ionii Venetæ ditionis insulam tenuit postridie Kalendas Octobris. Eius aduentus salutaris fuit insulanis. Turcæ inuidendi eos mutata voluntate Naupliam Peloponnesi urbem & nauale cum primis olim nobile admota eo classe impugnare decreuerunt. In gallia per idem tempus magna legatorum contentione pax tandem inter Reges gallum & Catholicum facta est. Conditiones alix honestæ fuerunt. De Neapolitano regno sancitum, ut facta diuisione Apuli & Brutii Hispano cederent. Reliqua obtineret gallus. Vestigalia modo ex pecoribus in Apulia colligi solita ex æquo partirentur: ac vero regni prouentus vniuersos ita ut neutrī amplius cederet quam alteris. omnino ex æquari redditus vtriusque partis bona fide volebant. Fædus lubricum neque futurum stabile. Species facta prætentā præter vetusta vtriusque Regis iura Turcis pro religione bellum illaturos. Fridericum, cui cum ea gente fœdus erat & iuncta amicitia, quamque auxilio euocare decreuerat, ne pro religione susceptos conatus impeditret, ditione spoliare visum est. Idonea species scilicet magis quam vera causa consona iuri & æquitati. Clandestinis primum hæc agitata consiliis alto silentio tegebantur. Pontifici dein significata gratissima ei extiterunt, quin vtrique Regi Pontificia auctoritate partis decretæ imperium suo diplomate quasi beneficiariis Romanæ Ecclesiæ confirmauit. Gallo Neapolitanū & Hierosolymitani Regi Hispano Apuliæ Ducis titulos. Friderici Regis odium incitabat: spesque ex communi præda suos nouis augendi principatibus, haud obscure à gallo & Hispano facta. Cælestis vindicta quos premere coepit, in præceps agit. Veteres domini non magis viribus quam consilio destituti vagi, incerti, virtuti an fidei popularium minus crederent dubitabant sèpe in fuga ac paulo post in armis spem habentes. Hispana classis è Corcyra profecta Zazynthium appulit Nonis Octobris. Eo porro Veneta classis se cum Hispana coniunxit, duæque onerariae ex gallia venerè cum militibus octingentis auxilium à Gallo Rege promissum pretiumque Ascanii Cardinalis in eius potestatem antea contraditi. Turcæ soluta Naupliae obsidione siue propter anni tempus in hyemem vergentis, seu nostris classibus ut pares essent, veriti, qui in sinu Corinthiaco classem hiberno tempore continere consueuerant ad Venetorum ditionem ipsamque Italiam ex propinquo vexandas, circumducto Peloponneso ad Euripum & Chalcidis littora constiterunt. Ad Zazynthum de belliratione à nostris disputatum est, non vna sed varia ducum sententia. Magno Gonsaluo Methonem tentare placebat expugnatū facilem priusquam operibus muniretur assuesceretque Turcico imperio. Plerique Cephaloniā peti maluere centum & quinquaginta millium ambitu, tutissimo ad occasum portu cum optimis totius orbis comparando Corcyram inter & Zazynthum positam insulam Sinus Corinthiaci fauibus obiectam. Eo consilio probato Gallisque Zazyntho ab euntibus specie quasi non solueretur stipendium, cæteri Georgii fanum petiuerunt præcipuum Cephaloniæ oppidum. Neque mora: ipso die positis iuxta castris, tormentis que mœnium parte strata nostri irrumpere per strages & rudera intra oppidum conantur. Trecenti Turcæ præsidiarii milites eximie fortes magno animo eum impetum sustinuerunt. E nostris vulnerati aliquot, cæteri à mœnibus sunt repulsi. Tempus erat minime idoneum, imbribus continuis & frigoribus impediti milites dies tamen aliquot sustentarunt pro ingenio gentis aduersus mala pericaces. Ipso tandem perugilio diei Christi ortu celeberrimi supremo conatu adhibito admotisque scalis periculi omnis immemores intra horæ spatium in oppidum penetrarunt. Periere in conflitu Turcæ centum septuaginta. Alii quinquaginta qui se in turrim receperant desperata defensione Magni Gonsalui arbitrio salutem & libertatem permiserunt de clementia confisi. Primus in oppidum Martinus Gometius centurio vulnere quamuis accepto irrupit, Turcis etiam ex aditu quem obseperant deiecit. Ea insula superiori tempore in Leonardi Tocci græci reguli ditione fuerat. Huius fratri Veneti detracit tradiderunt Turcis. De illis nunc captam Magnus Gonsaluuus Venetis restituit, magnum ea moderatione ab animi magnitudine decus omnium prædicatione & fama consecutus. Et alioqui commodissima Venetis classibus ea statio erat præsertim post Methonem amissam, Hispanico imperio ob longitudinem parum commoda possessio. Sic classis Hispanica ex ea insula dubio cœlo profecta sœuaque tempestate disiecta, incoluisse tamen Syracusas tenuit extremam Siciliæ ad ortum urbem gemino portu & vetusta imprimis nobilitate præclaram. In Siciliam Veneti Magno Gonsaluo miserunt, qui sitæ ciuitatis ius darent, donaque offerrent vasa argento grauia vestemque pretiosam nauatæ oporæ & impensi beneficii monumentum. Ille Veneti modo cuius honore

contentus cætera ad suum Regem in Hispaniam remisit cum elegantibus litteris; & erat riatura acutus & salsus. Hæc omnia ipso tempore gerebantur, quo Valentinus Dux post cæsum immaniter Viselium sororum suum Romæ repetito bello Flaminij vrbes carpe-re non desistebat. Pisaurum & Ariminum ne tentata quidem defensione portas aperuerunt. Impotentis hominis iracundia timebat. Fauentia tamen diu resistit ope Ioannis Bentiuolii freta Bononiæ ditione obtinensis. Hostem præualidum externo bello disti-nere pars consilii quietisque erat. Præterea ipso anno pontifícia sententia diuortium confirmatum est: quo Ladislaus Hungarus Rex Beaticem Aragoniam thoro expulerat vxorem quondam Matthiae successoris Regis incliti, Ferdinandi senioris Neapolitanæ Regis filiam, eoque Catholici Regis propinquam. Secundum Pontificis sententiam Ladislaus iuncta connubio est Anna castoris Fuxensis Candalæ reguli filia, neptis Eleonoræ Vasconum Reginæ: quæ Ferdinandi Catholici soror exxit. Sic Hispano no-ūx nuptæ maiori aiunculo ad aliorum principum affinitates Hungarica porro iis nu-ptiis accessit.

Lusitanæ Regis coniugium. CAPVT VIII.

QVATUOR REGI CATHOLICO FILIAE fuerant. Isabella natu maior decesserat ex partu, Io-anna & Catharina Austriaco & Anglico Principibus nuperant. Supererat Maria natu minima magnis & ipsa experta connubiis. Fridericus filio suo Duci Calabriæ con-iugem dari cupiebat, regni, quod nutare tempestate videbatur, ab ea affinitate stabili-mentum. Lusitano par votum erat, post vxoris deceßum thoro cœlibe, maiores nempe è propinquo ad obtinendum vires. Itaque ea præferebatur conditio, lege propinquitatis soluere id coniugium primoque affinitatis gradu ut iustum esset, ardua plane res erat, neque probabilis exempli. Ipse etiam Pontifex alioqui minime superstitionis ea venia concedenda se se oppido præbebat difficilem Galli Regis intercessione præcise negans nisi futura ex eo incommoda præstarentur, minæque intentatæ, se vñquam quod pe-tebatur facturum. Multi dies in ea altercatione consumpti. Ut Calabriæ Ducis Ioanna Re-gina, quæ Ferdinandi secundo Neapolitano Regi fuerat iuncta vxor daretur, Rex Ca-tholicus curabat, in ea prouincia relicta quadringentis aureorum millibus patris testa-mento dotalibus. Non displicebat ea conditio Friderico Regi, graue ducenti eam pecuniæ summam sorori viduæ numerare. Cupiebat tamen inter connubiales leges paci-sci ut Rex Catholicus res Neapolitanas in clientelam susciperet in sponsæ gratiam ex so-rore natæ. Quod ille detrectabat facere molitionum conscius & particeps id regnū per conditiones diuidendi cum Gallo. Ac vero eo fœdere maturato Friderico quamuis ad id quod ante offerebatur, propenso, simpliciter, coniugiū coire non est passus. Prouisa quæ imminebat tempestate. Fridericus Rex Gallum omni ratione pacare contendebat. Re-cusabat ille pacem veniamque dare, nisi Caietana arce fidei pignore, filioque Calabriæ Duce in galliam amandato, iunctaque eidem connubio germana Narbonensis reguli & Mariæ suæ sororis filia; si conditio non placeret, certe Engolismensis sororem duceret. 40 Præterea decies centum aureorum millia exigebat in præsenti, deinde annua viginti quinque millia lege perpetua. Grande gallicæ amicitiae pretium videlicet ac graue Fridericus recusavit. Atque aliis conditionibus reiectis decies centum millia aureos se datu-rum tamen recipiebat. Sic neque fœdus coiuit, neque ullum eorum coniugiorum co-aluit. Pontifex quoque Lusitano sublata mōra, affinitatis cum noua sponsa gratiam fe-cit. Ita Granatae mensi Augusto id coniugium confecit Aluarus Portugalensis pro Lusi-tano vicarius. Nullis ludis neque illo principali apparatu ea lœtitia celebrata tunc est: gemina filiorum Ioannis & Isabellæ funera recurrebant animis. Pridie Idus Septem-bris in ea quidem vrbe concessum, vt qua patera Reges biberent. Diuæ Luciaæ me-moria festo die omnibus annis, ea cæderet Moiæ Marchionibus fidei cultæ difficilli-50 mis temporibus monumentum insigne posteritati, quoniam eo die meminerant ab Andrea Cabriæ regiam ipsius supellecilem thesaurosque traditos in arcibus Segobien-sibus asseruatos, grande monimentum bello ex sententia conficiendo, obtinendo regno vniuerso, de qua postellione cum Lusitanis certabant. Nouam nuptam vsque ad Lusita-niæ fines prosecuti sunt, princeps Dieghus Furtadus Mendoza Hispanensis præful idem Alexandriae Patriarcha Tébilliæ Comitis frater, cui tūc purpuræ honos accessit, nomenque Cardinalis Hispaniæ patrui item Petri Cardinalis exemplo, præterea Villenæ Mar-chio, aliique viri principes haud exiguo numero. Accurrit ad Lusitanæ fines Brigantinus haud

haud obscure quamuis offensus honoribus quos Emanuel Rex in Georgium Ioannis Regis filium cumulabat supra merita supraque ætatem. Duci quin etiam Conimbricensi renunciato vti pater sub mortem mandarat, vxorem Beatricem dedit Aluaro Portugensi & Philippa Melo natam. Brigantinum plerique nobiles Lusitani comitabantur. Ab iis noua nupta excepta est ad tertium decimum Kalendas Nouembbris. Rex Salaciæ eius aduentum morabatur, eoque in oppido decimo deinde die nuptiæ celebratae sunt, ludis omne genus, couuiis, ac reliquo omni principali apparatu. Prole numerosa fœcundum id coniugium fuit felixq; multis ex eo filiis susceptis, vti suis locis indicabitur. Haud magnō interuallo Margarita Austriaca Philiberto Allobrogi iuncta est coniugio haud feli-
ciori quam antea, hoc quoque viro brevi extincto Ægypti Sulthanus Regi Catholico iratus erat ex quo tempore Mauros Granatenses bello oppressit. Ex eo periculū ne in Christianos eius imperio subditos Sarracenis confusos conceptam iram effunderet: neque nostris libera facultas esset, vt antea, aecundi Hierosolymā Christi Dei vita & obitu sanctissimam ciuitatem plenam præsenti numine. Lenire animum barbari visum est legato ad eum qui facti causas & ordinem coram explicaret. In eam rem Petrus Martyr Anglia domo Mediolanensis à regiis sacris perspecta prudentia vir deligitur. præclare is officio functus, expositisque mandatis, quæcumque voluit, agendi dexteritate ab eo Principe impetravit. tum iisdem vestigiis se se retulit in Hispaniam anno in ea legatione integro consumpto. Obsequii merces fuit Granatensis decanatus sacerdotium donūque honestum magis quam opimum. In ea vrbe consequentibus annis defunctum, vti ipse testamento sanxerat, in sella amici & familiares composuerunt ueste pretiosa indutum, quam Sulthanus dono dederat, sed in sacræ modum conformata. Id virtutis monumentum esto eruditionis, Decades quas de bello Granatensi, de legatione sua, de noui orbis inuentione confecit maiori aliquanto diligentia & fide quam styli felicitate.

Bello Neapolitano designati duces. C A P V T . IX.

SVspensis mortales animis toto orbe Christiano expectabant, quid bellici apparatus tanti parituri tandem essent. Aduersus Fridericum Regem, calliæ atque Hispanæ vi-
res atque in eius perniciem consensu conferri plerique mirabantur, alii non credebant. granata tamen Kalēdis Martii anno Millesimo quingentesimo primo, missi qui magno 1501
Gonsaluo sui Regis verbis renunciarent vti ad nouum bellum inchoandum Turcico di-
misso continuo se se Messanam referret cum classe. ibi certiora mandata expectaret: &
vt maior esset auctoritas paulo post regius vicarius in Apulia & Calabria nōdum domi-
tis est dictus. Aduersus Turcarum conatus tum à Rege Lusitano tum à gallo impetratum
Ferdinandi suasu, vt suis classibus Orientis oras tuerentur ab iniuria, ferocienti barbaro
frænos iniicerent, ab Italia arcerent. Obtemperauit Lusitanus tum æquitate postulati in-
uitatus, tum vt socero gratificaretur. Instructæ classi Ioannes Menesius regiæ Magister
Tarrocæque Comes delectus, ex itinere Masalquiuirum portum in Africæ littore Ora-
no vicinum expugnare tentauit, commercio opportunam & Hispanæ littorum securi-
tati possessionem. Inde irrito conatu repulsus Corcyramque delatus nullo nauigationis
longinquæ pretio se se tandem in Lusitaniam retulit. gallo etsi suam & ipse classem misit
Turcici conatus curæ admodum non erant præ studio belli Neapolitani maturandi. Sa-
tis per se ad id incitato acres addebat stimulus plerique Neapolitani proceres qua do-
mo extores, qua infecti partibus. Ludouicus Armeniacus Namursii dux Armeniaci Gui-
ſæque Comes bello dux à gallo præficitur, Ludouico Lucemburgio Lignio Comite re-
pudiato, qui eum honorem ambiebat obtinédi Altamuræ principatus spe, quoniam Pyrrhi
Baucii neptim ex gisota filia vxorem habebat: cui Ferdinandus senior bello proce-
rum detractum eum principatum Friderico filio dederat quasi Isabellaæ minoris Pyrrhi
filiaæ, quam illi iunxit, dotalem. Metus suberat ne ea contentio in prouincia aliquid tur-
barum daret. Namursius belli quamvis cura suscepta diu substitit in gallia. Festinantibus
omnis cunctatio grauis erat. Obenignus Magister equitum dono galli Regis Neapolitani
ante dictus ex Insubribus vbi erat, cum copiis omnibus mouit, & cum eo gaiaci Comes
vir nobilis patria exul. Dum noui belli apparatus sollicitam habent Italiam in Laurentii
Suarii locum missus ex Hispania est Franciscus Rogius, qui pro Rege Catholico oratoris
partes Romæ impleret, vir eximie sagax & callidus, ad versandos hominum animos arte
præditus & ingenio. Apud Imperatorem ab annis superioribus eodem munere legati
fungebatur Ioannes Emanuel ardenti vir ingenio & inquieto, alioqui magnis animi &
corporis dotibus, facetus natura acutus & perspicax. In callia Ioannes Michael gralla,

Ioannes Clauerius Neapoli: Acceptis Gonsaluus sui Regis mandatis continuo Messanam accurrit: vnde Panormum cum Ioanne Nusa Siciliæ Prorege de noui belli ratione deliberatum, pecuniam in sumptus & militem in supplementū eo adiutore conquisitum subsidia omne genus. Intempestiuā de potestate inter duos contentio excitata agendi opportunityatem ferme corrupit. Et est superioris non modo sed etiam consortis impatiens dira dominandi ambitio. Valuit tamen obsequendi regiis mandatis studium. Magnusq; Gonsaluus delectu vt tempus dedit, instituto redactaque pecunia aliquanta, Messanam breui recurrit, vbi bellici præcipue apparatus & copiæ erant. Obtinebat is in Apulię partē Garganum Friderici Regis dono operæ præmium datum cū inaugurationis die multos principatus inter bellī duces distribuit numerum magnitudine potius quam morum constantia amicos meritus magis quam nactus. Ergo Gonsaluus Focio centurione Neapolim legato necessitatē parendi excusauit, eōque principatu vltro abdicato iurisrandi gratiam fieri sibi postulauit, & fidei qua ea de causa Friderico erat obstrictus. Dedit Rex quam petebat veniam relicto etiam quem abdicabat principatu cum multo verborum honore, cupere se multo ampliori munere eius promerita compensasse, porro excusationem accipere: tantum ne ex iis arcibus bellum regiis finibus inferret, aut de finiti mis prædas ageret, quod erat æquissimum postulatum. Ex hac tamen Gonsalui denūciatio intellexit plane rebus suis exitū instare. Legati præterea ex Hispania monere nullam in Rege Catholico opem rebus fore: Hispaniam in armis esse, bellicis apparatibus, equis, militibus omnia perstrepere: quo ii conatus eaque molitiones pertinerent, dubitate neminem. Tum demum quasi ex alto sopore excitatus in omnes partes circumspicere, neque illi consilium ullum, aut quemquam hominum placere. Sic miseri solent. Quid certe faceret? quod captaret consilium infidis prouincialibus, modicis viribus, nulla in externis spe filium Ferdinandum Tarentum ablegauit urbem in extrema Apulia atque Italia ad mare sitam firmā imprimis & validam. Quin & in Apolloniam exaduersum Italiam misisse fama prædicabat, qui Turcarum auxilia aduersus eam tempestatem excirent, nulla in timore honesti cura. Delectu item habito quantas maximas copias contrahit, octingentos grauis armaturæ equites, pedites quatuor millia. Sed quantum id erat præsidii ad sustentandum Galliæ atque Hispaniæ vires. Imminens celo clades nulla diligentia moueri potuit. Capuam munire decreuit quasi belli arcem futuram. tuendæ cura Fabricio Columnæ & Hugoni Cardonio cum ducentis cataphractis mille & sexentis peditibus commendatur. Gonsaluus vt erat sagaci ingenio atque eximie cautus intelligebat plane fœderis nuper iecti inter duos Reges conditiones haud fore stables. Gallorum ingenium nullis finibus resistere, ne pati quidem confortum regnandi ambitionis malum sæcum & impotens: diuidenda præda magnas futuras difficultates, noua iurgia prouidebat animo. Proinde nihil festinatione salutarius arbitratuſ, ad id omnes industria neruos intendit, vt Gallorum conatus occuparet, efficeret que celeritate ne sibi impedimento esse possent, quo minus partem certe attributam obtineret, de reliquo facturus vt se res darent. Ac primum classis multo maximam partem Apuliæ littora misit Diegho Mendoza ductore Turcas, si id tentarent, Italiam aditu prohibitum. Classis Lusitana vt erat constitutum lenta nauigatione prohibita in eam vsui non fuit, vti est antea indicatum. Cum classis parte misit Enecum Lupum Aialam Neapolim, qui Ioannam Reginam Neapolitanam in Siciliam abductam belli periculis eximeret. Dedit Fridericus discedendi facultatem non inuitus tametsi antea recusarat, eo retento pignore auunculum Regem sibi obstringere scilicet fatagens. Hispanorum cōpiæ secundum hæc transmissio freto in Italiam littore constituerunt. Eæ erant trecenti cataphracti, totidem leuis armaturæ equites, pedites tria millia octingenti. Ad eum numerum sexcenti Hispani milites accessere, quos Franciscus Rogius legatus Roma subsidio misit, ex iis qui in Flaminia Valentino militabant magno armorum vsu. Ex Sicilia præterea quadringenti grauis armaturæ equites indigenæ adiuncti sunt ex vniuersa insula lectissima pubes. His copiis Brutii & Magna Græcia breui in potestatem concesserunt. Præter Giracum & Agathæ fanum firmissimas arces, reliqua Gonsaluus ditionem fecerunt. Messanensi freto superato Hispanicæ cōpiæ in Italiam traiecerunt postridie Kalendas Iulias, Gallicæ Roma obita ad fines Neapolitanos alia parte tertio post die peruenenterunt. Omnia iis etiam opinione speque faciliora. Quacumque iter erat oppida & vrbes cupidissime aperiebant portas paratæ commeatu, pecunia, & rebus aliis iuuare. Pari animorum consternatione Aprutium, parte Gallici exercitus eo dimissa, in ditionem venit nullo repugnante Gallici imperii iugum subire. Capua præsidii fiducia resistens, quamuis admotis castris

castris obsesta Gallorum impetum diu frænare potuit: nisi Palenæ Comes eius urbis cuius Gallis mutata repente fide patefecisset aditum. Ingressi in urbem victores implacabili odio ciues consecrati, diripere opes publicas priuatasque, nihil vsquam secretum aut clausum pati: plenæ cædibus plateæ foraque. Fabricium Columnam, Hugonem, aliosq; duces, qui erant in præsidio, viuos cepérunt. Rei gestæ nuncio ad quartum Kaledidas Augusti Nicastri accepto Gonsaluius excitus Cotisentia arcem expugnat magna velocitate; eique urbi Ludouicum Mudarram præficit, Aieli Comitem fidum expertus prouinciae vniuersæ pro se vicarium magno rerum vsu virum industriaque. Ipse in Apulos profici sci destinabat cupiens ea quoque prouincia potiri priusquam à Gallis Neapolis esset capta. Eo ventum & imperata cæteræ urbes & arcæ eo tractu continuo fecerunt dæditionis celeritate certatæ Regis Catholici ac Hispani ducis gratiam aucupari per eum modum fatigentes. Tarentum restitit ducis Calabriæ præsentia & præsidii virtute, suaque munitione confusa. Adnotis copiis obcidere & vim admouere visum est. Interea Galli urbi Neapoli imminere tum suis viribus tum Valentini ope: qui Fatientia in Flaminia atq; in Hetruria Plombino captis Regi Gallo operâ in eo bello nauaturus citus aduenerat, tum propensa in eam genitæ voluntate vt se Cæsarem Borgiam è Gallia diceret, gentilicij clypei præcipuam partem lilia, Gallorum Regum insignia distinguerent, concepti in Hispanos odii clarum ab utraque re argumentum. Sic mores erant: vnde flatus aliquis fauoris ostendebatur, eo vela dandi destinata voluntas. Neapolis defensione desperata in tantâ gentis consternatione tam lubrica fide, Fridericus non iam præsidium rebus, sed belli causa cum Gallis ducibus pepigit Julio mense extremo, vt urbe cum arcibus dedita & sexaginta aureorum millibus in belli sumptus numeratis, ipsi in Ænariam discedendi cum thesauris reliquis, regiæ cultu & familia vniuersa facultas esset, intra sex menses inde quocumque gentium vellet ituro. Facto fœdere discessit pullo amictu moesta circum familia in eam insulam cum uxore & filiis. Reginæ Hungariæ, Isabella que Ioanni Galeacio vero duci Mediolanensi nupta secutæ sunt. Neque erat quisquam adeo saxeus quem non commoueret ille aspectus. Opulenti regni dominum, relicta fortunæ suæ sede, per medios populares exire de urbe in exilium. Eodem confluxerunt tum Prosper Columna tum Fabricius pecunia iam liber quem stantem secuti erant, eidem deiecto adhærere decreuerunt, rerum commutationem breui futuram suspicantes. Deseruere alii proceres. Rebus prosperis certaturi ad obsequium prostrati fortunam detrectabant. Neapoli subdita ac vero reliquis prouinciis in fœdere designatis momento domitis, Galli ad reliqua & non concessa aspirare. Militares animos fræniare quis possit? imperandi ambitionem quævis intra modestiæ fines coerceat? In Castella Mariam Paciecam Beneuenti Comitem inter & Alfonsum Pimentelium eius filium magnæ controvæsiæ extiterant de tutela & coniugio neptis Mariæ Comitio, cui Villafrancæ iure paterno principatus obuierat. Id coniugium Infaritatus & Albæ Duces ambiebant filii suis opina illecti dote, tum Alfonsus ipse virginis autunculus Beneuenti Comes sibi. Vicit in contentione tandem Albanus. Si Beatrix virginis eius in altera Garsiæ Ducis maiori filio nuberet, datum vt ea virgo Petro Toleto iungéretur Garsiæ minori fratri sic est factum. Petrum nostra ætas vidit exiūm bello paceq; virum, sanguinem cum magnis Principibus miscuisse, posteris ex eo coniugio tum Villafrancæ Marchionibus tum Florentiæ Ducibus.

Neapolitani regni descriptio. CAPUT X.

C apta Neapoli continuo nouæ controvæsiæ inter victores extiterunt, aliæ ex aliis nec: vti erat necesse inter Gallos & Hispanos moribus, ingenio, & institutis discrepantes vel maxime nationes, & tunc ob recentem victoriam maiori quam antea insolentia. De summa initio nulla extitit controvæsia. De quib[us]dam modo parti regni prouinciis disceptatio suscepta non expressis in superiori fœdere, quæ quib[us] attribui deberent. Ex erant Basilicata veterib[us]. Lucania, Capitanata atque Principatus tū Citerior tum Ulterior. Galli pro innata ingenii confidentia ne appellatis quidem confederatis. Capacii filium miserunt, qui in ditione, Lucaniæ parte populares in Galli Regis verba sacramento adigeret. De Amalfitano principatu, qui in eadem prouincia est, cum eo principe træfegere incio Gonsaluo, ab ipso quin etiam Rege Gallo Ioāni Iacobo Triuultio ante donata ea ditione fuerat anticipata quasi de suo munificètia, vnde noua iurgia extarent. Ad hæc nonnulli proceres, quos Reges Neapolitani iunctos tenebant, libertati redditi, atq; in eo numero Ioannes Baptista Martianus quadraginta ferme annorum vinculis non domita, sed irritata ferocia, Rosanum in Magna Græcia occupare tenuerat paternæ olim ditionis opimum

principatum. Simili exemplo Ludouicus Arsius è præcipuis Gallorum ducibus, Ludouici Lucemburgii nomine & auctoritate Altamuram in Apulia armis præsidiisque occupauit. Quod quid erat aliud quam cuncta sibi arrogare, vna summis miscere, socios contemnere, vnde nouorum bellorum occasio & materia existeret? Nondū tamē tantis quamuis iniuriis violato fœdere ab Hispano expediebantur arma. Concordia viam prius tentare placuit. Appellati de ea re primum Obenignus, deinde Mamursius qui cōfēcto tandem bello captaque Neapoli in prouincia appulerat belli & pacis de cætero arbiter. Ne in prouinciis iuris minime controuersi alterutri quidquam in alteros mouerent, neq; sibi auctoritatē arrogarent consensu decretum. De quibus lis erat, donec consulti Reges quid placeret, certe delecti consensu arbitri pronunciarent, quæcumque oppida Gallica vexilla explicarent, iis Hispanica porro adiungerent, tantundem è contrario faceret Hispani, commodum temperamentum, si verbis & pollicitis responderent facta; & quod de vectigalib. annuis & forma regiminis in eam sententiam pari moderatione sanxerūt, diu tenuisset. Verum maior lux erit rebus, faciliusq; intelligetur vtra partium certiori iure nitetur, si hoc loco Neapolitani regni forma partesque eius summa explicata ob oculos fuerint posita. Extremam Italiam, quæ à saltu Terracinensi Pontinisiq; paludib. per Volsorum fines Sabinorum & Marsorum montes per Furconenses & Ferentanos in Picenum ad ostia Truenti pertinet, supero atq; infero mari circumfluis diu Neapolitani Reges imperio tenuerunt. Perpetuis iugis sicuti reliqua Italia Apenini montes vniuersa prouincia dirimitur: qui mons ab Alpib. diductus progreditur arduus plerumq; mollior aliquid, vsq; ad Magnæ Græciæ finem: desinitq; in Armorum promontorium. Ambitus totius regni mari terraq; millaria numerat mille quingenta sexaginta octo. Adeuntib. eā prouinciam ad eius montis dextram Campania primum occurrit à Leboriis olim populis habitatus tractus, vnde nomen hodie quoq; Præcipua ea parte vrbes Caieta, Nola, Capua, ipsaq; Neapolis regni caput. Vetus quidem Cápania olim præterea continebat quidquid terrarum à Terracinensi saltu ad Tiberim pertinet Pontificiæ nunc ditionis regionem gemina appellatione: nam quæ pars ad mare vergit Maritima seu Maremma dicitur, interiora Prænestinum post agrum vsq; ad Aquinates fines Campaniæ vsq; dum nomen retinent. Ad sinistram Aprutium est multos ex antiquis populis complexu coercens, nempe Sabinos vbi Asculum erat Piceni etiam pars. Marrucinos, vbi Theate nunc cernitur. In Vestinis Aquila numeratur, in Pelignis Sulmo vetustior. In Marsis Talliacotium & lacus Fucinus, Samnitum etiam pars: ad eandem prouinciam pertinet vsq; ad Campaniæ fines, ad quam pars altera Samnitum spectat inter Austrum & occasum fusa, ac fere quib. nunc locis Beneuentum cernitur. Recentiori memoria Aprutium in citerius ulteriusque Aterno amne seu Piscaria interfluente dirimitur. Atq; hæ duæ prouinciae Campania & Aprutium in fœdere, Gallis sunt contributæ. Vtra Aprutium in eodem latere Apulia iacet trifariam vulgo diuisa in Capitinatam, vbi mons Garganus assurgit, & Barensem tractum Trano & Monopoli quæ ex veteris Egnatiæ ruinis crevit, vrbibus insignem: atq; Hidruntis territorium Brundusio Tarentum pertinens vrbē in extrema Italia mari imminentem loco & operib. munitam ad Magnæ Græciæ fines austrum inter & ortum sita. Supra Neapolim exaduersum Apuliæ principatus consequitur olim Picentini Salerno prouinciae capite. Basilicata deinde quæ magna ex parte Lucania veterib. fuit, montes tenet, quib. ab Apulis dirimuntur. Brutii ad mare inferum vergentes Cosentia vrbē primaria & ad Messanense fretum Rhegium vrbis sua antiquitate quam ciuium frequentia aut elegātia operum hac certe tempestate nobilior. Interiora Magna Græcia tenet Rosano & Catanciano aliisq; oppidis insignis. Brutios & Magna Græciam uno Calabriæ nomine vulgus loquētum comprehendit. Et Calabria quidem Apuliaq; absq; controuersia Hispaniæ ditioni relinquebantur. De principatu dubitari poterat ad vtros iure pertineret. Nam qui Calabriæ finib. eum tractum comprehendebant, passim refellebantur. Tantundem de Basilicata statui potest: tametsi non deerant, qui quod in montib. sita sit, negarent sciungi ab aliis prouinciis debere, sed qua parte ortum spectat ad Apuliæ qua occasum ad Brutiorum seu Calabriæ fines pertinere: Itaq; à Regib. vt duas eas prouincias rursus ex æquo diuident facile admittebatur. Maior de Capitinata supererat lis quippe prouentu præ cæteris celebri. A Frentone ea pars, quod nunc flumen Fertorium est, Aprutii finis, ad Aufidum extendit. In ea Manfredonia olim Sipontus dicta, Garganus & Troia visuntur. Atq; id Capitinata nomen tractui adhæsit, ex quo tempore Græcis ea Italiæ pars subdita erat, ad hanc ætatem retentum. A Præfecto, qui Catapani vocabatur, regio Catapaniata primū dicitur est. Inde vero Capitinata nomen paucis communatis litteris, tum Capitanei vox fluxit prætorem urbanum vulgo in Italia, sed & ordinum in bello ducentorem significans. Et quidem

dein Apuliae finibus eam regionem comprehendit, satis indicat mons Garganus in Apulia à Ptolemæo quidem collocatus. Fretoque fluuius à plerisq; Aprutii & Apuliae communis terminus designatus. Recentiores quoque Capitinatam Apulis annumerant. certe ea parte vectigal è pecoribus Apuliae exigi solet magni praesentus ac quo nullum est optimum magis iis Regibus vectigal. Furor erat tantis praesidiis fultam munitamque seruentiam velle contumacia euertere. Verum de re tota cuiq; liberum esto iudicium. Quod ad rem presentem attinet, ex eo plane arrepta occasione Hispani Gallique inter se distinxere arma, marte arbitrio dirimere litem destinantes, quando Reges quamvis de ea re sape appellati statuere quid certi eatenus noluerant, viribus credo pro se quisque confisi aduersus armuli potentiam. Propius vero parte contempta vniuersum regnum vterq; spe & cupiditate erat complexus. Et sordent concessa, cum noua speramus. vitium id mortaliatis. Verum ad hæc loco competenti oratio recurret. Nunc Fridericus Rex ex Ænaria insula, in quam per conditiones traiecerat, Regi Catholico infensus maxime à quo se euersum videbat, nullo propinquitatis respectu, in Galliam concedere constituit triginta annua Francorum millia ab eo Rege in alimenta pactus, vnde vitam calamitosam tollaret in exilio. Ergo cum vxore & liberis eo contendit. Beatrix soror Hungariae Regina restitit in ea insula: vnde breui in Siciliam discessit. Isabella fratris filia Ioannis Galeacii antea coniux & ipsa Barim se contulit Apuliae urbem. Miserum Aragoniæ familiæ naufragium & ruina regiæ in varias partes & quasi fragmenta dissilientis. Galli se fidei Fridericus credebat: simul cum Philippo Austriaco magna contentione agebatur, ut quam primum in Hispaniam ipse & vxor venirent sacramentum, vt fit, à populis accepturi tantorum regnorum heredes post facta parentum fore. Noua prole hoc anno auctum, cui Isabella nomen, prouidus sacer in Hispaniam abstrahere cupiebat prouinciarum moribus, lingua institutisque imbuendum, vitia correcturum, quæ ætatis imprudentia, & aulicorum præpostero obsequio & adulatione generosam alioqui indolem deprauasse cognouerat. Illis Belgica licentia assuetis & principis facilitate ad sua commoda abundantibus graue erat in Hispaniam venire, sacer cautus & callidus verentibus ne principis liberati suisque cupiditatibus agendi dexteritate & auctoritate paterna frænos iniiceret. Ioannes quidem Fonseca Cordubensis Episcopus Regi à sacris notæ prudentiæ vir in Belgas propterea legatus profectionem vrgere non desistebat importunus exactior. Rex item Gallus quod erat futurum prouidens, vt per Galliam iter faceret omnino suadere instituit. Quod factum est tandem. Sed & ex Hispania classe ad Brigantinum portum parata Catharina regia puella in Angliam ad pactas antea nuptias discessit. Granta, ubi tum parentes agebant, profecta multis iter prosequentibus ad octauum Kalendas Septembris è portu soluit. Alfonsus Fonseca Compostellanus præsul, Egabri Comes cum uxore & pleraque nobilitate sponsam in Angliam ægre quamuis deduxere. Tranquillo profectos mari repente exorta vis ventorum tempestasque distulit. Pars nauium ad Angliæ littora appulerunt; plurimæ in Lauretanum se portum intulere. Inde sedata procella postridie Kalendas Septembris explicatis denuo velis in Angliam secunda nauigatione peruererunt. Nuptiæ virginis & Arturi sponsi continuo principali apparatu celebratae sunt, lætitia haud diurna. Quantæ te miseriæ manent innocens puella vnius ob väcordiam impotentis viri sui minime compotis? Ipso mense agente Regina Isabella Beatrix Castria Lemosii Comitis filia & heres futura nupsit Dionysio Jacobi Brigantini filio à Ioanne Lusitano Rege perempti. Puellæ Patri Sarria, Castrum, atque Oterum iuris controuersi oppida abs Regib. dono data quasi in partem dotis, atq; in coniugii gratiam. Tridenti vrbe in fauibus Alpium sita, qua montes inter se coeunt, Cæsarem inter præsentem & Gallum Regem missò ea causa legato pax facta ea potissimum lege est, vt Carolo Philippi Belgæ filio Claudia nuberet Galli maior filia: quod saepe coniugium retractatum nunquam coaluit.

Philippi Belge aduentus in Hispaniam.

CAPVT XI.

Classes è Lusitania & Gallia auctore Rege Catholico Venetis contra Turcas auxiliares missæ nullo operæ pretio sese retro retulerunt, vti paulo ante est indicatum de Lusitania quid gesserit. Gallica Chium delata Genuenis tum ditionis insulam spatiis angustam, prouentu masticis celebrem, impedito tantum vectigali, quod Turcis pendere confuerant, cætera peste, tempestatibus, hostium incursu

consumpta, milites vix mille superstites in Apuliam vicinam appulsi Gonsalui iussu benigne accepti atque habiti sunt. Erga afflictos misericordia valuit, & societatis nondum plane disturbatae memoria. Veneti quoque in hiberna receperunt quiaque & viginti tremes haud satis instructi bello defendendo aduersus Turcarum arma. Rem periculo proximam cœlites sunt tutati nulla Turcica classe hoc anno è nauibus in piorum perniciem educta. Alioqui aduersus eam potentiam parum præsidii in piorum viribus bello inter se districtis nostrorumque comparatione fuisset. In Castella à Regibus edito sancitum Mauros tota prouincia ac in Bætica præsertim cum piis confuso nullo non commercii genere Mudgiæ vulgo dictos nisi Christo darent nomina Christiana religione suscepta, finibus certe intra diem certum discederent. Belli præterea ciuilis metus ostentati magno prouincialium motu, nisi mature esset occursum nascenti malo. Ludouicus Cerdæ Medinæ Celinæ dux sub mortem concubinam duxit, Ioānem filium ex ea suscepimus stupro iure legitimo hæredem principatus destinans. Ægre id tulit Eneçus Cerdæ ducis fratri post fata eam hæreditatem spe & cupiditate complexus. Eneci filio Ludouico nupserat filia ducis Infantatus. Obstinate est animus quem ingentes spes deuouerunt. Generi iuraret armis tueretur sacer opibus & clientelis validus, collectis raptim copiis Collodium obſedit, id oppidum & vero reliquam defuncti Ducis ditionem armis prædiisque occupaturus, quoniam legibus non fidebat. Verum à Rege monitus ne regnum importune turbaret, neque vim potius quam iuris certamen quereret, necessaria re atq; si pergeret, maioris mali metu militares copias dimisit. Sic Ioannes absque controuersia paterno principatu potitus est, propriumque posteris reliquit. Iis sedatis motibus ac vniuersa prouincia graui solitudine erepta, nunciatum est Philippum Belgam & vxorem itinere per Galliam arrepto festinare: prope diemque ad fines Hispaniæ affore. Magni honores toto itinere venientibus sunt habiti, festi vbique dies omni iucunditate agitati. Ac Lutetia præsertim ludi omne genus & spectacula ad eorum Principum aduentum Galli iussu sunt instituta. In ea vrbe sancta antea ad Tridentum pax inter eos Principes, ab utroque noua sacramenti religione & execrationibus confirmata est. Ac Belga omnibus actionibus & cæremoniis se Flandriæ nomine Galli beneficiarium gentis instituto exhibere non recusauit. Vxor cautor patriæ dignitatis memor nulla re priores Gallo partes concedere visa est. Ex ea vrbe digressi per Aurelianenses, Pictones & Aquitaniam, Fonterrabiam tandem in extrema Hispania peruenierunt ad quartum Kalendas Februarii salutis anno Millesimo quingentesimo secundo. In eo oppido præsto fuere à Regibus destinati Magister equitum Castellæ Anagari dux cum filio Treuignii Comite, præterea Castellæ Promagister Guterrius Cárdenas. Quo maior lætitia esset soluti cultus antea præscripti legibus prouinciales, vt bombycina ueste vterentur ac vero versicolore, sunt ultro nouo edito inuitati. Veteris gentis modestia id argumentum esto, & quantum ab antiquo mores in Hispania mutarint. Huius anni principio Lucretia Borgia Alfonso Atestino nupsit Herculis ducis Ferrarensis filio maiori. Dos dicta centū millia auri, & aliquot oppida in agro Bononiensi, præterea tributi annui, quod ii Duces quasi beneficiarii pendere consueuerant ecclesiæ Romanæ in dotis partem, gratia facta est. Vnde nouæ controuersiæ extarent. E Fonterrabia Principes Burgis Vallisoleti, Medinaque Campestri obitis superatisque Segobiensibus montibus, qua vtraque Castella dirimitur, Madritum tandem peruenere. Reges Granata obuiam genero & filiæ profecti per Vectones Guadalupeum fanum petiuerunt. Eo loco duci Valentino Adriam vrbe principis nomine aliqua oppida Neapolitanæ ditionis dederunt. Nihil immodicum videbatur tunc homine vasto & immodico promerendo. Actum porro vt à Catholico Galloque Regibus idonea vestigalia designarentur, vnde Fridericus Rex & filius vitam & aulæ cultum sustentarent in exilio. Secundum hæc Toletum ventum ad decimum Kalendas Maias. Eodem Principes appulerunt ineunte eo mense serius aliquanto quam vellent propter valetudinem Philippi Principis ad Oliam vicum aliquot dies decumbentis. insolitum cœlum, noui ciborum succi, potus indulgentia conciliauerat morbum. Magno in eam vrbe excepti sunt plausu apparatuque incredibili: mox rebus ex sententia constitutis sacramentum in eorum verba Rege coram & Regina sine mora atque difficultate dixerunt ad undecimum Kalendas Iunii, primi Dieghus Mendoza Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, multi alii antistites. Inde Bernardinus Velascus Magister equitum. Alburquerquii Infantatus, Albæ, Begiarisque duces, Villenæ Marchio, magno numero proceres luxu & familiae splendore certantes. Cautum vt hæreditate suscepta genti ex suis legibus iura darent, mutandi ex antiquo nulla facultas esset. Aduentu tantorum principum Hispania læta, vrbes & oppida ludis & festa hilaritate personabant: cū in Anglia verissimis lachrymis Ar-

mis Arturi principis obitus lugebatur in flore ætatis extincti; vix delibatis primis coniugii recentis gaudiis vxore virgine quamuis quinto ante mense confectis nuptiis. Sic fama vulgauit, & idonei auctores testantur; ob Principis ætatem probabilis, nati quatuordecim tantū annos, ea imbecillitate corporis ut libidinis magis audius esse videretur quam potens. Continuo tamen abs Regibus Catholicis missus est in Angliam, qui luctu eū Regem ob amissum filium leuaret. Simul de Catharina principe vidua superstiti filio iungenda ageretur. Verum Rex ille neq; dotem restituere, neque expedire quod expetebatur coniugium infelix scilicet & infaustum. Nec bonis æternis fruitur, nec malis perpetuo ingemiscit natura mortalium, tristibus læta miscentur. Molestiam quidem ex iis rebus conceptam mitigauit, tum Philippi Principis præsentia, tum partus Marie Reginæ Lusitaniæ filium in spem paterni regni enix̄ Olisipone pridie Nonas Iulii, cui Ioanni nomen fuit accendentibus annis studio religionis amplificandæ, cultuque bonarum artium atque imperii moderatione eximum Principem sua ætate, atque præstantem in paucis Regem futurum.

Dux Calabriae in Hispaniam missus. C A P V T XII.

Asiderat Tarento Gonsaluuſ cum copiis, vti dictum est, in magna spe Ferdinādi Duci Calabriæ, qui intra eam urbem erat, ad pacis conditiones perducendi. Ita quo die ad eam urbem Hispanorum castra sunt posita de foedere continuo agi cœpit. Dum conueniunt de conditionibus, interprete Octauiano Sanctio inducias duorum mensium fanciri placuit; nouari interea nihil donec Fridericus Rex per legatos consultus, quid suę esset voluntatis significaret. Ad designatum tempus nullum ab eo Rege responsum venit. Rebus desperatis mens quoque & consilium miseris deſtituit. Inducias tamen iisdem conditionibus ad finem superioris anni ampliari datum est. Exiuit annus, neq; à Friderico certi quidquam in rem afferebatur. In duos denuo menses induciæ sunt prorogatae, vrbe penes sequestrum Bindum Ptolemæum Regis Catholicæ subditum multis in rebus spectatæ fidei virum, ealege vti eo decurso tempore eam in potestatem Gonsalui traderet. Duci tamen Calabriæ discedendi quo vellet, libera esset, regiæ cultum & familiam secum efferendi potestas. Sic Tarenti res erant. Giracii arx duodecim à littore milibus deditonem Hispano fecit. Simul Salernitanus ad Gonsaluum venit præcipua belli vniuersi fax, vt sibi ex Bisiniano paterni principatus restituerentur offensas priores nouis officiis compensaturis postulabat in timore largus promissis. Petebat præterea Lau-
ritæ ditionem adiici & quinque aureorum millia annua, quæ maioribus suis priores Reges honorarii nomine pendere consueuerant, ingens videlicet nouæ amicitia, pretium animi non satis pacati domitique malis haud dubium argumentum. Itaque re infecta discessit. Meliori fide proceres plerique Fridericum Regem in Aenariam secuti quasi diminutione capitis sacramenti religione soluti fese ad Gonsaluum contulere, grande momentum ad bellum ex sententia conficiendum. Ille benigne acceptos in præcipuo etiam honore apud se habuit, eos maxime quos rebus gerendis belloque defendendo idoneos maxime arbitratus est: ac imprimis Columnios Prosperum ac Fabricium omni comitate est complexus ne ad Venetos se conferrent, à quibus magnis præmiis annuoque stipendio inuitari habebat exploratum. Magnarum rerum fundamenta ponebantur. Nam Die ghus Mendoza atque Eneus Aiala Manfredoniam seu Sipontum urbem assidendo in potestatem redegerunt. Præfectus quoque arcis Friderici Regis nomine, ad ditionem perdactus est, tametsi Alegrius Iuo cum copiis obfessis opitulatum accurrerat. Ad extremum vrbs Tarentum vti constituerant, dedita Gonsaluo est, deditæ arces. Dux Calabriæ concessa eundi quo vellet facultate, Barim urbem migrauit in fide quidem paterna eatus perstantem, haud firmam tamen aut mœnibus aut arce, neque diu, si vis admouerentur, sustentaturam. In ea urbe tamen fera licet mandata à patre expectare voluit, à cuius voluntate discedere, atque priuatim pacisci cum Hispano nefas iudicabat. Gonsaluuſ cupiebat apprime facili & minime mala iuuenem indole cum Rege suo conciliare, ne in Galliam patris exemplo profecto in posterum aliquid turbarum existeret ea causa, haud ignarus s̄æpe ex parua scintilla magnum excitari incendium, nihil in bello negligendum. Agebatur de foedere triginta aureorū millia annua qua in regno Neapolitano, qua in Hispania oblata sunt ditione data vnde ea summa proueniret, eieclto haud contēnenda conditio. Neque illi displicebat, si modo patri probaret, & verbis responderent facta. Isabella patruelis ne cum amita Hungariæ Regina in Siciliam, quo inuitabatur iret, in eam Apuliae urbem delata monendo fuisit, vti litteras sua manu conscriptas ad Gonsaluum daret;

quibus rogabat, ut nullo libertatis pactæ respectu, quando pater quod ipsi erat commodum negligere, alioque tendere videretur, eum ad Regem Catholicum amandare non dubitaret. Hanc sui animi destinatam sententiam esse patris quamuis reuerentia id nollet in vulgus prodire. Quæ si vera fama fuit siue conficta, certe non videtur diu in eo proposito perstuisse, at tatis inconstantia, mentis imbecillitas varia & sibi contraria subiiciebat menti. Et quis est cuius animus in rebus asperis non vacillet? Friderici patris voluntas eum ad se euocantis retardabat, Gonsaluum adeo conuictio monentis vti memor fidei datæ, memor nobilitatis eum liberum, vti erat pollicitus, dimitteret. Verum is custodiis circumdecederat ne iniussu quoquam discederet, ea diligentia, ut liber quamuis per Apuliaꝝ oppida discursus esset, vix sine arbitris daretur ad venationem egredi. Eum tamē pro-
merendi cura Regis Catholicus nomine denuo coniugium offerebatur, cum Ioāna Neapolitana vidua ex Regis Catholicus sorore nata, aut cum filia eius Catharina Arturi Vualliæ principis item vidua, conditiones honestissimæ, voto speque maiores: quando rebus perditis dabatur, quod integris vix speraret. An ludus erat iuuenem vanis promissis lactabant. Ioannes Gueuara Potentiaꝝ Comes pro ea gratia & auctoritate, qua valebat maxime, incauti Principis animum in quam volebat partem versabat. Summā. Duci persuasum tandem effectumque prorsus vti Tarentum rediret. Inde in Hispaniam mitti consultum fore visum est. Ad id delecta triremis: ac Ioannes Concilius qui præcesset missus cum mandatis daret operam ne qua arte is Princeps euaderet, quā celerrime nauigationem conficeret. Coram facilius de re tota & conuentionis conditionibus conuenturos disputabant. Accommodatis blandimētis rati iuuenis animum victum in fide atque officio erga Catholicos Reges propinquos & necessarios fore constantē. Id velamen obtemperabatur, ea species pollicitis haud satis sincera fide seruatis. In bello promissorum constantiam quis requirat? an in re militari tantum & non etiam inter Principes in pace, præsertim cum de imperio proferendo aut conseruando quacumque ratione agitur? Quæ magna peruersitas est: sed tanti libido dominandi.

Belli Neapolitani initia. C A P V T XIII.

Nondum de regno Neapolitano Galli & Hispani inter se mouebant arma. Ducestan-
tum vtriusque gentis cum suis Regibus de ratione componendi controuersias con-
sultabant. Vtrique inter metum & spem variabant. Fidentiores Galli læta bello gens. Sed
est nemo tam promptus ad arma, qui non quietem pari pretio potius amet. A Rege Gallo
Corconius ea de re legatus in Hispaniam paulo ante quam Philippo Belgæ sacramen-
tum diceretur, Toletum appulit. Legationis summa erat. Prouincias Gallo in Neapolita-
no regno attributas annuis vectigalibus inferiores esse iis quas Hispanus occupauit. Pro-
uentu, vti æquum erat, & initæ amicitiae leges postulabant, exequando Capitnata Gallis
relinqueretur. Ad hæc Rex Catholicus: si factæ diuisionis Gallum pœniteret permutatio-
nem se prouinciarum minime recusare, copiis quas prædicabat maiores esse, se volente
frueretur. Si ea conditio non placeret, certe diuisis principatu & Lucania æqua fieret 40
compensatio. Capitnatum Apuliaꝝ opimum tractum intercipere neque ius neque fas es-
se. Nisi hæc placerent, pacis studio tamen controuersiam omnem Pontificis & Cardina-
lium arbitrio sc̄ libenter permisurum. Harum conditionum nulla placebat Gallo: multo
minus prouinciarum commutationem fieri, ne vrbe Neapoli decederet regioque titulo
eius vrbis atque Hierosolymæ per cōditiones fœderis dato, in quo dignitas erat prouen-
tu potior. Ventum ad minas, facturos Hispanos vi quod voluntate recusarent. Itaque die
quodam Hispanis legatis coram Gallo affirmantibus à Rege suo nullam sancti fœderis
conditionem violatam integra fide minuta, quæque religiose seruasse: Gallus respondit
tantundem præstisse se: si quis contra affirmaret nō recusare cum Rege Catholicus fin-
gulari certamine ac ne cum Rege quidem Romanorum tueri dignitatem. Ad hæc Gral-
la suum Regem iustissimum principem esse ait vt si quis in toto vrbe terrarum, si res exi-
geret, non recusaturum martis arbitrio litem permittere armisque tueri innocentiam à
cuiuscumque calumnia. Verum subdit Gallus, Rex Hispanus me maior esse non debet.
Ne ipse quidem meo Rege priores tibi arrogare Gralla addidit. Neque dubium est Regis
Catholicus animum ad pacem quam ad arma procluem magis fuisse, Gonsaluum per lit-
teras monuisse ac vero pro imperio mandasse, vti in vnam curam pacis incumbet, ne
ue arma sumeret nisi necessario. Gratius id fore, quam si bello vniuersum regnum sub-
ditum daret. Belli prima fundamenta præter alia minora Alegrius posuit, quo tempore
Manfredoniam seu Sipontum Hispanorum obsidione liberare aggressus est, vti est supe-
rius

Fuis indicatum. Et quo minor excusatio esset, notius quo tenderent, Gonsaluo ad Tarenti mœnia assidente distrito que ea obsidione, Galli Troiam Capitinatæ urbem aliaque circum oppida armis occuparunt. Missi, qui iure fœciali ablata repeterent, obtestarentur que ne importuno conatu pacta conuenta disturbarent, cuius è vestigio pœniteret. Nihil tamen ea diligentia est impetratum. Tantum ne vterius arthatis progredi esset necesse duo duces vti colloqueretur est decretum. Sic Gonsaluus rebus Tarenti constitutis Atellam venit Amalfim Namursius Lucaniæ oppida, Medio interuallo Antonii nomine facellum est: quod colloquio idoneum vtrique iudicarunt. In eo facello de controversiis Leguleii ab vtraq; parte delecti multis verbis ac clamore prope concionali disceptarunt, non argumentis & ratione, sed conuictio & lingue perulantia, fructu præterea nullo. Gonquerebantur Galli Hispanis attributas prouincias septuaginta millia aureos quotanis redere amplius quam Gallicæ. Compensationem vectigalium fieri æquum videri. Restituere Hispani ac restitui Capitinatam, qua erant iniuria pulsi imprimis postulare, id iure communi sanctum esse, priuato haud aduersum: vbi in eo satis factum esset, de exæquatione vectigaliū minime recusare. Re infecta è colloquio discessum. Duces tamē inter se verborum honore certarunt, quanto magis falsa erant, quæ siebant, quæque dicebantur omnia, dissimulatione maiori, & accuratiore comitate. Desperata ex eo concordia ad arma vimque ventum est. Quo in statu res essent, vtrique suis regibus significarunt per litteras. Necessaria resumi arma. si bellum ex sententia confici vellent, milite & pecunia iuuarent. Simul Gonsaluus propter annonæ difficultatem iis locis graue, copiarum partem in Principatus oppida dimisit. Dux Scalada cum cohorte peculiari Atripaldam, pulsis Gallis qui in eo oppido erant in eo tractu occupauit triginta millibus ab urbe Neapoli. Tantumdem de aliis oppidis finitimis fecerunt alii Hispani cœturonnes. Ad hæc Galli fremere, Hispanorum vœcordiam accusare in circulis, & per litteras ad Regem suū: Commotus ille eo nuncio quæcumque Hispanorum in Gallia bona & merces repente fisco addici mandauit. Erat iniquum neque denunciato voce præconis bello, neque præfinito, vt sit, ad discessum ex prouincia die raptim inuolare in hospites, rem familiarem detrahere. Sed tanti iracundia fuit consilio inimica atque æquitati. Rex Catholicus contra monere suos vt Gallos quacumque ratione placarent relictis etiam oppidis quæ in Capitinata ii cœperant, prouinciæ profecto maiorem partem. Pacis enim uero studio flagrabat, exhorrebat arma. Rursus ergo duces siqua se via pacis daret, in D. Antonii facellum cœuenere. Designati ab vtraque parte viri diuisione instaurata prorsus ex Gallorum commodo & voluntate Lucanos, Principatum & quod erat caput, Capitinatam ex æquo partiti sunt. Gallos modo pacarent & promerentur, nihil tunc nimium videbatur. Venere interea ex gallia mille Heluetii, ducenti grauis armaturæ equites pecunia in stipendum affatim. Eo subsidio Galli confirmati rupere moras. Venusiam in Apulia occuparunt, urbem dedente Petro Nauarro militum qui in præsidio erant, suauo & obtestatione quoniam sustentare posse non sperabant. Quarata eodem impietu ceperūt Camilli item Carraccioli ditione. Vrumque oppidum duodecim passuum millibus Barletta distat, vbi forte Gonsaluus statua tunc habebat cum multo maxima copiarum parte. Viselis, Altamuræ principatus nobile oppidum ad Gallos defecit vltro. Atque nostrorum tritemum accursu receptum breui superuenientes galli pulsis Hispanis suæ ditionis rursus fecerunt. Grauis ignominia visa est neque dissimulanda contumelia. Æstas erat in præcipiti, Gallique qui Quaratae morabantur aquæ penuria, annonæ difficultate laborabant inlessis itinerib, à nostro equitatu. Ergo relicto ii oppido qua iuerant regredi decreuerunt. Ad Aufidi ripam castra habentibus Gallis Augusti fine, Gonsaluus Barletta egressus pugnae copiam fecit. Detrectarunt illi certamen, institutoque itinere Amalfim versus sunt progressi. Nostri equites aliquanto numero abeentes vrgere ac postremo præsertim agmini molesti & graues cädere dispalatos: neque cessare nisi magna impedimentorum hostilium parte capta. Namursius etiam atque Obenignus præcipui copiarum duces priuatæ supellefilis haud exiguum partem in tumultu amiserunt. Mille alios Heluetios Neapolim iam appulsos, & quadringentos equites qui Florentiam periuerant, Galli prope diem expectabant. Sine eo supplemento summam certaminis sortem pericitari recusabant. Gonsaluus quoque à suo Rege classem submitti postulabat, atque in ea in supplementum quadringentos leuis armaturæ equites, bis mille Calæcos Asturesque gentem locorum asperitate & tenui à primis annis propter locorum sterilitatem vietū duratam, ex eo bello idoneam. Ad Ioannem Emanuelem scripsit, vti duo millia Germanos ære conduceret quos Hispanis mitteret, & in pugna Heluetiis opponeret. Ad eos excipiendos & mari

superior transmittendos Malferitum notae industriae virum. Anconam Piceni urbem destinauit. Rex Catholicus quando pacis consilia non processerant, ad bellum conuerso animo, triremium instructa classe cui Bernardum Villamarinum praefecit, duceros grauis, totidem leuis armaturae equites, adiunctis peditibus & pecunia in Italiam mittere statuit. Simul Cæsarem monebat, ut pro imperii iure Italæ finibus arma inferret. Mediolani in possessionem mitteret, e duobus Ludouici pulsi eo principatu filiis alterum: qui inopes, exules, sine lare familiari in Germania visebantur: Ac quod mirum videri possit, Florentiam Hetruriæ caput Valentino duci dari volebat Regis nomine & iure sed quasi imperii beneficiario. Pontificem aliena munificentia promereret erat destinatum, quem in partes attrahere fœdusque nisi spe emolumenti maximi & honoris specie non sperabat bello Neapolitano ex sententia confiendo magnum momentum allaturum.

Philipus Princeps in Belgas abiit. CAPUT XIII.

TOLETI Rex Catholicus aliquandiu Principum aduentum ludis & omni hilaritate celebravit: iis dein cum Regina in ea urbe relictis Cæsaraugustam discessit ad octauum Idus Julii. In eam urbem conuentus iudicatos ad quartum decimum Kalendas Augusti, ex itinere in longius tempus sustentari placuit. Gentis promerenda prima cura erat, ne Principibus sacramentum dicere detrectarent libertatis à maioribus suscepæ in studium imprimis incitati. Sub initium Septembbris quo iam tempore Rex Cæsaraugustā peruenierat, Magni consalui precib. & importunitati classem submitti expertenti datum est, vt noua instructa diligenter classe, cum parte Emanuel Benauidius quadringentos equites pari numero cataphractos & leuis armature, præterea pedites trecentos auxilio veheret, cum reliquis nauibus consequeretur Ludouicus Portocarrerius Palmæ regulus, bello granatensi spectatae virtutis. Quo maior honor esset, exæquatæ cum gōsaluo potestate bellum curare placuit. Dati trecenti cataphracti, quadringenti expediti equites, pedites ad tria millia. Rebus in arcto positis præsertim in Brutiis & Magna græcia haud minori subsidio opus erat. Venetos præterea in partes attrahere cupiebat, ad Hispanum fœdus vt videbatur propensos. In eam rem missus denuo Venetas Laurentius Suarius Figueroa, vt pro ea gratia & auctoritate, quam superioris legationis tempore apud eos ciues natus erat, rem conficeret, faceret quin etiam spem vires communicandi opemque ad Mediolanensem principatum, aut Aprutios ad ditionem adiungendos quibus prouinciis cupiditate imminebat. Die constituto cōuentus gentis Aragoniæ inchoatur. In eis Rex petiit Michaelē principe extincto in Ioānē Principis nēpe maioris filiæ inq; Philippi eius viri, q; æquū erat, verba iuraret, eius regni hæredes fore. Additū præterea vt bello Neapolitano, q; ad eā gentē proprie spectabat, auxilia decernerent. Vtrumq; & tunc propitiis aurib. auditū, & postmodum obediēter factū est. Dum de subsidio tamen in bellum Neapolitanū delibetatur in cōuentu, à Rege Catholicō princeps Philippus & vxor sunt moniti, quam primum vt eo festinarent: agendi opportunitatem non esse prætermittendam. Fecerunt illi quod imperabat. Appulsi acceptisque in eam urbem splendido regioque apparatu, ad sextum Kalendas Nouembri sacramentum est à cunctis ordinibus dictum more majorum ea cæremonia, iisque cautionibus, quæ in ea celebritate adhiberi in ea gente sunt solitæ. Ita nouo exemplo scemina nōndum extinctis parentibus regni hæreditas Aragoniī iuramento ordinum est confirmata. Neque enim Petronillæ quamvis in Reginam suscepæ simili cæremonia sceptra sunt data, ac ne tunc quidem is sacramenti ritus in usu erat. Sub hæc Philippus Madritum discessit, iisdem vestigiis paulo post subsecutam vxorem Rex pater comitatus est, relicta soror Regina Neapolitana quæ cōuentui Aragonio ad finem præcesset. Nam Granata diebus superioribus, ubi Rex & Regina erant, profecta in ea loca venerat voluntate destinata traiiciendi in Italiam filiæ solamen atque præsidium vnicæ viduæque. Dum ea profectio maturatur, datum vt Aragoniæ gentis rem. procuraret pro fratre vicaria in locum Alfonsi Aragonii Regis filii Cæsaraugustani antistitus eatehus Aragoniis rebus præfecti. Philippo principi mora in Hispaniâ molesta erat, aulicis graues Hispanorum mores multum à Belgica facilitate discrepantes. Ii incauti iuueniis ætatem pro voluntate versabant obsequio & gratia heri potentes. Præ cæteris præstabant tum Bisluntinus Archiepiscopus qui eum Principem in Hispaniam comitatus, in ea diebus superioribus obierat: & secundum eum Verius regulus proximum auctoritatis locum occupabat, vterque Gallicis partibus, nec mirum, plus satis addictus. Honestæ profectioni species quæsita est, visa optima. Belgas eius discessu præsidio nudatos vt in nullo tali metu, bello inter Gallos & Hispanos repente concitato, ne aliquod incommodum

dum acciperetur, eius præsentia indigere. Reges ab ea mente ægrum Principis animum abducere, vxorem vtero graui relinquere ac partui vicinam videri inhumanum. Salutaria monētibus obturatae aures erant: obduratus animus. ne impetratum quidem, ut Gallicum iter vitaret, reb. adeo turbatis se in hostis potestatem vltro ne daret. Excusabat ille se potius arbitrio cum ea gente conuenturam concordiam: ad quam Gallus propensus tunc quidem videbatur, siue Friderico consensu in regnum paternum restituto, siue trāslato ab Hispano quidem in Carolum Austriacum nepotem, à Gallo autem in Claudiam filiam pacti inter eos exante eondicto coniugii eo regno dotali. Verum hæ molitiones inanes visæ sunt, atque eo pertinere ut Rex Catholicus fœderis fiducia curam belli remittet, Hispanique adeo duces non satis à milite & pecunia parati facilius opprimerentur. Intelligebantur artes: sed pars prudentiæ erat tantisper dissimulare. Ergo Philippus Madrido tandem discessit vxore cum parentibus relictæ. In Aragoniam & Catalaunos itum, atque Perpinianum. Eo à Ludouico Gallo fides publica venit iter fore tutum. Ita in Gallia fines ingressus continuato itinere Lugdunum appulit, ubi Gallus morabatur & Rhotomagenensis Cardinalis Pontificis nomine in Gallia legatus. Verum hæc fine huius anni & subsequentiis principio gesta sunt: ad bellum Neapolitanum narratio recurrat celebrissimum præ cæteris ea ætate.

An Regem Catholicum in Italiam abire fuisset consultum.

20

CAPVT XV.

BEllum Neapolitanum interea ducebatur flamma per omnes partes excitata. vis maior in Apuliam Brutios & Magnam græciam incubuit ubi Salernitanus, Bisinianus, & Rosanius, atque Meliti Comes gallicas palam partes inueterato studio sectabantur. gallis consilium fuit eo cum robore copiarum accurrere: atq; vt id expeditius esset nullo à tergo damno, Alegrum cum trecentis equitibus in Capitinata relinquere cum pari equitatu & mille equitibus Palicum tueri, quæ in Barense tractu per vim occuparant. Lucanæ præsidio Ludouicum Arsium designarunt attributis quadringentis equitibus & idoneo peditatu. Namursius in Brutios ducere volebat grauis armaturæ equites ducētos pedites mille. Obenignum ad Spinasolam subsistere cum reliquis copiis Barlettæ obiectum, ubi erat Hispaniæ robur exercitus, ad viginti quatuor inde passuum millia. Restitit Obenignus magnam græciam & Brutios sibi prouinciam depositens. Terranouæ principatum occupati spe, dono Regis Catholicæ consaluo attributum, ipsi detractum. Decretū vt eo ambo contenderent coniunctis viribus gesturi bellum. Prius tamen quam eo mouerent castra, Obenignus Barim versus abiit cum centum & quinquaginta equitibus peditib. mille. Namursius specie famaque quasi in Brutios duceret, Tarrentum versus flexo itinere, Materam & Castellanetam occupauit haud firma oppida. Materæ Comitem & Mazaræ Episcopum, qui Materæ erant, acie vicit. Pärta victoria exigua quamvis elatus vltérius que progressus ad Tarentum castra posuit, ibi Calabriæ ducem esse ratus. Verū ille comodum ante nouem dies in Siciliam abierat. Hispani milites eam urbem præsidio obtinentes facta eruptione & impetu hostium castra incurserunt, quem aduersarii non tulerunt. Cum ignominia se retro referre compulsi ad arem viginti duobus millibus Tarrento dissitam castra posuerunt, ad Barensem agrum contendere destinantes, ubi iūctis cum Obenigno viribus Bitontum occupare cogitabant, si minus id contingenteret, certe in Brutios vim vertere. Accidit interea ut Galli qui in Lucanis erant, robur exercitus Galici litteras ad Dieghum Mendozam testato descriptas per fœcialem mitterent, quibus undecim Galli equites, Hispanos pari numero ad certamen prouocarunt die proximo, hora post meridiem tertia designato. Locum certamini Barlettam inter & Viselim campum medio spatio in omnes patentem partes ipsorum fide ab insidiis vique tutum. Addita lex vt vieti viatorum captiui essent, darent & caperent opima spolia equos & arma neque sanguinent inter se amplius. Breue tempus Hispanis visum est ad se comparandum, tuendum tamen, quod virtute pepererant dignitatis ac famæ decus iudicans Gonsaluuus certamini annuit. Delecti ex omni copia notæ virtutis undecim viri, quorum nomina ut prodantur non est necesse. Sed in eo numero tamē Dieghus garsias Paredius toto bello in paucis fama præstans. Is belli initio in Brutios transmisserat sexcentis peditibus dux. Die proximo cum luce certamini necessaria singuli compararunt, equos, arma, splendidas vestes. Profecturos seq; mutuis cohortationibus ad depromendam virtutem incitantes, consaluuus item Columniis Fabricio & Prospero coram, Termestino duce aliisque proceribus multis, his verbis ad certamen acuit. Quicunque singulari certamine experiri parant, iis

prima cura esse debet æquitatis causa, quam tuendam suscipiunt, alioqui ne pro victoria
luctum & ignominiam referant numine vindice, verendum est. Hæc non vestrum pri-
uata paucorum est, sed cum gente vniuersa & Rege nostro communis totius orbis con-
sensu & approbatione probabilis, iuri consona causa æquitatem certa cōsequetur victo-
ria, adeste milites animis. Proinde diuina humanaq; spe pleni, quo soletis impetu in pu-
gnam irruite, præsidio inter vos estote, memores in huius pugnæ euentu totius gentis di-
gnitatem verti, patriæ decus, Regum nostrorum gloriam, cunctorum lætitiam & cōmo-
da, pro quibus singulis sanguinem vitamque profundere si fortis viri estis, æquissimum
est. Nisi victoria paœta milites, quo vultu redibitis in castra? quibus vos oculis socii aspici-
ent: vel in morte victoram, vel in victoria salutem, famam & præmia constituta putate.
Ad hæc milites paucis, mori se posse dixerunt: officio tamen non deesse, neque ignauia
notam suscipere fixum habere. Secundū hæc verba itur in arma. Quatuor tibicines præ-
cedebant, quemq; comitabatur sius armiger. Ingens ad rei famam tum militum tum in-
digenarum cōuenerat multitudo. Ad locum certamini designatū Hispani vna hora prius
quam aduersarii accesserunt. Illorum aduentu magno animorum ardore pugna inchoa-
tur. A netiris victoria aperte stetit. E callis tamen cæsus vnuus, alter deditus, nouem vulne-
rati, totidem equi occisi sunt. Ex Hispanis nemo cecidit, vnuus deditioñem fecit, duobus
impositæ plagæ, tres equi perierunt. Ad noctem pugna tenuit, neque gallos tamen tanto
quamuis incommodo accepto potuerunt Hispani ad deditioñem cogere, in pedes desti-
tutos equorum iacentium corpora texerunt. Hispanorum equi ad eum aspectum exhor-
rentes propius ut accederent, adigi non poterant, si premerentur, domitis frænis retro
vertebantur, aut cum fremitu in pedes erigebantur. Is finis certaminis fuit neutris igno-
miniosi. Quod Gonsaluuus tulit ægerrime Hispanos milites pugnam non sustentasse, dum
aduersarios penitus frangerent, victoriæ integrum decus auferrent. Interea Rex gallus
in Italiam maturare constituit è propinquo in belli apparatum incumbere volens: Ex re-
motis locis sæpe remedia post morbu venire non ignarus: In Insubribus tamen substitit.
Regi Catholico eodem traiiciendi voluntas erat: coque consilio Cæsaraugustam abierat.
Maiorum exempla ad audendum incitabant: qui sua præsentia in Sardinia, Sicilia, & ad
Neapolim ea perfecerunt, quæ per alios ægre aut nullo modo potuissent. Maximi mo-
menti res visa est, digna consultatione. Magnis viris adhibitis in cōsilium de ea profectio-
ne Rege referente disceptatur. Variæ, ut sit, sententiæ fuerunt. Gutierrez Cardenas Castel-
la Promagister prouecta ætate vir, ex eo multo vsu rerum cautus in conuentu hac sen-
tentia orationem habuit. In re grauissima audire potius quam loqui esset satius. iussus ta-
men consilium dabo vtinam tam felix quam fidele. Quicumque magnum facinus aggre-
di vult in primis prouentus spem cum periculo quod proponitur, debet comparare vbi
paria sunt periculum & præmium, & prosperis rebus vberior fructus est, & aduersis sola-
tium maius. Obnoxii enim animi est rerum difficultate terrori sed non minoris temerita-
tis exigui spe fructus in maiora incommoda certamque perniciem incurrire. In præsen-
ti deliberatione si nominis existimationi consultum volumus, qua fere bellorum euen-
tus constant, (magna esse famæ momenta quis neget in bello magis?) maiorem fore con-
sidero à ducibus victoria parta, vietiis minorem ignominiam, vtrumque è contrario Re-
ge præsente. Ac illud considerandum: ante nostrum appulsum si bellum confectum sit,
quod fieri posse quis dubitet? redire inglorios necesse erit labore frustra suscepito. nam
à nostris victoria parta confecti belli laus penes alios erit, nostra in casum molestia cedet.
Si ab aduersariis steterit, ad bellum instaurandum nullæ vires satis erunt, ne totius qui-
dem Hispaniæ in vnum collatæ. Italiæ principes suspensis hactenus animis bellique spe-
ctatores tantum, si conceperint animis vires gentis nostræ imbecillas esse, neque bello
profligando idoneas nisi Rex adsit, ut sunt ingenio mobili nouas fortasse spes captabunt.
Non ea sum mentevt Reges velim in otio vitam consumere & quasi in lustris ignauia
animalia solent consenescere, seque iucunditatibus dare: sed neque eorum salutem in
periculum voco nisi re necessaria. Quis in longinqua adeo nauigatione maris sœvitiam,
ventorum vices non metuat. Quis Genuensium vires & arrogantiam non cōsiderat præ-
sertim si gallicæ classes adiungantur, ut est verisimile, ad nostrā classem certe impugnan-
dam? Quis vitam & salutem Regis prælio nauali committat in quo sors plerunque domi-
natur virtute potentior in mari. Documento sit Alfonsus patruus à paucis Genuensium
nauibus vietus captusque vna cum fratribus. De offensione procerū nihil dicam facul-
tateque turbandi res, absentia eius cuius prudentia intra modestiæ fines cōtinentur qua-
si asperioribus frænis domita contumacia. Ut cætera absint, qui possis Reginam relin-
quere valetudine ægra grauorem morte eam profectionem haud dubium habituram?

Si qui

Si qui Aragonii Reges mare transmisserint, temporum conditio enatæque occasiones ex-
 cufarunt: ne maiores quidem semper saniora consilia sectati sunt. Arma bellumque de-
 poscere in castris à primis annis versatum non miror, non vitupero, sed si tanta cupidita-
 tas induendi arma sollicitat, vt bello Galliæ fines è propinquo laceſſamus statuo; quo ho-
 stium viribus ad defensionem patrii soli conuersis Neapolitani conatus debilitentur &
 de imperio Mediolanensi porro decedere contigat. Hæc mea sententia est si commo-
 da vtimini, si contra synceræ voluntati detur venia. Quod placebit Rex consilium, id o-
 ptimum iudicabo. Si traiiciēdi in Italiam sentētia stat, hac quamuis ætate, esse comes non
 recusabo. primus me itineri accingam, certus vitam & fortunas periculo potius qnamuis
 10 graui obiicere, quam vt videar officio defuisse. Verum consultoris liberæ voces esse de-
 bēt, Principis ad audiendum patientes aures, libera diiudicatio. Magna assensione astan-
 tium Gutterii oratio excepta est, valida argumenta visa, dignaque ea prudentiæ opinio-
 ne viro. Ea vulgata tamen, Episcopus quidam, cuius nomen non exprimitur, quamuis
 minime rogatus codicillum Regi vltro in manus dedit, hac ferme sententia verbisque.
 Quod nullo rogante consilium iniussus do, hæc siue temeritas siue licentia veniam me-
 retur. De re communi loquendi nulli, sit ille quicumque, facultas in merito denegatur. In-
 commoda & pericula si sigillatim cuncta, vt Promagister fecit, siue examinanda, nemo
 rem arduam aggreditur. Neque agricola culturæ & sationis labores artipiat, neque nau-
 clerus procelloſo mari nauim committat, ac ne miles quidem cum tanto saltitis discrimi-
 20 ne induat arma, procedat in aciem. Nullus denique erit, qui si in difficultates omnes re-
 spexerit, suo muneri satisfaciat. Hæc est humanæ imbecillitatis cōditio, hac lege vivimus.
 Nihil magnum Deus aut natura mortalibus dat sine multo labore & sudore. Primam Re-
 gibus rei militaris curam esse nemini est dubium, militum delectus habere, exercitus re-
 gere, siue bellum defendendum sit siue hostis laceſſendus. Ecquid aliud gladius quo es-
 præcinctus significat, quam patriæ tutorem esse, quod sine bello non contingat. Ac ne id
 quidem quæſitionis est, commodius bella à Regibus quam per duces sint illi quicunq;
 geri. Regem ad bellum euntem prosequuntur ciues. summi, medii, infimi turpe ducunt
 domi resistere, deliciis incubare, quorum Princeps in acie & in puluere atque in periculo
 pro communi salute, pro imperii dignitate versatur. Nemo quantauis dignitate tali du-
 30 ctore arma sumere recusat, cum plerique proceres æquali, aut fortassis minori obtempe-
 rare turpe ducant, atque eius ad arbitriu in verti. Documento sit præſens tempus. Quis
 enim è numero procerum, rogo, ad bellum Neapolitanum est profectus excellēti quam-
 uis eximiis dotibus duci data belli cura? Deinde pecuniam in stipendium, bellicos com-
 meatus, ac cætera necessaria Rege præſente expedire prōptum est. Enatis difficultatibus
 facilius prudentiusque occurritur, absente consilia post res afferuntur inepta ſæpe: quo-
 niam autibus fideliores sunt oculi, & in horas agendi occasiones mutantur. Beneuolen-
 tia militum, qua nihil est in bello potentius, cognitione conciliatur & viſu: quippe homi-
 nes militares canibus similes, vt Plato ait, domesticis blandiuntur, externis allatrant. In
 oculis principis, à quo præmia virtutis expectant, viri fortes leonibus pates euadunt, i-
 40 gnauos ad audendum pudor sollicitat, metusque ignominia. Homerus quidem deos
 ipſos in pugnam inducit inflammare pugnaces iuuenum animos. Agamēnonem fingit
 etiam gregarios milites nomine compellantem. Alexander, credo, & Cæſar nunquam
 orbi iugum imperii imposuissent, si domi deliciis indulgentes res bellicas per vicarios
 administrassent. Quæ res imperium Romanum è culmine ad terram affixit? ſane prin-
 cipes bellū tempore domi desides, ducum virtute confisi. Sed mittantur vetera. Mauri haud
 dubium hodie in Hispania viuerent, niſi ipſe bello Granatenſi interfuisles copiarum du-
 ctor ac totius expeditionis particeps. Carolus Galliæ Rex quanta celeritate ſuo in I-
 taliam traiectu Neapolitanos domuit: eius diſcessu, quæ fuerant breui parta, ad veteres
 dominos redierunt. Regium corpus vt labore frangatur, verendum non est, niſi affueſcas,
 50 emollitur moleſtia. Aulæ præterea obſequia, & ministeria, atque alia vitæ principalis
 commodities nunquam defunt. Plausus quin etiam cunctorum, molestiam minuunt,
 armato atque inermi circumfusa omni ex parte multitudo theatri instar est omnium ocu-
 lis in ipsum coniectis, laudibus celebrans quæcumque facit, laude vegetatur animus
 corporisque. Multo minus maris pericula moueant. quem enim Regem ſubmersum vi-
 dimus? Quod ſi Alfonsus Rex, quo nos exemplo tantopere terrent, naualem pugnam re-
 cusare voluſſet, nemo pugnandi necessitatem imponeret. Sui fiducia hostium contem-
 ptus vtrumq; exigitale malum, in ea præcipitarunt incommoda. Vnde tamen regia cum
 maiestas in maiorem gloriam euexit, viresque contra aduersarios nouas adiunxit. Quod
 ſi durum tamen videtur Regem intereffe bello, incertæ præliorum ſorti caput & fal-

,, uum obiicere, quid prohibeat Siciliam finitimam adire rebus eius insulæ compositis, re-
 ,,, gio aspectu ea gente recreata in belli Neapolitani apparatum diligentius incumbere?
 ,,, Hæc nostra sententia est verior fortasse quam grata multorum auribus. Verum ea re-
 ,,, media tæpe salubria existunt quæ acerbiora ægrotorum palato: neque utilia semper quæ
 dulcia. Episcopi libertas plerisque placebat, vera dicere videbatur. ii etiam qui contra
 tendebant magis noblebant quam non probabant sententiam. Vicit tamen Promagister,
 quippe cunctorum auribus gratiora locutus cautiorque. Accessere Henricus regis a-
 uunculus, Aluarus Portugaleſis, regio senatui Praefectus, Garsias Lassus, Antonius Fon-
 feca, Ferdinandus Vegha magna au&toritate magnaque prudentiæ opinione proceres
 idem cum Promagistro iudicantes. Accessit per litteras Gonsalui in eam sententiam suf-
 fragium victoriam haud dubiam suo ductu de hostibus pollicentis. Quæ asseueratio in
 magnis ducibus vituperatione carere non solet. Belli successu nihil incertius. Metus
 profecto ex gallia finitima ostentati frequentes Regem ex Hispania abire tum quidem
 non sunt pauci.

Rursus Galli ab Hispanis ad pugnam prouocantur.

C A P V T X V I .

CÆsar Augustæ Aragonii in Philippi & vxoris verba iurabant, res Hispanorum in Bru-
 tiis & magna Græcia in præcipiti erant. Siciliæ Prorex eo periculo permotus Mes-
 sianam accurrit angusto ab Italiæ ora diremptam fretu. In ea vrbe militum externorum 20
 numerum legit, rebus inclinatis præsidium. Roma etiam Golisani Comitis duo fratres
 Cardonii Hugo Ioanneque relicta honestissima conditione, quam apud Valentimum
 obtinebant, suauu Francisci Rogii legati eodem appulerunt cum ducentis & quadragin-
 ta delectis militibus. Nec mora: cum ea manu aliisque militibus, quos legere potuerunt
 è portu Messianensi fretum in tempore transmisere. Nam Meliti Comes Bisiniani fra-
 ter Terranoua, quæ Thurium veteribus fuit, capta, arcem impugnabat supremo conatu.
 Hugo eo profectus Comitem, qui obuiam processerat, acie superatum obsidionem sol-
 uere compulit. Simul Salernitanum & Bisinianum Consentiaæ obsidione raptim dimissa
 refaciendo detrimento in planiciem Terranouæ dilabi. Cōmissa ea pugna fuit quarto
 die priusquam Emanuel Benuidius copias, quas ex Hispania vehebat quindecim nau- 30
 bus, in Messianeniem portum inferret. Ea classe inter alios duces Antonius Leua in Ita-
 liam venit strenuus imprimis miles, ac deinde eximius copiarum dux prudentiæ & vir-
 tutis opinione maxima. Ex copiæ breui transmisso freto se cum Hugone Cardonio &
 cæteris coniunxerunt. Contra Salernitanus & Bisinianus Melito, quo se receperant, vt is
 Comes cum septingentis Heluetiis aliquanto equitatu, & maiori prouincialium nume-
 ro Consentiaæ obsidionem repeteret, consensu decreuerunt. Suscepta is demandata cura
 ad Motam Calameræ castra promouit Rosano disitum oppidum tribus modo milli-
 bus passuum, vbi Hispanici exercitus multo maxima pars statua habebat. Ii rati opprimi
 aduersarios posse noctu strenue facto itinere improvisi superuenere. dubia luce in oppi-
 dum inuadunt, & quoniam clausum mœnibus non erat, momento temporis capiunt. 40
 Kepentino in terrore hostes pars fugere, pars cædi. cum Comite pars maior se in
 arcem eius oppidi receperunt. Vim arcu admouere non licuit cognito Obenignum
 cum omnibus copiis in ea loca delatum forte, an consilio ad ferendam opem Comiti
 festinare propediemque affore. Hæ Hispanicæ copiæ Rosanum redactæ sunt haud
 maiori operæ pretio facta. Alia parte Fabricius gesualdus Consæ Comitis filius, idem
 Amalfitani Principis gener Tarentino limiti pro Gallis præfectus cum manu militari
 ad vastandos eius vrbis agros progressus, Ludouici Ferreræ & Petri Nauarri, qui
 Tarentum præsidio obtinebant, accusu inquis ad transitum locis cæsis militibus
 omnibus, vix ut tres tantum euaserint, captus Comes ipse venit in potestatem. In Apulia
 reliqua eo maiori ardore bellum gerebatur, quod viraque pars vectigal ex pe- 50
 coribus, quo præcipui eius regni redditus constant, exigere a pastoribus festinabat.
 Nec deerat elegantissimus quisque ex plebe spæ prædæ fingere studia partium. Conflictus
 peculiares varios & multos recentere longum esset. Prouincialium ingens damnum,
 quando a Gallis & Hispanis certatim gentis miserae pecora ditipiebantur. Rapiendi
 licentia misericordiam non recipit. Duces partium accendendo bello acres, frænandis
 iniuriis impares. His malis vt occurreret Namurtius Canusii, vbi erat, cum vniuersis
 copiis decreuit Aufido impositum pôtem euertere ad quartum à Barletta lapidem: quo
 sublata Hispanis libera commeandi facultate, prædandi in Apulia modus esset, præfer-
 tim hibernis pluviis inflato amne difficiili vado. Obenignus item cum primum in Brutios
 peruenit.

peruenit, Terranquam urbem occupare constituit. Mœnia erant infirma, neq; commeatus affatim ex ante conuecto comparati. Hispaniorum copiae, qui in ea vrbe erant, desperata defensione per montes ad aduersi atque Orientalis maris littora se recipere consti-
tuunt. Prudenter destinata Gallorum celeritas occupatis confragosis locis, qua iter erat, importune disturbarunt. Repentino in terrore Hispani pedites se in pedes dant: ex e-
quitibus ad quinquaginta capti sunt qua grauis armaturæ qua leuis ac fere ex Antonii Lei
uæ ala, qui in eis angustiis omnium prædicatione & fama eximi bellatoris laudem tulit.
His rudimentis ad summum decus contendebat. E nostris plerique Giracium se atque
in finitimas eo tractu arces ex pauore recepere. Secunduni eam victoriam magna re-
rum commutatio facta est: ac fere Magna Græcia & Brutii Oberigno deditio-
nem fecerunt mobili ingenio gens, fideque sæpe ex fortuna suspensa. Pugnatum est ad septi-
mum Kalendas Ianuarii. Quarto post die Namursius vti erat constitutum, cum copiis
ex statu egressus pontis Aufido impositi tormentorum iictibus medium fornicem euer-
tit, turrimque ex quo illac transierat semidirutam, qua pontis aditus cludebatur.
Gonsaluus hostium consilio cognito, milites Andria haud exiguo numero euocauit. Gra-
uus festinanti eorum militum mora fuit. Sed iis tamen ad alias copias adiunctis celeritate
correxit tarditatem. Itaque in hostium conspectum venit, retro conuersis vestigiis, vnde
venerant, redire destinantium. Misso tubicine Gonsaluus Namursio renunciauit festi-
nare se. proinde eius aduentum expectaret, si causæ confideret, se martis arbitrium non
recusare. Respondit ille tum demum fore pugnandi copiam, si Gonsaluus Fernandus
Canusium accederet, quam prope ipse Barlettam. Sic in Italia res erant, quo tempore
Illicim appulsus Calabriæ dux inde Madritum abiit, vbi reges erant. Captiuo quam-
uis honores habiti non secus ac Regis filio, excipiendoque in urbem principalis appar-
atus decretus. Exilii molestiam ablati regni dolorem iis blandimentis mitigare æquum
erat. In Flaminia bellum Valentinus instaurarat pari conatu feliciori euentu quam ante:
Kalendis enim Ianuarii salutis anno Milles. quingentes. tertio Senogallia vrbs detracta 1503.
Præfecti filio ex deditio-
ne venit in potestatem. In ea vrbe Franciscum Vrsinum Graui-
næ ducem ad se vltro venientem, venturi securum cepit, vna cum Paulo Vrsino Vitello-
cio, & Oliuetoto Firmensi viris primariis eximiis bello ducibus. Eo nuncio latus Ponti-
fex Romæ Vrsino Cardinali manus iniecit. Hæ molitiones eo pertinebāt, vt Columnen-
sium exemplo, qui vitam calamitosam in exilio propagabant fortunis euersi, Vrsinorum
porro familia opprimeretur, ditioque eius familiæ omnis in agro Romano Pontifici ce-
deret, nulla memoria iicti paulo ante cum ea gente fœderis, religionis in eo violata nulla
cura. Perusiam paulo post Valentinus felicibus armis Pontificiæ ditioni restituit, Tifer-
numque His successibus spe vasta & cupiditate elatus. Senenses præterea, Lucenses, Pisani-
nosque liberas & validas ciuitates ad deditio-
nem adiungere parabat. Galli tantum Regis
metus frænabat ingentes spiritus superbiamque, earum vrbi patrocinaio suscepto na-
cti opportunitatem copias militares è Gallia Neapolim vsque transmittendi, nullo qui
transitum impediret, quod ad alendum bellum quod erat in manibus commodissimum
putabat. Tametsi Florentinos inter & Pisanos bellum ducebatur. Pisanique Hispaniæ vi-
ribus cupientes arreptam libertatem tueri, superiori tempore se libertati incolumi in Re-
gis Catholici obtulerant clientelam. Abnuit ille tunc, ne importuno tempore nouum
ordiri bellum esset necesse, quod Galliam & Italiam in partes traheret, cū vtrisque com-
mitteret Hispaniam. Mutata deinde sententia cum ad spreta paulo ante consilia recurre-
re destinaret, occasio iam abierat, quæ momento temporis irreuocabilis labitur, populari
voluntate nihil leuius, paulo momento in contrarias partes circuagit. E Lusitania duo
patruelæ Alfonsus Franciscus Alburquerquii cum ternis quisque nauibus in Orientis
oras missi sunt. Quanta rerum moles exigua hæc initia consequetur? Ab hoc tenui princi-
pio rudimentisque Alfonsus maxime in quantum ducem euadet?

Palicius ab Hispanis capit. CAPUT XVII.

BArlettæ Magnus Gonsaluus rebus suis in arcto positis, varia atque contraria consilia
in animo versare. Hinc in aciem prodire nisi Germanorum aduentu & auxiliis Hi-
spanicis, quæ in horas expectabat confirmatus, certa vincendi spe recusabat. Inde annonæ
angustia sollicitabat, compellebatque iis locis relictis pugnæ discrimen periclitari. Mo-
norbinus enim, vbi Namursius, Canusii atq; Cirinolæ statuua habebat maior commeatus
copia suppetebat. In ea cogitationu anxietae, vitatis extremis mediæ tenere viam placuit,
Diuisis enim uero copiis varias manus ad prædandum finitimos agros dimisit, consilium

salutare ad tuendam nominis existimationem militem exercendum, alendasque prædā copias. Sed quantum opis id erat in angustia? Sic ad octauum decimum Kalendas Februarii Barletta digressus Diegho Mendoza duce cum trecentis expeditis equitibus præmisso, qui vicinos agros Labelum usque viginti quinque inde passuum millibus percurseret, ubi portorii Apuli bona pars redigitur, ipse ad quartum à Monorbino milliare castra posuit Gallis prohibendis si Mendozæ obuiam prodire tentarent. Haud incommodè irruptio cecidit. Prædæ actæ latissime, supra quadraginta ouium millia domum auersa præcipuo agrestium damno luctuque. Ciriniola egressi ducenti equites cataphracti, sagittarii totidem, iuncti pari numero militum, qui Canusii erant, re cognita prædam Hispanis ablatum abierunt. Gonsalui copiæ occurserunt ex aduerso, intercipere iter Gallorum cupientes. Ne maius operæ pretium existaret imprudentia militū factum est. locum aduersariis relinquerunt se se Canusium referendi paucis modo ex suo numero desideratis. Namurius neque priori incommode neque noua iniuria irritatus in aciem prodire noluit, quo consilio exploratum non est, Hispanis certe cum præda se ad suos recipiendi facultas data. Post quatuor dies nunciato Palicium cum quingentis equitibus Barlettæ fines vastare acceptæ ignominia vindicta solamen. Gonsaluus & Dieghus Mendoza diuisis bifariam copiis locorum angustias insederunt: quibus Gallis necessario transitus erat. Equi casu in ipso egressu ad terram prostratus Palicius ulterius non est progressus. Vicarius tamen Mota nomine cum septuaginta qua equitibus, qua sagittariis prædatum porro pergens in insidias præcipitauit. Socii omnes præter duos qua cæsi, qua capti sunt. Mota dux viuus in Dieghi Mendozæ venit potestatem. Is in familiari sermone quamvis captiuus ingenio arroganti, lingua procaci in Italorum nationem probra conuictaque iactare. Enecus Lupus Aiala contraidoneis argumentis Italos queri, calli conuitiis aduersari. Disputandi calore incensus Mota, si dece[m] Itali cum gallis totidem pugna decernere auderent, una se cum aliis, vera esse quæ dixerat marte arbitro confirmatum edixit. Vagatus is sermo in castris (neque gallus occultauit, neque sine arbitris fuit) prouocauit Italos, qui Hispanorum castra fortunamque sequebantur, ut consaluum frequentes adirent. Iniuriam genti factam vniuersæ conqueruntur, vindicandi petunt facultatem. Idem flagitare Hispani quamvis nullo suo incommodo in sociorum iniuria se respectos tamen cogitantes. Annuit ille libenter decoris apprime tenax de virtute consilii Italorum. De loco certaminis, deque militum ab utraque parte numero disceptatio fuit. Consensu Andriam inter & Quadratam septum pugnarum designacum, decretumque ut tredecim ab utraque parte non amplius equites dimicarent. Idibus Februarii ad certamen est progressum. Prospectus in omnes partes erat, neque opportunus insidiis. locus consaluuus tamen cum copiis omnibus prope Andriam substitut iniuriam, sicunde existeret prohibere paratus. Iam Hispani, Galli, Itali ad spectaculum pugnarum eius frequentes exierant, incole studio visendi proximos campos & colles repleuerant. A delectis iudicibus utrisque loca designata. Vehemens ventus flare cæperat Gallis aduersus propitius Italum quippe a tergo. Ut locorum mutatione exæquationeque ex obliquo ab utrisque flatus exciperetur, postularunt Galli. Nihil impetratum tamen. Ergo infensis hastis concurritur, quas et si venti impotentia Gallis omnibus excussit de manibus, nihil tamen aduersi accidit, nemo ad terram prostratus ne ullus quidem equus occisus. Ad gladios clavasque perducta pugna Gallis Itali longe superiores extiterunt, tum agilitate equorum obedientium, tum pugnandi dexteritate. Horæ spatio uno cæso, atque altero grauiter sauciato, galli reliqui è loco certaminis pulsi victique sunt. Ex Italum unum tantum leue vulnus est inflictum. Victoria parta clari latique victores Barlettam ea nocte redierunt duodecim captiuos præ se agentes, defensa gentis dignitate, vindicata procacis hominis contumelia nobilissimi. Excepti ab omnibus insigni plausu, à magno Gonsaluo ad cænam etiam adhibiti. virtuti atque felicitati debitus honos. Is euentus pugnarum fuit in paucis eo tempore celebratae, nomina pugnantium ut sigillatim referantur opera non est. Interea Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento eductis copiis Castellanetam ex ditione, aliaque circum oppida vi aut voluntate occuparunt. Cum maioris rei oblata opportunitas est. Palicius qui se Aprutii Proregem ferebat & cum eo Amadeus Curtonus Sabaudi ducis vicarius Rubi morabantur decem & octo passuum milibus Barletta: cum iis supra quingentos pars equites grauis armaturæ pars sagittarii. Eos inuadere Gonsalui oppido cupiebat, hostium aliorum vicinitas metusque ex eo retardabat. Commodū Namurium cognovit abiisse spe Castellanetæ recuperandæ. Amalfita num cum robore exercitus gallici Canusii substituisse. Rubum denuo centum quinqua-

ginta equites missos augendo eius oppidi præsidio. Aduolat Gonsaluuſ cum mille equitibus peditum tribus millibus, & aliquot igneis tormentis sub noctem profectus ad octauum kalendas Martii, qui dies Mercurii fuit. Continuato strenue tota nocte itinere sub auroram Rubum improuisus accedit. Nec moratorientis murus quassatur. Longuna erat militibus expectare dum aditus prorsus pateficeret globis ignitis strato muro. Iniuſu ſcalis ſuperare moenia contendunt. Nullo ductore ſibi quisque auctor incitatorque era. Defendunt aduersarii actiter. Hispanos ſubeuntes contris ſaxisque deturbant: ac retro redire compellunt præter ignominiam tamen nulla alia clade. Tormentorum rurſus con tinua iaculaſione muri magna parte prostrata, ignominiae prioris demenda studio ar dentiores milites feliciori quam ante conatu per ruinas & rudera in oppidum irrumperē parant. Defendunt rurſus eximia virtute aduersarii. Pugnatur acerrime: multum effunditur ſanguinis. Ad extreum victa defensorum constantia in oppidum penetratur. Recens iracundia ſanguine expletur. cædes per vias & desque factæ nullo militum & populi diſcrimine. E Gallis ducenti ceciderunt: multo plures vulnerati. Palicius quamuis capite ſauciato fugam meditatus per auersam portam in limite captus eſt. Sab audi Ducis vicarius ſe in arcem recepit ſuſtentaturus dum maiora ē propinquo auxiliū aduentarent. Directis tamen eo tormentis maioris mali metu deditioñem fecit ſine exceptione ad victoris arbitriū. Capti ſunt item multi alii viri præſtantes cum magno rei Gallicæ detrimento inclinationeque. Ex Hispanis pauci deſiderati, neque quisquam magni noſminis. Diego tantum Mendozæ in oppidi ingressu lapidis iſtu concuſſa gallea ſenſum excuſſit nullo præterea maiori noſumento. Victoria parta direptoque oppido continuo ſe victores retulerunt in pacata, priuſquam ad rei geſtæ famam ex vicinis locis Gallicæ copiæ ad vindictam confluuerent. Festinatio ſalutaris fuit. Namurſius enim Gonsalui conſilio indicato dimiſſa Castellaneta reuertebatur, vt iunctis cum Amalfitanō viribus Rubi ad præſidium accurreret. Rebus perditis ſerus opitulatō variatis conſiliis neutri parti opportunus aduenit. Ex hoc plane tempore res Gallicæ aperte inclinare cœperunt exitio proximæ. Ac Præianes quidem mil. Hospitalarius in prouincia Phocæensi natus, qui ē Rhodo cum quaor triremibus, duabus biremibus Gallis auxilio veneſat, impeditoque Hispanis commeatu, captiſque quibusdam nauibus Apuliae littora infesta habere pergebat, victus eſt. Lezcanus rei nauticæ apprime callens cum quatuor triremibus Apulie littora ab hostili iniuria tueri iuſſus quingentis militibus in triremes impositis Gallum impugnatutus Brundusium versus nauigauit. Eius aduentu hostis territus conſilio detrectandi certaminis in Hydruntis portum ſe intulit Venetorum, in quorum ea v̄bs ditione erat, præſidio confiſlus ſuſtentare poſſe. Nihil ea re moratus Lezcanus duas naues quæ extra portum in ancoris ſtabant, aliaque minora nauigia cepit, maiora moliebatur, in portum irrumperē. Creuit ex eo hosti terror. Ita ne tentata quidem defenſione per noctem nautis & militibus expositis in terram atque nautica ſupellecțile ſublata, triremes biremesque cum tormentis ſubmersit, ne Hispanus iis potiretur; quæ magna desperatio fuit. Villamarinus cui Præfecti maris nomen erat datum, in portu Melſanensi cum aliquot triremibus ea littora tuebatur, quaſi ex ſpecula in omnes partes deſpectu quocumque vocaret neceſſitas paratus accurrere. Ad ſupplendum militum & nauium numerum Portocarrerii aduentum expectabat aude du- dum ex Hispania profecti. Gonsaluuſ tamen vt continuo Apulie portum aliquem tene- ret, hortabatur. Emanuelis Benauidii exemplo veritus ſcilicet ne in Brutiiſ ſubſiſteret, contra quam ipſe mandarat, vt quam primum ad ſe festinaret viresque ſecum conſerret. Ea parte bello profligato, vbi de ſumma certabatur, cætera in victoriae partem facile ac- cessaſra. Ludouico item Ferreræ & Petro Nauarro, qui Tarentum obtinebant, vt vires & ipſi conſerrent mandatum eſt, tum Lezcano qui hoſte profligato continuo quingen- tos milites in terram exposuerat, præterea Mazaræ Episcopo galipoli curanti, profecto, vt cum ſua quisque manu Barlettam aduolarent. Auſtis ea diligentia viribus Hispanus cum hoſte minus iam feroci signis collatis dimicare, vnoque prælio finem moleſtiis imponere & bello destinabat certa victoriae ſpe.

Vasti Marchio Hispanorum partes amplectitur.

CAPUT XVIII.

Adem cura noua conquirēdi auxilia Namurſium Canusii ſolicitudum habebat, eo at- plius quod paſſiū galli milites ab Hispanis cædebanter in magno rei Gallicæ detrimēto

pari ignominia. Ad fanum Ioannis Rotundi Africani dux Manfredonia profectos ducentos Gallos nihilominus cæciderat. Parem hostium numerum acie sudere Ludouicus Ferrera & Petrus Nauarrus Tarento, vti erant iussi, digressi prope Grutallas transitu prohibere conatos, quinquaginta in super captiuis. Ille in vterius progresi adiunctoq; Lezcano, Bitonti Marchionem quingentos tum equites tum pedites ad Namursum, vt vires conferret, ducentem in conflitu vietum eeperunt, cæsis Marchionis patruo Antonio Aquaiuia eitisque filio. Præterea Oliua Centurio gallorum mantum nactus pugna commissa trigintaque ex numero cæsis, cæteros fudit. Adhæc quinquaginta equites pedites septuaginta Viseli egressos vt Hispanorum pabulatores impeterent. Dieghus Mendoza, qui suis præsidio iuerat, momento in fugam compulit male multatos. Atque equites 10 Viselum præ metu redierunt equorum velocitate adiuti, pedites intra turrim, ad quam se receperant impugnati cæisque sunt. His incommodis commotus Namurius monet O. benigium vnaque Salernitanum & Bisinianum si rem Gallicam saluam cuperent, vt Brutiorum & Magnæ Græciæ oppidis pro præsenti copia munitis, statuq; regionis compositis, ad se quam primum venirent. Cum hoste feroci exultante successibus vniuersis viribus dimicandum videri. Dicis mandatis obtemperare non est visum spem subiugandi penitus eam prouinciam, quæ se offerebat, prætermittendam non putabant. Non minori cupiditate Gonsaluuus dimicandi cum hostibus ardebat haud ignarus annonæ difficultate crescente indies, diutius in iis locis sustentare non posse. Receptum fugæ similem. magna in bello famæ momenta audaciam pro munimento fore. Veneta tamen 20 nauis frumento onusta Trani appulit, qua Hispani sunt potiti, exiguum leuamen. Sed ex Sicilia item quinque nauibus non uno tempore frumenti tria millia medimi allati subsidiuæ famis maius, præsertim pecorum adiuncta frequenti præda ex vicinis agris. Aprutii vrbes ac nominatim Aquila gentis caput ad foedus Hispaniam dudum etant propensa. Arcano hæc agitata dum maturum esset, tegebantur. Capua quinetiam, Atella, Salernumque à Gallis defecturas se pollicebantur, tracturæ in defectionis societatem finitos. Constitutum, vt quam primum Hispanorum copiæ in apertum progrederentur, omnes eæ vrbes Gallica insignia transitionis arguento Hispanicis vexillis mutarent. Muri Comiti venia est data merito quamuis grauia supplicia, qui primus in Lucanis vbi ditionem obtinebat gallicas partes palam fuisse multis, vt idem facerent, auctor exemplo voceque. Salernitano parum fidebatur ad Hispanos transitionem pollicenti, expetentique adeo in coniugium Gonsalui Magni filiam sanioris mentis indicio. Explorata multis & magnis in rebus virti inconstantia dictis detrahebat fidem. De Amalfitano haud certior spes, facturum quæ pollicebatur, velle ad Hispanos transire. Maiori rei Hispanicæ commodo certiori fide Enecus Daualus Ænariam suæ ditionis insulam, seque Regis Catholici palam obsequiis adiunxit haud leui ad victoriam adiumento. Origo illi ex Hispania fuit. Enecus Daatalus Roderico Daualo equitum in Castella Magistro natus præcipua apud Reges Neapolitanos gratia & auctoritate Antolenam Aquinatem duxit Bernardi Gasparis Aquinatis Piscariæ Marchionis & Montedorisi Comitis filiam & hæredem paternæ ditio- 40 nis. Ex hoc coniugio Alfonsus Daualus natus est Piscariæ Marchio, quem per fidem colloquii Maurus in obfidence arcis Neapolitanæ peremit infante relicto, cui Ferdinandus nomen fuit. Alteri Eneci filio (quem Zurita Martinum vocat) Montedorisi principatus obuenit nulla præterea laude. Minor duobus Enecus Daualus extitit, cui Fridericus Rex accendentibus annis operæ impensæ præmium vastum dedit Marchionis nomine iure hæreditario Ænariæ imperium dum viueret, insulæque prouentus omnes, secturas aluminis, atque arcis prefecturam. Horum procerum duo alii fratres fuerunt Rodericus, Emundusque vti alio loco dictum est, tum soror Constantia nomine Serræ Comes primum, deinde Francaillæ dux lectissima foemina. Ergo Marchione prometendo datum, vt ad omnia quæ Regum priorum dono possidebat, Prochytam insulam 50 adiiceret, cataphractis centum, leuis armaturæ equitibus ducentis sub ea stipendia regia darentur. Ferdinando item fratri Piscariæ principatus est confirmatus, nomenque Regii cubicularii auo antea patrique à prioribus regibus datus honos. Cautum præterea, si Hispani eo regno pellerentur, idonea opum compensatio in Hispania esset. Honestissimæ conditiones, sed maiorum Enecique ipsius virtuti & meritis consentaneæ. Iis rebus constituendis non pauci menses sunt consumpti. Ea vero causa extitit non ante professi studii in Hispanos quo alioqui erat ardenti, à Gallis penitus auersus. Eneci filius Alfonsus, Piscariam tandem Ferdinandi patuelis sine prole

in flore

id flore ætatis atque in medio felicitatis cursu importuna morte extincti ad Vasti principatum adiunxit. Nepotem eiusdem Ferdinandum Piscariæ Marchionem annis superioribus Pro regem Siciliæ vidimus, quo tempore in ea insula versabamur, duæta Mantuani sorore nobilissima, amplissima dote. Verum quo tempore Vasti Marchio se suaque Regis Catholici fidei permisit, Aquilera miles sacer vir impiger & bellicæ compos laudis, trecentos milites in Crotonis portum intulit auxilium a Francisco Rogio legato Roma opportune destinatum. Gometius item Solisius Consentiaæ arcem obsidione liberavit urbemque vi cepit, pulso Meliti Comite numero quamvis militum vinceretur ac vix quartam hostium partem exæquaret. Eo maior gloria, dedecus hosti, de Gallis ad Rubum capitis disceptatio tenuit magno animorum motu diu utrinque agitata. Conuenerat inter utrosque ut bello modeste gesto quippe inter Christianos, equiti capto equo & armis detractis libertatem redimere fas esset anni stipendi quarta. Ceperant Galli diebus superioribus Theodorum Bocalum Epirotarum equitum ducem, Dieghum Veram rei tormentariae magistrum, atque Escaladam centuriæ Hispanorum præfectum, aliosq; ad triginta. Et cæteros quidem missos fecerunt qua lege & pretio erat constitutum; retinuerunt tres modo causati duces eos esse, neque debere communi lege comprehendendi: quorū esset dignitas maior eximendos à vulgi conditione videri. Nunc quasi sui oblii postulabant tamen Gallos ad Rubum captos pacto prius pretio dimitti, scilicet non considerantes viros primarios esse, plerosq; etiam ordinum ductores. Præterea Gonçaluo renuntiatur, legem eam militiae Neapolitanæ, quarta stipendi equitem captum redimi, non extendi ad eos qui in iusto prælio, aut oppido per vim capto venissent in potestatem. Consulti milites veterani nobilesq; prouinciaæ proœcta ætatis consensu, non aliter prouincie moribus esse obseruatum vero an ad gratiam curiose inquirendum non arbitror, sed responderunt tamen. In eam certe sententia. n Gallis responsum est datum: captiui ut de libertatis pretio cum iis constituerent, in quorum potestate erant: neque communi cæterorum priuilegio se tegerent. In quo non lucro paucorum consultum arbitror: sed ea excusatione cautum ne prælio viri pugnaces apprime interessent, quod ut res se dabant breui de summa rerum futurum videbatur:

30 Pax a Philippo Principe in Gallia pacta:

C A P V T X I X.

Philippus Princeps discedendi ex Hispania certus ex Rege socero enixe cupiebat cognoscere, vellet per conditiones arma ponere cum Gallis instaurato fœdere: sibique potestatem esse paciscendi si forte Rex Gallus æqua videretur appetere. Recusauit initio Rex Catholicus utrumque siue genero non satis fidens, multo minus eius aulicis, quos ad Gallos esse propenos multa indicabant, siue amicorum in Italia animos debilitare metuebat, si se consciente & volente generum principem per Galliam iter habere vulgariter. Dedit tamen in eam rem angusta certe mandata, quæ transfilire nefas esset. Profecto tamen eo Bernardum Buillium Abbatem iisdem vestigiis sequi iussit, testatoque descriptam paciscendi formulam ad eum perferre, qua ampla potestas continebatur finiendi pace facta controuersias. cum eo ne delegatæ potestatis exemplum communicearet cuiquam præter principem ipsum iuratum arcani fidem: ac ne Principi quidem Schedam crederet, si præscriptæ formulæ fines transgrederetur. Quo in Apulia tempore & magna Græcia arma mouebantur ardore quo unquam maximo, Compluti ex Ioanna principe paulo post discessum viri filius est natus ad sextum Idus Martii, cui fuit Ferdinandus nomen, imperium & ampla regna annis accendentibus. Abluit infantem sacro fonte aquis salutaribus Toletanus susceptoribus Anagari Duce, & Villenio. Lugduni Rex Gallus & Rhotomagensis Cardinalis in Gallia Pontificis legatus aduentu Philippi principis continuo de fœdere sanciendo consilia agitarunt. De conditionibus disceptatio erat. Datae potestatis fines & paciscendi formam ex Hispania missam negligi videbatur. Builius Philippum Principem monet, ne suo Rege inciso quidquam nouaret, cassa fore contra eius decretum inita pacta. Ea monita voces que contemnebantur: ac ne facta quidem potestas est nunciandi Regi Catholico per litteras mutatis ad celeritatem equis, quæ agebantur. Mirabilis confidencia: coegerunt etiam minis atque terroribus concreditæ potestatis exemplum ut publicaret. Principi ipsi iniecta necessitudo est paciscendi, quoniam in Galli potestate erat. Aulici quoque homines Belgæ fœdus maturari cupiebant moræ impatientia, Regis in eo Catholici voluntate neglecta. Pecunia gallica corruptos fama vulgavit in dexterius semper prona hominu

persuasione. Initio fœderis summa duarum rerum optione continebatur. Rex Catholicus Carolo nepoti attributam regni Neapolitani partem cederet, Gallus Claudiæ filia quasi pacti coniugii dotem inter infantes in eundi maiori utriusque ætate. Cum eo ut Catholicus pars penes sequestrum esset Philippum generum, aut quos ipse nominasset: Gallus retineret sua. Audax negotium dicerem impudens conatus. Neque magis æquum quod sequitur. Si ea conditio minus placeret, vterque Rex attributas prouincias in priori fœdere possideret, Capitinata de qua præcipualis erat, sequestro daretur consensu designando. Fœderis vtraque pars Gallis erat propitia. Hispano aspera, quando in altera Gallo sua retinente Ferdinando detrahebatur, quod obtinebat, Hispanis præsertim ex ea prouincia deturbatis, quod ea g̃es imprimis cupiebat, si id contingenter reliqua prona fore persuasi, altera conditione suscepta lis in eodem statu perstebat, nulla maiori ex eo tranquillitate: ne spe quidem vt in unum sequestrum conuenirent. Quis enim aut vnde neutri partium addictus? Interea Rex Catholicus Cæsaraugustam redierat ad dissoluendum gentis conuentum qui eatenus tenuerat. In ea vrbe in eunte Aprili mense Regi præsenti decreta auxilia sunt in bellum Neapolitanum ducenti grauis trecenti leuis armaturæ equites triennii spatio: adiecta lege, vt duces & milites ex ea gente legerentur. Breui ergo delectu habito mandatum omnibus, vt ad fines Ruscinonenses accederent, propter bellî terrores ea parte ex Gallia ostentatos. Britanniæ enim Marescalus & Duenensis Comes cum ordinariis Galliæ militibus Carcasonem confluebant, quo loco ex aliis gentibus copiarum concursus erat futurus. Tanti apparatus quo pertinerent, dubitabat nemo. Tuendo limite Rex Catholicus copiis suis vt ad Figueras oppidum præsto essent limiti vicinum edixit: simul Sanctius Castella Ruscinonensi tractui Præfectus vir eximie fortis & cautus oppida & arces ad vim hostium sustinendam muniebat, metu ne impendens tempestas imparatum opprimeret. Rex ipse eodem accedendi voluntate Populetum delatus, in eo monasterio Buillii, Abbatis litteras accepit renunciantis quod erat ipse veritus, vim Philippo Principi minasq; intentari, nisi in fœdus consentiret, quamvis contra formam ab ipso præscriptam iniquum & gracie. Rescripsit Rex quid facto opus esset. Nihil profectum tamen ea diligentia. Voce præconis Lugduni euulgato fœdere Philippus Princeps Ioannem Hedinum aule metatorem, Gallus Eduardum Bullotum in Italiam dimiserunt, vt pro se vterque Gonsaluo & Namursio confectæ pacis gaudium ingens videlicet nunciarent: & quod erat consequens suorum Principum nomine mandarent positis armis ne in bello ultra procederetur. Sic Philippus in Allobrogos abiit cum Margarita sorore & Sabaudo Duce eorum in uitatu Christi in vitam reducis memoræ dicatos dies celebraturus. Hedinus & Eduardus festinato per Romam itinere, locisque omnibus factam pacem euulgantes Barlettam peruenere in ipso procinctu prælii: cuius sorti duo duces terum summam permittere decreuerant. Gonsaluuus imprimis aduentu ex Germania militum quingentorum supra duo millia latus, victoria spe certa. iis supra Venetas ad Tergestum consensa classe emensoque nullo prohibente mari supero ad quartum idus Aprilis Manfredoniam appulere. Dedit Hedinus Gonsaluo litteras, quibus Philippus Princeps Regis Catholicæ nomine arma vt ponerentur, mandabat, pacem factam ne bello importuno violaret obtestatus. Respondit (à suo Rege per litteras monitus Philippum per Galliam iter facere, si quid forte de pace inducius præscriberet, iniussu suo ne quidquam mutaret) res in eo esse statu vt Principis mandatis obtemperare integrum non esset, nisi Rege prius consulto quid in eo rerum articulo facto opus esset. Consilia res magis hominibus dare, quæ in horas variantur, quam homines rebus. Gallos priores sumpsisse arma: nunc re Gallica inclinata nefas esse importuno fœderi dare aures. Scire quod consilium captare ipse deberet: Ac vero Namursio coram conueniens daturum responsum. Sic factum. Rex quoque Catholicus ab eo fœdere auersus animo, vt satisfacere omnium votis videretur, de restituendo in Neapolitanum regnum Friderico exule Rege per legatum rursus egit. Verum Gallus ne facta quidem de ea re conueniendi potestate, legatum cum ignominia repulit. pactæ concordiae Hispanos non stare tulit ægerime, gnarus modicas virtes esse sibi, aduersarium præualidum.

Obenignus vicit & captus. CAPVT XX.

Classe instructa Ludouicus Portocarrerius è portu Carthaginis nouæ soluerat dimicato mense Februario. Minime idonea tempestate profectos gemina procella disiecit, prius ad Narbonensem sinū, deinde in Panormitanō littore. Velox tamen nauigatio fuit,

fuit, viginti diebus nulla desiderata naui Messanensem portū tenuetunt, magnis quamuis laboribus toleratis incolumes. Qua parte copias exponerent, disceptatum in ea vrbe est. Quidam Gonsalui præceptis obtemperandum dicere, neque consistendum priusquam ad Apuliae oram ventum esset, viresque conferrent cum reliquo exercitu. Ludouico Portocarrero importuna nauigatio visa est præsertim milite aduersa & lōga nauigatione iactato. Rhegium ergo traiecit, bellum ea parte gesturus, vti in Hispania missum erat. Obenignus post victoriam de Benauidio & Hugone Cardonio partam ad Motam Bubalinam cum copiis consistebat, spe Giracum sine vulnere obtinendi Hispanis fame ad deditio-
 nēm adactis, qui ē superiori clade superstites magno se numero in id oppidum ad præsi-
 dium receperant. Bisinianus in ditionem abierat: Salernitanus & Meliti Comes Neapo-
 lim. Decreuerat Portocarrerius copias in aciem producere: eoque consilio milites re-
 censuit cum lethali febri importuno tempore correptus est. Vis mali augebatur in dies, vt
 medici desperarent. Ante obitum duces partium aliquot egregios Terranouam occu-
 passe cognouit, vrbem cū multis aliis oppidis classis aduentu nunciato à Gallis desertam.
 Obenignum cognito eius morbo cum copiis continuo accurrisse grauique obsidione
 premere mœnibus haud firmis salutem tuentes exigua spe nisi aliunde venirent auxilia,
 quoniam vincebantur numero, premebat inopia. Eo motus periculo Portocarrerius
 Fernando Andradio pro se substituto equitatum peditatumque mittit obfessis auxilium.
 Præfecto item maris Villamarino, vti triremes Gioiam admoueret præceptum est, quasi
 mari terraque copiæ obfessis opitulatum mitterentur; si territi ea specie aduersarii desi-
 sterent. Festinarunt nostri cognito obfessos annonæ inopiæ laborare suprema. Semenariam
 promota castra. Obenignus Terranouæ suburbii relictis ad vicinos pagos absces-
 sit. Sic Andradius soluta obsidione satis se profecisse ratus Semenariæ cum copiis substi-
 tit. Noui eo milites confluxere ac imprimis Benauidius, Antonius Leuia, Gofaluus Da-
 ualus, Hugo & Ioannes Cardonii, quisque cum sua peculiari manu operæ pretium factu-
 ri. Ex iis omnibus idoneo exercitu quamvis conflato, Melitum tamen redire destinates,
 Hugo ne pulcherrimam occasionem, quæ momento præteruolat, ignavia prætermitte-
 rent hostis delendi auctor erat. Prudentes duces oblatam opportunitatem auide arripe-
 re, neque inutili cautione certam victoriæ spem corrumpere: cuius negligentia è vesti-
 gio sera pœnitentia subsequatur. Cunctatione rem Gallicam crescere, aduentare auxilia
 vndique: nec collectitum militem, sed veterem & assuetum armis. Excusauit tamen
 Andradius prælii committendi denegatam expresse facultatem. Quod voluntate tamen
 facere recusauit, casus paulo in necessitatem vertit. Obiit interim Portocarrerius. Cor-
 pus Messanæ in æde maxima amplo funere tumulatum exaduersum Alfonsi Neapolita-
 ni Regis eo loco sepulti. Eius obitu inter duces nonnulla disceptatio extitit, quis defuncti
 in locum cæteris omnibus imperaret. In suis meritis æstimandis nimium sibi fauet ambi-
 tio mortalium. Arbitrio Proregis Siculi controuersiam finire placuit. Ille defuncti volun-
 tam secutus denuo Andradum summum ducem nominauit. Cardoniis fratrib. ea no-
 minatio molesta accidit imprimis: neque moderari linguam viri alioqui modesti, nimis
 molliter pati dolorem; exiguo vsu iuuenem præferri sibi neq; generis nobilitate præstan-
 tem, & minori multo armorum vsu, nulla gloria militari. Vicit tamen in generosis animis
 dolorem de suo Rege benemerendi voluntas, officiisq; ratio, vt cum cæteris consentirēt.
 Ardebant Hispani cupiditate cum hostibus iusto prælio configendi. Vtraque castra vi-
 cina erāt, modico dirempta interuallo. Non minus se pugnæ cupidum Obenignus osten-
 dere memor suæ dignitatis & Gallicæ gloriæ. Misso tubicine aduersarios prouocat ad cer-
 tamen. Excusauit Andradius accepti mādati memor. Metum interpretatus hostis & quo-
 niam Hispanos milites ægre ferre cognouerat stipendia non solui, in superbiā elatus Ro-
 fano & Gioia eductis copiis propriis Hispanorum statuua promouit castra; ne dubitauit
 quidem se in Semenariæ conspectum dare. Vadato flumine longius æquo per eam plani-
 ciem processit magna Hispanorum ignominia probroque. Calæcos paulo ante tumultu-
 antes quoniam stipendia nō soluebantur, breui duces placarant gemmis priuatim ac re-
 liquo cultu diuenditis, pretioq; inter milites distributo. In gallico exercitu trecenti gra-
 uis, sexcenti leuis armaturæ equites erant, mille & quingenti pedites, supra tria millia vi-
 cani numerus magis quam robur. Hispanorum copiæ competenti instructæ ordine Se-
 menariæ egressæ octingenti equites pedites ad quatuor millia exultanti hosti processe-
 rebant certa pugnandi voluntate. Detrectato Obenignus contra opitionem certamine
 gioia copias reduxit. Institere è vestigio aduersarii oppidum impugnare, aut si Gallus in
 aciem prodiret, signa conferre destinantes, certe perculsos vrgere, quoniam metus con-
 fessionē expresserāt. Leuia fuere certamina haud memorabili in alterutram partē euentu.

Irritatis tantum animis sibiq; fidentes vtriq; ad vndeclimum Kalen. Maii, qui dies Veneris fuit, quasi ex composito atque antecondicto copias in aciem produxere. Obenignus suos ad pugnam inflammabat, ad memoriam reuocata victoria quam iis locis se duce annis superioribus obtinuerant de Ferdinando Rege Neapolitano Gonsaluoque. Qui numerosum exercitum & validum iis ductoribus, milites, virtute profligasti; quantumque Gallica gens aliis nationibus praestet vigore animorum, scientiaque pugnandi, documento fuitis: an æquum videatur paucos inermes, seminudos Hispanos, neque satis inter se consentientes metuere? laudi & gloriae partæ imponere maculam? Auertat numina tantum nefas, neque patimini milites dedecus graue morte ipsa & sanguine procurandum. Is in pugna potius animus esto, qui victoribus esse debet, excelsus & magnus. Ergo in hostes impetum date memores nobilitatis vestræ, memores gloriae & nominis Gallici. Hæc Obenignus dixit. Agmina per planiciem progrediebantur. Pars vtraque auerso sole inchoare pugnam satagebat, ne eius radiis oculorum acies obtunderetur scilicet. Hispani hac mente paulo superius traiecere fluuium. Galli metum fugamque interpretati perturbatis ordinibus in pugnam inuidunt. Neque magis ex disciplina tormentis globos dispendunt nullo fructu nullo hostiū detimento, non minus fortuna Hispanis saepe in hoc bello quam ratio affuit. Hispanæ acies in hunc modum instructæ erant. Lænum cornu tenebant. Hispani pedites Italique, dextrum equites expediti, medianum aciem cataphracti. Ab his ea impressio facta est qua Gallos fere omnes infensis aiulso hastis, ex equis deturbarunt. Secundum Gallorum agmen, vbi pedites curabant, eo spectaculo territi ne tentata quidem pugna verterunt terga. Nostri fugientibus insistere usque ad Gioiæ portas, quod maior pars ex fuga receperunt. Capti pleriq; omnes Galli duces. Intra Gioiam Honoratus & Alfonsus Sanseuerini, hic patruelis ille frater Bisiniani, ditionem compulsi fecerunt. Obenigni fortuna eadem fuit. Intra Angiti arcem, quo se receperat, impugnatæ accerrime in victorum potestatem viuis venit. eius captiuitate nihil de victoria gloria aut communi Hispanorum lætitia diminutum, si hostis maxime infensus & importunus fuga euasiisset. Victoria in paucis eætate celebribus fregit gallorum animos. Brutii & magna cræcia vniuersa momento temporis ad Hispanos inclinarunt, eiusq; imperii iugum volentes inolentes suscepereunt. Nihil præterea deditis grauius imperatum.

Atagnum ad Ciriniolam prælum. CAPUT XXI.

Annonæ difficultate anxius consalui animus in diuersa & contraria trahebatur. Tribus amplius diebus iis locis sustentare non licebat: neque facultas ostendebatur aliunde rei frumentariæ. Ne eo tractu oppida ad hostes auerteret verebatur scilicet, famis malum cunctos ex æquo premens. Hostes ad pugnam elicere fore optimum visum est: unoque prælio si minus victoria certe morte ex iis difficultatibus euadere. Eo consilio Ciriniolam, seu Gerionem mauis, ducere oppidum haud satis firmum, sed multis in arce militibus præsidiariis munitum: quod caput erat à Gallicis castris sed modo passuum millibus positum. Ex eo pugnæ copiam fore suspicabatur: impugnati in oculis oppidi ignominiam Gallos non laturos. Sub discessum equitibus geminos aureos per capita distribuit, peditibus aureum dimidiatum, exiguum inopie leuamen. Sed tanta inerat pugnandi cupiditas, tantus animorum ardor, ut debita multorum mensum stipendia nemo flagitaret, nulla seditiona vox audiretur totis castris. Die primo sub Cannis clade olim Romanorum nobili vico secundum Aufidi fluminis ripam Hispani constiterunt. Aberant hostium castra tribus modo passuum millibus. Cum luce proxima instituto itinere Ciriniolam pergere porro instructa acie propter hostium propinquitatem. Fabricius Columna & Ludouicus Ferrera cum præcursoribus præcedeant. In prima acie Dieghus Mendoza curabat duobus Hispanorum peditum millibus attributis ferox. Medium agmen Dux Termenstinus ducebatur ducentis cataphractis & duabus aliis Hispaniorum peditum millibus constans. Cum Germanis cataphractis aliquanto numero, & leuis armaturæ equitibus in postrema acie substitit. Magnus Gonsaluu vim hostium, si à tergo premerent, propulsare paratus. Regio arida erat imprimis, diei aestus maximus, longius opinione iter. Militum defatigatio tanta, ut siti è cataphractis non nulli examinati perierint repente vi ardoris interclusa anima, è Germanis item non pauci Hispanisque peditibus. Cognita Galli nostrorum lassitudine angustiam alienam suam occasionem facere destinantes hærere in terga ac vero vniuerso prælio dimicare statuerunt. Eo consilio ex statu egressi quingenti grauius armature equites, leuis ad duo milia erant, quatuor millia qua Heluetii qua Vascones ex Gallia. Acies hoc ordine instructæ. Salernitanus in prima acie ducentos cataphractos ducebatur pedites bis milie. Postremum agmen Amalfitanæ tributum est: in quo equitum turma erat, mille vicani

vicani prouinciales paucissimi Vasconum numeri. Cum reliquis copiis medium aciem obtinebat Namursius inscius nimirum ad exitium festinare. Nostris peditatu superiores erant, nisi sitis & estus fatigarent. Hostium equitatus potior videbatur armis equisque validior. Ad hunc modum instructis ordinibus Galli postremum nostrorum agmen la- cessere, instare atque vrgere locis omnibus nullo ad respirandum spatio dato. Nostris cum molestia itineris & cum hostibus luctandum erat. Fessi estu paſsim sternunt corpora & infrequentia relinquunt signa. Ciriniolam ubi castra inuita nostri habebat, peruenire nisi amissis impedimentis, magna peditum clade fas non erat, multis toto iti- nere ad terram proiectis praesiti æstuque. In iis angustiis Gonsaluus nihil perturbatus, ingens animus, equitibus mandat ut equorum clunibus pedites exciperent, qui maxime laborarent, exemplo ipse excitat alios, potum quin etiam deficientibus porrigit propria nonnunquam manu. Dicis constantia cæteri animati ad castrorum tandem locum per- uenere. Nulla eatenus insignis accepta clades. Dies in noctem præcipitabat vix duabus horis reliquis ad solis occasum. Cum se Gallicus equitatus prope ostendit, integris for- midabilis, quid estu, siti, labore debilitatis? Ex metu audacia orta est. Intra munimenta acies momento instructa certa pugnandi voluntate. Ad circumfusas legiones priusquā pugnæ signum daretur, Gonsaluus hac sententia orationem habuit. Militaris gloria, viri nobiles, ex victis paratur hostibus. Victoria sine labore & periculo non contingat. Mo- lestiis multis & magnis assuetos an mutare æquum sit? Suscepti anteal laboris & miseriae fructus uberrimus ostentatur. Adeste milites animis, omnis facessat ignavia. Causæ, quam tuemur, æquitate, si maxime viribus hostes vincerent, de victoria tamen non diffi- derem. Nunc rebus omnibus præstatis numero, scientia pugnandi, animorum vigore, vincendi consuerudine. Galli quid aliud quam præda victoribus? & tamen quod robo- ris sit, Itali nobiscum palam aut voto stant. Aude de poscebatis hostem: an pugnandi necessitudine iniecta cessatis, exhorretis certamen? Tantam superi ignominiam auerti- te. Hic dies, si viri estis, diuturnis molestiis finem afferet. In dextris opes, gloriam, supe-rioris temporis fructum, instantis lætitiam, futuri felicitatem portatis. His dictis pugnæ signum datur. Namursius propter diei tempus in proximam lucem sustentare voluit. Iuo Alegrius ut continuo pugnaretur euicit ferox rapidusque in consiliis ac lingua im- modicus. Blanditur sibi humanus animus saepe concepta temerespe. Victor ea import- tunitate Namursius, Huc, inquit, arma puer. Quam vereor ne hic noster incitator ma- iorem in equi pedibus spem, quam in dextra ponat. Præsagium vanum non fuit. Trede- cim ab utraque parte tormenta maiora erat. Displosa prius Gallica maiorifragore quam commodo Hispanica late stragem quippe ex superiori loco librata in Gallorum agmine fecerunt. Verum ne maior esset clades Itali militis errore factum est: qui victos Hispanos imprudentia ratus pulueris sulphurei cados duobus curribus gestatos raptim incendit. Magna militum turbatio fuit. Latissime diffusa flamma plerique putarunt Hispanorum res esse perditas. In eo discrimine Gonsaluus præsenti animo hilari facie ad circumstan- tes. Bono, inquit, estote animo, datur celo clara victoria, præclarum flamma omen quasi incensis ad eam celebrandam facibus. Namursius clade incitatus, quam nostra tormenta intulerat, sine mora in aduersarios incurrit, cum octingentis cataphractis. Hispanorum pedites in fronte erant dispositi, grauis armatura equites ab utroque latere, obiecta fossa. Quæ res Gallos equites fecellit non satis discussio tormentarii pulueris fumo, qui velut atra nebula celum absconderat, coegitque nullo operæ pretio retro se in gyrum referre. Nullum in conflictu leue peccatum est. Exiguæ saepe offendentes reliqua in præcepis tra- hant. Receptus multis equitibus exitium attulit. Germani milites ex propinquo plum- beis eiaculatis igne globis multos è Gallico equitatu prostrarunt ipsumq; adeo sumnum ducem. Sequebantur cataphractis proximi Heluetii & Vascones in hos è munimentis egressi Hispani pedites eum impetum tulerunt: cui pares hostes non fuerunt, cœsi fusi- que paſsim. Salernitanus & Amalfitanus, qui eo die in postrema acie curabant, promo- uerunt agmina si turbatis suis præsidio essent. Occurrit magnus Gonsaluus qua vir- tute quoq; vigore erat solitus. Singuli in sui ducis oculis strenue pugnabat, ne ignauis q- dem cessandi locus erat. Omnibus partibus sternebatur Gallicæ copiæ cede promiscua, multum locis omnibus effunditur sanguinis. Hispano vrgente breui fusa hostium agmi- na hærent in terga victores, insequunturque victos cum magna fugientium strage usq; ad castra sex millibus dissipata. Quæ & ipsa momento temporis capta sunt cum epulis ad cenam paratis opipare, quibus Hispani opus habebant, continuo eius diei labore fracti, & annonæ ante penuria pressi. Copiosa spolia fuere aurum, argentum, multaque pretiosa vestis, scyphi sigillati, annuli gemmati, baccata monilia muliebrem cultū æmulatia.

Italiæ opes rapinis longo tempore accumulatæ. Cædes minor quam pro victoria. nox & vicinæ syluae effugiūm perculsis præstiterunt. Pugna hæc nobilissima ad quartum kalendas Maii commissa est die Veneris. Cecidit inter alios in primo incursu Namursius ipse dux; quem Gonsaluuus Barlettæ ad D. Francisci insigni funere sepeliri curauit, honos extinto debitus leue superstitibus solamen. Cecidere item Morconis Comes, Chandiusque Heluetiis præfectus cum omnibus fere eius gentis centurionibus. Salernitanus Amalfitanusque & Lochiti Marchio acceptis in pugna vulneribus euasere tamen fuga: Alegrius quoque, vti Namursius erat vaticinatus. Metus pudore potentior. Gallica tormenta capta omnia & pleraque militaria signa. Quieuerunt ea nocte victores læti exultantesque. Die proximo Ciriniola portas aperuit præsidio se dedente ad victoris arbitrium. Idem trecenti milites fecerunt, qui ex fuga eius oppidi arcem tenuerant. Canusium item infulas & velamenta supplicum prætendit insignibus distincta Hispanicis. Præcipuam in ea pugna laudem omnium confessione tulerunt Hispani pedites; nam Germani præter grandinem globorum in cataphractos Gallos intio eiaculatam, in nullo deinde vñ fuerunt, alienæ pugnæ spectatores otiosi. Ante omnes ex Italib[us] Dux Termenstinus excelluit. Ex Hispanis Dieghus Mendoza, de quo magnus Gonsaluuus, eodie, inquit, operatum vt suorum auorum ex sanguine. Cæsis sepultura data, inuentum ē Gallorum copiis tria millia & trecentos cecidisse nihilominus. Ex Hispanis in pugna nouem tantum desideratos, neque ullum magni nominis. Plures in itinere sitis extinxit. Mille quin etiam & quingenti ad aquā in puteis quibusdam forte repertam sine mente fusi ac sine vñlo sensu iacentes ad ordines vt redirent, adduci nulla arte potuerunt.

Quo ambiguo magis euentu pugnantibus inter se vtrisque copiis, lætior victoria insigniorque exitit, victoribus fructus & gloria maior.

Libri vigesimi septimi Finis.

IO. MARIANÆ HISPANI^Æ 38 E SOCIETATE IESV, HISTORIÆ DE REBUS HISPANIÆ,

L I B E R XXVIII.

Vrbs Neapolis Hispano deditur. CAPUT I.



ARTA ad Ciriniolam victoria magna rerum immutatio facta est: ac fere vniuersa prouincia ad victores inclinavit. Magnus Gonsaluuus neq; victoria socors neq; insolens factus haudquam remittere animum gnarus rebus secundis securitatem succedere: ex ea ruinam sæpe infelicitatemque. Prospera difficilius quam aduersa tolerari. Ventis à puppi flantibus vigilanti gubernatore opus esse, neq; laborem curamq; remitteti, priusquam confecta nauigatione in optatu portum nauim incolumem inferat. Eo amplius excitandam diligentiam ac fortunę in standum iudicare, quod die postero partæ ad Semenariā victorię capti⁹; Obenigni nuncium accepit, serius quidem aliquanto quam fuisset opus, quoniam se Ferdinandus Andradius Gonsalui imperio immunem exemtumq; ferebat, quippe Portocarrerii successor. Quod dignitatis memor, osor insolentia Gonsaluuus tulit ægerrime: atq; ita vt per litteras redditus in Hispaniā peteret à Rege facultatem. Sibi Andradium potestate exæquari non possum. imperij conditionem natura incomunicabilem. Breui tamē venere mandata Andradio vt desisteret, Gonsaluo vti eius opera ad reliquam prouinciam subigendam bellum conficiendum vteretur: alæ cataphractorum præficeret. Sic intempestiuæ contentioni finis est impositus, & ad belli tamē reliquias ex sententia finiendas geminę victorię fama multū contulit: ex qua sæpe bellorum successus pendent. Proceres quoq; vt quisque gratia &

auto-

auctoritate valebat plurimum in varias partes dimissi Gallico studio rebelles docuerunt
 temeritatem fore exitialem, suo quemque furere malo, inanem sine viribus fore contumaciam. Ita breui Capitinata & Lucania ferme vniuersa sub imperium Hispanicum adiuncte sunt. Multa quinetiam oppida & proceres in Salernitano principatu in partes palam transierunt eadem fide consecantes Hispanum, qua fauerant Gallos. Eorum, qui ex praetorio evaserunt fuga, plerique in Campaniam concessere, Caietæ munitissime vrbis praesidio sustentare destinantes, dum auxilia ex Gallia aduenirent, & cetera bello instaurando necessaria, de reliquis vrbibus diffisi. Insecutus iisdem vestigiis cum numero equitum Petrus Pacius, effecit, ut Capua non deuia sublati Hispanicis vexillis victoris fortuna se-
 queretur, & vt esset transitionis pretium, eoru ciuiu parte ad reliquiam copiam adiuncta Galli cataphracti quinquaginta, quos nancisci potuerunt priusquam Caietam tenerent, obtruncati omnes sunt. Lochiti Marchio cum primum domini appulit, redacta quantum potuit ex refamiliari pecunia, curatisque vulneribus in pugna acceptis cum uxore Romanam abiit ad auunculum Senensem Cardinalem in exilio toleraturus, dum melior spes affulgeret. Alii se proceres in varias vrbes receperunt: ac nominatim Alegrius & Salernitanus Amalfi initio tenuerunt: verum oppidi munitione parum confisi, inde die proximo Neapolim festinarunt. Montelæ Comes, per cuius ditionem iter erat, victoribus fidem approbare cupiens eentes male multauit ex quingentis equitibus, quos secum ducebant, ducentis amplius qua causis qua captis. Ludouicus Arsius ex fuga
 10 Venusiam petuit oppidi arce confisus sustentare posse, que erat firmissima. Locus propinquus. Ita cum copiis Gonsaluius actutum accurrit facturus operæ pretium priusquam du-
 cibus auctoritas militi fiducia rediret metu sedato. Ad Leonesam posuit castra oppidum Venusiae & Amalfi finitimum. cum Amalfitano principe actum de ditione. Conuenit tandem, ut Amalfi viatori traderet, in alio quoq; principatus oppido sustentare liberum esset, dum à Rege Catholico in gratiam recipere tur, iis legib; quas inter se sanxerant, superiores offensas melioribus officiis compensaturus. Sic ille pollicebatur, tametsi suspicio erat pro ingenii varietate, quorsum res Galicæ euaderet, expectare etiam velle,
 20 ex euentu consilium sumere, quippe Gallicis studiis inueteratus. Fabricius Columna, populiisque & Montorii Comites in Aprutium ire iussi sunt amicæ factioni praesidium, terror
 30 aduersariis, omnibus auctores ut Galicæ amicitiae præferrent Hispаниam. Villamarino maris praefecto cum triremibus aliisque nauibus, quascumque possent contrahere, Neapolim versus nauigare mandatum est, quo Gonsaluius festinare decreuerat. Ita consilio ipsum regni caput petendi prudenter suscepit, Beneuentum cum copiis abiit, inde Gaudelum. Ex eo oppido litteras ad Neapolitanos dedit insigni molestia humanitateque. Omnia benignitatis & comitatis à se officia expectarent. Modo per ipsos liceret, daturum operam ut omnis militaris vis, omnis insolentia ab eorum finibus amoueretur. Incruentam im-
 munemque à malis nobilissimam vrbem conseruare, id vero votorum summam esse. Ma-
 teræ Comes & senatus princeps vrbem egressi de fædere agere cœperunt. Eoru diligentia conscriptæ honestæ conditiones, atque vrbis dedita est magno militum dolore, qui præ-
 40 dam ex capta maluissent. Interea Venetiæ regulus vrbis in Armoricens sitæ idem minor Labreti filius, cognita Galbrum clade Valentini Ducis, cui aduersus Vrsinos in agro Romano militabat, consensi, cum ducentis equitibus, peditum aliquanto numero Neapolim abiit rebus inclinati subsidio futurus, Gallorum copiis adiunctus quæ ex Apulia, Brutiis Aprutioque, confluentibus gentis reliquis ad Lirim amnem statuua habebant, neque numero valide neque animis. Iis ne se commouerent, quadrangenti à Gonsaluo grauis armaturæ equites Capuam ad Sueslam obiecti erant. Nunc reliquias copias eo mittere decretum erat, mille modo retentis militibus, quem numerum arcibus Neapolitanis impugnandis idoneum fore existimabat. Restitere Hispaniæ in spem erecti Neapolis diripiendæ si quæ se occasio daret. Facto species prætentâ Gonsaluum pollicitum Neapoli debita stipendia daturum: ut se amplius ludibrio haberet, non passuros. Motus militaris instar torrentis inflati est, obuia subuertit. Commotæ multitudini tantisper cedendum iudicans consaluius Hispanos pedites secum Neapolimducere commutato consilio edixit, equitibus modo & germanis cohortibus iussum Sueslam precedere propediem iisdem vestigiis secuturum. Pacato ad hunc modum militari tumultu Neapolim est inuestitus ad septimum decimum kalendas Iunii triumphi persimili specie. Praeibant Hispani milites sublati Hispaniæ vexillis feroce in suas turmas distributi visendo ordine, vestium pretio cultuque certantes. Proceres, vrbanaque nobilitas processit obuiam læto cultu vniuersi. Populus per agros & vias cum filiis & coniugibus effusus plausu & vocibus faustis personare. Sacerdotes cum insulis intrantem ac diu ipsi prope exciti sedibus suis exce-

perunt. Fortissimi ducis habitum vultumque cuncti cum admiratione notare: vi-
etos fusosque toties hostes sine fine prædicare: viætorias præsentes cù superioribus com-
parare Ferdinando & Friderico Neapolitanis Regibus eo adiutore & ductore partis: de
cœlo lapsum videri maiorem conditione mortali. Pompa per plateas ducta, quibus Re-
ges procedere moris erat cum regium insigne infulasque susciperet, neque minori ap-
paratu plausuq;. Parietes peristromata vestiebant auro purpuraque fulgentia, pauimen-
tum floribus stratum, odorum vbique suauitas: vrbe vniuersa gratulatio festaque letitiae.
Ii etiam, qui Gallicis partibus studuerant præ aliis, vultu, qui maxime simulationi seruit,
ad letitiam composito, obsequii promptitudine cæteros superare certabant, nouis offi-
ciis offendicis priores inducere. Vrbs Neapolis, vnde vniuerso regno nomen, inter præci-
puas Italiæ ciuitates numeratur copiis, amplitudine, numero ciuium & cultu, amœnitatis
maritimæ terrestrisq; cōmodis. Ad inferi maris littus sita in montis latere septentrio-
nes inter & ortum sensim assurgentis. Plateæ insigni longitudine ad lineam directæ ma-
gnificis ædificiis regiarum adinstar distinctæ. prouinciae proceres magno numero in ea
vrbe affueti maiorem anni partem traducere, certatim magnifica palatia construunt
strukturæ genere superbo præcipua Salernitani Principis Grauinæque ducis. Sic factum
vt nulla in vrbe plures proceres Comites Marchiones ducesque quam Neapoli nume-
rentur. Cæli temperies inuitat, fertilissimus ager late spatiantibus campis serendis frugi-
bus & vineis & alendo pecori bonus, affluensque rerum omnium copia, horti irrigui
præcipua gratia, quorum ex omni parte magnus numerus est in quincuncem dispositis
arboribus, herbarumque omne genus consitis areis viridantes insigni amœnitate. Vn-
iuersa ciuitas in quinque regiones tribuitur publicæ in singulis domus, quas sedes vocant
conuentibus ciuium seruientes de republica statis temporibus consultantium deq; an-
nonæ copia. Templa, monasteria, Xenodochia numero sa præcipuaq; tota vrbe visuntur
magnifico singula structuræ genere: in quibus quod ab Annuntiata Virgine nomen
præfert pauperibus destinata domus maxime celebratur, quippe indies corrogata stipe
supra quinquaginta millia aureorum expensa fert quotannis. Menia firma cingunt vr-
bem distinctæ ex ordine turribus aspectu minacia, quatuorque nihilominus munita ar-
cibus. In quibus principem locum obtinet, quod vulgo Castellum nouum vocatur,
latum spatiis, munitum operibus prope molem in mare magnis cæmentis iactam portus;
adinstar. Ad septentriones Porta Capuana posita est olim firmissima arx, nunc regis
iudiciis & tribunalibus designata sedes. Castellum ab Ovo rupi est impositū angustum
quidem spatiis sed mari omni ex parte circumfluo inacessum. Postremo quæ à sancto
Anhelmo nomen habet arx cæteris eminet, nouis hodie operibus munita præcipua ele-
gantia. Ex his arcibus duæ in Gallarum potestate manebant dedita quamvis vrbe Ca-
stella tum Nouum tum ab Otto dictum. Et hoc quidem natura loci munitum à paucis
militibus tenebatur, Castellum Nouum quingenti Galli nihilominus tuebantur: Gon-
saluus peracta pompa continuo adiuncto Ioanne Clauerio aliisque nobilibus arcium
earum situm cōsideraturus domo processit, qua parte admoueri opera & impugnari pos-
ſent. Neque mora Castello Nouo vis admota, tormentorum iactibus quassati muri: actis 40
cuniculis subruti. Propugnabant obſeffi pro extrema spe strenue dimicantes ex omni
Gallia lecta pubes. Cum classe Villamarinus septimo die post Gonsaluum ad eā vrbeam
appulsi, in ancoris stetit commeatum ne ad obſeffos inferretur prohibere contendens.
Inter hęc Romę Pontifex pridie kalendas Iunii nouis Cardinalibus senatum suppleuit.
Atq; è nouem quos vna creatione donauit purpura, quinq; omnino Valentini homines
erant, pro virtutibus cōmunis patria. Ab Hispanis obſeffi intra arces Galli premebantur
mari terraq;: ac post varios incursus vi tandem capta arx atq; à militibus direpta est pri-
die Idus Iunii. Ioannes Pelagius Berrius ciuis Giennensis idem è familia Gonsalui primus
irruptus id vero proprius: tametsi multi deinde eam sibi laudem arrogarunt, torpor quidā
aduersarios occupauit ni supremo conatu irrumpentibus resisterent. Impugnatæ arcis
præcipua laus penes duos duces stetit. Petrum Nauarrū agendi ex arce cuniculos dexte-
ritate mirabili, & Numium Ocampum cui nauatæ operæ merces fuit captæ arcis præfe-
ctura. ne alii quidem sua laude præmiis fraudati. Inter alios vincitos in ea arce repertus
est Hugo Rugerius Pallasius Comes Regi Catholico & Ioanni eius patri supra quadra-
ginta annos rebellis infensusq;. Is in Hispaniam missus Sedabi in agro Valentino legi
maiestatis vinculorum & vitæ eundem finem habuit. Gallicæ & Genuenses naues Caie-
ta opitulatum missæ fuerant obſeffis Neapoli arcibus serum rebus perditis auxilium: ta-
metsi obsidio supra unum & viginti dies tetueraſt. Maior terror à Gallica classe instabat,
quinq; triremes, sex onerarias, minora nauigia multo plura aduentare fama erat, in vin-
dictam

dictam ardenti studio, quando tueri arces integrum non fuerat. Villamarinus ut par es-
set tanto apparatu veritus in AEnarię portum suam intulit classem. Ea obiecta munitio-
ne hostilis classis impetum elusit ad impugnandum festinantis. In quo Vasti Marchionis
in ea insula usque dum morantis fides & virtus enituit una maxime, tum classe tum v-
niuersa insula egregie defensa. Qui castellum supererat quod dum caperetur Gonsal-
uo expectare longum erat. Ergo ea cura Petro Nauarro & Numio Ocampo demanda-
ta ex urbe discessit. Illi in proximo littore tormentis dispositis, cymbis arcis sticcedunt.
Coniectos superius ignes & lapides ab obessis coria, quib. tegebantur cymbæ, respue-
bant, tormentorum usum propinquitas ademerat. Vestibus perforata rupe & sulphu-
rei pulueris cadiis iniecto igne euersa turris est, tormentis è terra maior præsidii pars cæ-
sa. Viginti, qui supererant, vnam salutem pacti dedentium arces soleñnia verba nuncu-
parunt. Capte arcis custodia Lupo Arriatano concredita est impigro viro in reliqua vi-
ta, sed & in ea obsidione industriæ & virtutis notæ. Sic urbs Neapolis vniuersa nulla
eius parte à Gallis retenta in Hispanorum potestatem venit magna in presenti letitia,
maiori in futurum spe. A Fabricio quoque Columna septingentorum militum ope,
quos Roma Franciscus Rogius subsidio miserat, Aquila urbs vi captâ est in Pelignis A-
prutii caput atque eo exemplo metuque reliqua prouincia mox victoribus cessit. Fraca-
sus Sanseuerinus & Hieronymus Goliosius Andegauensium in ciuitate princeps euase-
runt in Pontificiæ ditionis proximos fines dilapsi fuga felici, quippe hostis aduersus peri-
cula ferox vigiliis parum erat intentus.

20

Caietæ obſidio. CAPVT II.

Discessit Neapoli Gonsaluus ad quartum decimum kalendas Iulii Germani fanum
versus, Gallis obſistere cogitans ultra Lirim statua habentibus neque magna neq;
nulla ſpe pristinæ fortunæ: ſimul oppida quedam eo tructu subigere cupiebat Gallica-
rum profeccio partium. Atellam ſeu Auersam ex itinere Capuamque ciuium rogatu
adit. Omnibus officiis venientem colere Hispano nomini quantopere eſſent addicti
oſtendere ciues cupiebant ſcilicet ex animo an temporis ſeruientes. Sed maiora tamen,
quam erant polliciti præſtiterunt ſuceptæ benevolentiae argumenta. Gatsias Paredius
& Christophorus Zamudius eximii copiarum ductores cum mille & quingentis militi-
bus præmiffi ſancti Germani oppidum arcemque impugnare pergebant. Aduentu Gon-
ſaluui incolæ ditionem fecere. Cassinatem arcem locis finitimam obtinens Petrus Me-
diceus cum valida Gallorum manu obſeffis opitulari ausus nō eſt. quin desperata defen-
ſione, ſi eo Hispani ire pergerent raptim profeccus tuendi oppidi & monasterii celeber-
rimi fama curam ducentis militibus reliquit. Illi Hispanis Gonsaluoque vii veriti in-
tra dies duodecim eam arcem tradituros, niſi à Gallis idonea eo ſpatio auxilia venirent
ſunt polliciti longum erat tandiu affidere obſeffis. Ita illi violata pactione tantisper in
Gallica fide perſtitere. Alia parte à Magno Gonsaluo Roca guillelma, & Traiectum Liri
præterfluente oppidum, aliaque circum arces ad ditionem ſubiunctæ ſunt: præterea
Castellonium & Mola Caietæ vicina oppida, quorum alterum Ciceronis Formianum
fuiffe olim eruditū perſuadent. Caieta ſupererat & ſua munitione urbs & militum nu-
mero expugnatu plane diſſicilis. Sed nihil eſt virtuti conſtantieque inacceſſum. Ad
eam Gonsaluuus iſpis kalendis Iulii copias admouit poſitis iuxta caſtris impugnaturus ſci-
licet. Ea urbs circulo ferme vniuersa alluitur mari, eoque firmiſſima uno tantum à terra
aditu angusto atq; arduo relīcto. Mons Orlatidus imminet urbanis edificiis arduus item
ascensu & gallicis in eo tormentis conſtitutis ignes obſidentibus exitiales euomebat,
propius ut accedēre ſine periculo non licet. Quatuor millia & quingenti intus milites
erant: in hoc numero equites mille quingenti qui ex omnibus partibus ad ſuſtentan-
dum extremā ſpem eo confluxerant, ſi qua ſe via daſet recuperandi opes amiffas. Quod
principium erat, maris imperiū tenebāt Hispanica clasſe gallicę impari. Sic neq; auxiliis ob-
ſeffi neq; cōmeatu prohiberi poterant. Villamarinus quidē ad ea littora cū triremib. ac-
currit, ſi exiſteret occasio rei bene gerēdæ, ſed virib. impar parū profecit. Gonsaluuus bellis-
ca maiora tormenta, que Neapoli reliquerat, deuchi iuſſit. lis Orlandi montem impu-
gnare votum erat, vnde in ſujecta noſtrorum caſtra, ex propinquo apertoque diſplo-
debantur globi cum multorum ſæpe ſtrage miseraſili. Periit in eo numero Hugo
Cardonius dux impiger, neque nobilitate maior quam ſcientia pugnandi. Anno-
nae anguſtia obſeffos premebat, farinæ maxima nullis molis frumentariis. Ad
octauum Idus Auguſti commeatus affatim mille & quingentos auxiliares milites duæ

onerariæ, rostratæ maiores quatuor intulerunt, præterea triremes aliquot quibus Salticius Marchio vchebatur in locum Namurii summus copiarum à Gallo dux designatus. Ingens obfessis gaudium, neque leuis spes posse rem Gallicam iis opibus restitui. Ita displosis eodem die ex Orlando monte tormentis Rabastenus Germanorum tribunus globo haudquaquam in spem tantæ rei missò periit. Nouo incommodo inductus Gonsaluuus die postero copias Castelloniu[m] reduxit amæno salubrique celo oppidum, atque extra globi iactum. Multis diebus consumptis nullum tamen operæ pretium extitit. neque enim vrbe inuadere licebat, quamuis magna muri parte ab Hispanicis tormentis strata: quoniam obfessi diruta magna diligentia munierant. Neque præsidarii erumpabant ad conferendum manus. Quo die tamen nostræ copiæ reducebantur Castellonium duo millia & quingenti milites portis egressi postremum discedentium agmen carpere, vbi Germani erant. Cessere illi sensim, astu Gallos ex angustis locis in apertum pellicere cupientes. In delulos fraude exultantesque quadrincenti Hispani repente conuersi eo impetu, quem illi non tulerunt, tergis fugientium hæsere, neque cesserunt priusquam ad Caietæ portas ventum est. ducentos è Gallorum numero in fuga cœsos Hispani viatores in redditu nullo prohibente spoliarunt armis indumentisque. Caietæ obsidio ducebatur: simul vtraque gens in bellicos apparatus vndique conquirendos pro virili districta erat. Ac præsertim à Rege Gallo Caietanis auxilia decreta Tramullio duce, sexcenti cataphracti equites, Heluetii ad octo millia, præter Gallorum millia quatuor mari ad varios Liguriæ & Hetruriæ portus appulsa. Parma vrbs designata, quo copiæ omnes conuenirent. Ferrariæ dux, Mantuanus Marchio, aliique Itali proceres præsto fuerunt in studium rei Gallicæ subleuandæ vehementer inflammati. Regii præterea in Gallia Scrinii magister Ambianensisque Prefectus, qui prælio ad Cirinicolam facto interfuit Caieta Romam profecti expeditionem vrgere non cessabant belli duces ut festinarent vrgentes. Mantuano persuadere plerique nitebantur, vt Tramullio socius eius belli curam susciperet. Abnuere is initio Laurentii Suarii diligentia & auctoritate cautior: qui Mantuaio per litteras & Venetis assiduus, vt Hispanorum potius partes vtrique in eo discrimine palam amplecterentur; auctor erat incitatorque priuatis id rationibus salutare fore vniuersæ Italij commodum si pro virili parte Gallicos spiritus frænarent. Cunctabantur Veneti, fluctuabat Mantuanus. Cognito tamen Tramullium valetudine impediri ne ulterius progrederetur, quasi riuali sublatto regi Gallo obsequium detulit. E contrario à Rege Catholico sex triremes, & in iis aliquanta pecunia in stipendum missæ duce eius classis raymundo Cardonio. Sed neque iis quamuis triremibus ad alias Hispnicas adiunctis vniuersa classis Gallicæ par erat triginta maiora minoraque nauigia nihilominus numeranti. Gonsaluuus item omni ope Vrsinos romæ factiosam familiam viris & armis validam in partes trahere satagebat. Conatus inanis non fuit. Gentis princeps Pitilianus Comes ultro offerebat, honestis modo conditionibus transitione facta cum quadrincentis equitibus in castra venturum. Conuenit tandem pactione facta ut Bartholomæus Liuianus Vrsinorum dux esset ardenti ingenio vir inquieto tamen, ipsaque fortunæ inter aduersa & prospera consequenti tempore in bellis Italij, quibus interfuit alterantis varietate mirabilis, manu quam consilio melior. Ut Cæsar in Insubres irrueret Gallorum audacia frænanda agebatur serio in bellicos sumptus ingenti oblata pecunia scilicet. Simul à Pontifice contendebant rei Hispanicæ patrocinium susciperet eo tempore ad neutros aperte inclinante, memoria personæ quam gerebat, an ex euentu consilium sumpturus. Valentini ingenium id erat, vt haud tuto eius constantiæ fideretur in omnes se partes vertere soliti, vnde melior affulgeret spes nulla famæ nulla equitatis cura. Verum has omnes molitiones Pontificis mors inopina disturbauit ad quintum decimum kalendas Septembbris subsecuta noxio veneno corruptis vitalibus; eo quod Valentinus in hortis apud Hadrianum Cornetum Cardinalem cum Pontifice cænaturus diluerat in exitium quorundam Cardinalium quos ad cænam inuitarat. Deus scelerum vindicta quam parabat fraudem, in eius caput & exitium conuertit. Mutatis per imprudentiam à ministro lagenis epotum aude propter æstus graues vinum medicatum, atque venis intimis diffusum Pontificem & Hadrianum Cardinalem propter ætatem extinxit quamvis omnibus frustra tentatis remedis. Valentinus felicior iuuētæ vigore adiutus & opportunis medicamentis euasit, recens exenterat mulæ ultero inclusum calor imprimis iuuisse fertur. Morbus tamen ex eo diuturnus importunusque rationes eius vehementer afflitit, euertit male fundatas spes. Is exitus fuit Alexandri Pontificis paulo ante vniuersum orbem terrentis, an verius morum prauitatem & vita licentia offendentis tutelam

cære.

ceremonia tum gesserat annis vndecim. Multa de eius vita tum fama quæ nulli parcat, tum de scripto proditæ sunt, vero an ex inuidia haud facile dixerim, omnia conficta temere fuisse non arbitror. Pontificis certe obitu multi ad nouas spes erecti, variae molitiones extitere, in quibus maiorem fiduciam adipiscendi honoris supremi quam in virtutibus eo loco idoneis reposuere quidam. Sic erant tempora moresque. Iisdem diebus in Heduis ad Matisconem Fridericus Rex cum Gallo est collocutus. Benigne accepto restitutionis iniecta est spes. Eo maior quod à Rege Catholico eadem pacis facienda via tentabatur: verba pulchra rebus ad extremum vacua, collusio visa, & uterque principis præuaricator. Sic miseris ubique deluditur. Friderici à commentariis Actius Syncerius Sanazarius insignis vates fuit exilii indiuiduus comes. Hic & Iouianus Pontanus superioribus Regibus Neapolitanis item à secretis multa in Alexandrum Pontificem fortassis supra verum effudere certe stomachi plena conuitia. Abs Rege Gallo Sanazarii ingenio & eruditioni multi honores habiti sunt: eoque agente exuli in patriam restituto bona post malum redditia sunt satis ampla, ne datam hero fidem falleret relicta, eo indignior calamitate maloque.

Salsulæ arx a Gallis obfessa.

CAPUT III.

20 Ellici terrores ex Gallia ostentati, atroxque tempestas imminere visa est. Copiis ex vniuerso Gallico imperio Narbone in confluentib. finitimi Ruscinonenses ne vexarentur belli flamma eo tractu excitata scilicet verebantur nostri. Ea cura Rex Catholicanus Barcino nem accessit, ex propinquo, quæ bello defendendo necessaria erant comparatum. Simul ingenti delectu ex vniuerso imperio colligebat copias. Fridericus Albanus dux iis limitibus cum potestate præfectus. Non deerant qui consulerent, ut vltro Gallicis finibus illato bello hostiles conatus occuparet. ad tuendam nominis existimationem id maxime pertinere, si audaciæ & virium tantum suppetere crederetur, ut hostes vltro laceßeret. De Vasconibus non minor quam antea cura erat, iis Regibus nomini Gallico vehementer addictis, atque ita ut Regis eius minor frater Venetiæ in 30 Armoricis regulus ad Neapolim Gallicas partes palam sequeretur, Lubretum vtriusque patrem Aquitaniæ præficerent ad Hispaniæ nimirum limites ea parte inuadendos idoneum opibus & auctoritate. Ad hæc Lusse regulus ex Gallia in Ansi vallem Aragoniæ ditionis partem irruempere parabat: atque in ea Virduni arcem occupare: irrita molitio nisi per Vasconum fines Roncalensesque adeo daretur transitus. His suspicionibus detergendas ii Reges intenti Magdalenam filiam quasi fidei ob sidem in aula Isabellæ Reginæ educandam dederant, vti est superius indicatum. Minoris iam pretii id pignus erat prole mascula nuper iis Regibus nata in spem paterni regni, cui Henrico nomen fuit, vita molestiis obnoxia, ac ne longæua quidem. Isabella 40 Regina de bello sollicita Madriti, vbi morabatur, equitum Magistro, ducique Anagari mandauit ad ipsorum subditos propriosque milites adiunctis quingentis equitibus quos ipsa misit, ad Vasconum fines accederent. Ioannes item ribera ei limiti à superiori tempore præfectus nihil de sua comparatione omittere, certus ex Gallia imminere Hispaniæ finibus tempestatem. Vanæ superstitiones non fuerunt. Gallis enim insanè delectu omnibus regni amplissimi viribus contractis in Ruscinonenses irruempere decreuit ferox oppidis, agris, hominibus vastitatè parans, Hispanos haud pares futuros ratu validis copiis in quib. viginti millia milites numerabatur, quæ tyrones, quæ veterani, præcipuum robur decem peditum millia, mille equites, numerus alii ad terrorem comparatus. Multi proctores aderant genere & factis nobilissimi. Militaris imperii ac totius expeditionis summa penes Britannia Marescalcum erat, qui Latine Castorum metator dicitur: Collegetis iis copiis Augusti fine ad Palmam agri Ruscinonensis pagum castra promouit. Eo in loco aliquot diebus consumptis dum vires omnes & impedimenta conueniunt ad Salsulas arcem progressi sunt per montes pedites, equites per plana, locis idoneis ex interuallo præsidia toto itinere relicta, ne commeatut ex Gallia facultas ab Hispano interciperetur. Sabbatho ad sextum decimum kalendas Octobris ad Salsulas munierunt castra eam arcem impugnandi certa voluntate. Albanus Perpinianum vicinum municipium peruererat mille expeditos, quingenitos grauis armaturæ equites, pedites ad sex millia sub signis trahens. Quantulæ vires ex erant cū Gallicis cōparatae? Albani tamen aduentu Sanctius Castella Ruscinonensi linati

antea præfectus Salsulas est ingressus obſidionis fortunam cum cæteris subire paratus. Egressi Hispani milites ducis iuſſu ſunt hostium caſtra ſpeculatum, & ſi qua ſe daret occaſio pugnandi voluntate. Cum rōbore exercitus dux ipſe Perpiniano relictā ſupra Salsulas ſupraque Galliea caſtra ad Ribas altas conſtituit ab hostium inciſu tutius locorum asperitate acceſſum prohibente & in omnem occaſionem intentus aut inuadendi hostes, aut obſeffos ſubleuandi. Quin Gallos ad pugiam prouocare non eſt veritus miſſo feſciali. audax facinus in ea militum paucitatē, niſi loci, in quo erat munitio animos feciſſet, & ab iniuria tutum preſtaret. Quo tempore Galli ad Salsulas caſtra propius promouerunt aggere & fossa circundata in apparatus eius arcis impugnande inuadentes, Romæ Cardinales intra conclave more inſtituto clauſi de ſufficiendo in Alexandri locum Pontifice diſceptabant. Multi hoñorem expetebant, maiore in ambitu ſpem q̄ in vita probitate & modeſtia reponentes. Pr̄ cæteris Rhotomagēſis Cardinalis ſe oſtentabat, Gallici exercitus fauore fretus Romanū contendentis: opeque Aragonii & Ascanii Cardinalium, quos ſecum ex Gallia adduxerat ambitionis adiutores ſcilicet preclaros. Reſiſtebat Iulianus Ruuereus Cardinalis alioqui Gallico nomini ad inſaniam addictus, ſed in Pontificatus petiſione neminem præferri ſibi patiens. Bernardinum profeſto Caruaialium Magnus Gonsaluius ſubleuabat parta de gallis victoria multisque ex eo adiunctis amicis validus in quamcunque ſe partem dediſſet: quo studio ut Ioannes Columna Cardinalis ex Sicilia, vbi Alexandri Pontificis metu in familiam graſſantis ſe eatenus tenuerat, ad comitia festinaret gratia & auctoritate & ope effecit. Simul Romanū cum militari manu ē caſtris Proſperum Columnam & Dieghum Mendozam di-
misit. Facto species prætentā ne viſ afferretur Patribus aliqua gallorum aduentu: unde noui motus exiſterent maioraque mala. Importunis contentionibus trahebatur tempus: magnique erant comitiorum æſtus. Nihil tamen tres candidati ſua diligētia profecerunt, Neapolitanus quidem Cardinalis ſpe ambitione tribus ſed ex interuallo proximus. Decretum à Patribus conſensu ante electionem, ut quicunque confeſſis ſuffragiis Pontifex renunciaretur, intra biennium proximum Episcopos in conuentum generalem cogeret: quod repeteretur deinde inſtitutum ſingulis tribus annis lege in omnē tempus lata. Superioris temporis licentiam frænare, ſanare reip. vulnera erat Patribus propositum; orbi vniuerso id expetenti ſatisfacere. In eam ſententiam cunctis, qui aderant, ſacramento adactis poſt quinque & triginta dies maior collegii pars Senensem Cardinalem Francicum Picolomineum Pontificem iuſſit vita innoſentia & inculpatiſ moribus promeritum ut cæteris præeffet, idoneum viſum, per quem proximi Potitificatus vita & vulnera multa & fæda ſanarentur. Ad decimū kalendas Octobris ea nominatio facta eſt. In ipſo nihil tumidum, arrogans, aut in rebus nouis nouum fuit, ea erat modeſtia. Pii tertii nomen deſumpſit, Pii ſeundi auunculi grati Pontificatus inſtaurata in eo memoria. Ardebat cupiditate ecclesiæ mores aſtrigendi acriori censura, ac præſertim vrbis Romæ & curiæ totius tetrum odorem amouendi: idque conſilium in quodam Patrum conuentu priuquam fuſci-
peret diademata palam expoſuit, ac vero Episcopos ex toto orbe in conuentum vt co-
geret nolle biennium expectare, ſed ruimpere continuo moras fixum animo eſſe. Numina orbis Christiani ſceleribus irritata tantum Pontificem inuiderunt, ſæua & importuna mors preclaros noui Potitificis conatus diſturbauit ſexto & vigefimo die ex quo fuerat in Petri ſede collocatus. Admixtus gaudio mœror electione atque obitu non vna omnibus via. Saniores lapſum de celo Pontificem iudicare, atque in eo numero Rex Catholicus. quidam ſecus existimare, pars superioris téporis licen-
tiam amantes, cautiōres verebantur ne Italianam turbaret, gallorum patrocinio ſucepto, quibus Lochiti Marchio erat cum primis addictus eius ex ſorore natus. Id cum multis Magnus Gonsaluius quoque metuebat à multo rerum viſu cautiōr, men-
tis humanæ altos eſſe receſſus cogitans, mores ſæpe in ſuprema rerum omnium po-
testate mutari raro in melius neminem cupiditate vacare, paucos ſibi acriter imperare. ſequente præſertim præcipiti retexere. Parum in his comitiis Valentinus præſtitit, quippe ex aduersa epti veneni valetudine lecto affixus. Quæ res Romanæ quoque nobilitati bonis euersæ iniuria prioris temporis opportunitatem præbuit ablata recipi-
endi. Veneti rebus turbatis promiſcuam odorati prædam accurrentesque vrbes aliquot in Flaminia occuparunt ex alienis incommodis vtique crescere ſoliti, ex finitimi-
orum calamitate & iniuria fines imperii proferre. Sic in Valentini fide Forliuī & Arimini arces fere eo tractu tantum perſliterunt: momentoque temporis dilapſa ſunt, quæ male queſita fuerant; ludibrio habitus qui paulo ante terror vniuersę Italiæ erat.

Hos